MAURI SARTI ET MAURI FATTORINI

DE CLARIS ARCHIGYMNASII BONONIENSIS PROFESSORIBUS

A SAECULO XI USQUE AD SAECULUM XIV

ITERUM EDIDERUNT

CAESAR ALBICINIUS FOROLIVIENSIS

IN BONONIENSI ARCHIGYMNASIO IURIS PUBLICI PROFESSOR

ET

CAROLUS MALAGOLA RAVENNAS

IN EODEM ARCHIGYMNASIO PALEOGRAPHIAE ET DIPLOMATICAE PUBLICUS LECTOR

ET REGII TABULARII BONONIENSIS PRAEFECTUS

TOMUS II.

BONONIAE

EX OFFICINA REGIA FRATRUM MERLANI

MDCCCLXXXVIII-MDCCCLXXXXVI

DE THOMA DIPLOVATACCIO.

I. Veterum monumentorum seriem, quam mox daturi sumus, aliqua de Thoma Diplovataccio praecedat inquisitio. Quoniam enim clarissimus Sartius eo plurimum usus est in illustrandis antiquis illis juris professoribus, qui in scholis nostris egregia cum laude floruerunt, necesse arbitror de hoc clarissimo viro aliquid attingere, quod verum sit atque a fabulis longo distet intervallo.

II. De Diplovataccio plura scripsit Papadopolus in sua *Gymnasii Patavini Historia* (t. II., pag. 43), quibus litavit deinde immortalis Fabritius *Bibliotheca Mediae et Infimae Latinitatis.* Sed a capite ad calcem fabulas vendidisse Papadopolum monuit nuper clarissimus idemque doctissimus Hannibal Oliverius, pisaurensis, literis ad me datis XVIII. kalendas octobris hujus anni MDCCLXX. Habet ipse binos codices, quibus Diplovataccii gesta continentur; et alter quidem exhibet ejus vitam auctore anonymo, sed synchrono, quam in compendium redegit Hieronymus Arditius, nobilis pisaurensis, coaevus et ipse Diplovataccio. Alter vero codex habet authorem Joannem Matthaeum Pigna, pisaurensem, qui sanguine conjunctus genti Diplovataccia (1), facile quidem noscere potuit quidquid ad Thomam nostrum spectabat. Tantis igitur his testibus nititur quidquid de Diplovataccio nostro subjicimus.

III. Corcyrae natus est anno MCCCCLXVIII. ex Georgio Diplovataccio et Maria Lascari (2). Ad Georgium patrem spectant duo vetera monumenta, quae haud inutile erit proferre. Alterum quidem est Ludovici cardinalis patriarchae aquilejensis, qui Georgio iter longinquum suscepturo has pro commeatu literas dedit.

Ludovicus misericordia divina tituli s. Laurentii in Damaso S. R. E. Presbiter Cardinalis, et Patriarcha Aquilegiensis domini Papae Camerarius et Apostolicae Sedis Classis Legatus de Latere.

Universitati vestrae per praesentes literas manifestamus et notum facimus, quod dilectus in Christo nobilis dominus Georgius Diplovataccius de Constantinopoli graecus ex imperiali sobole genitus harum nostrarum exhibitor, tamquam vir probus et fidelis post captionem civitatis con-

(1) Uxorem duxerat neptem Apolloniae, quae fuit secunda Thomae Diplovataccii uxor, et praeterea Luciettam filiam collocaverat Valerio Alexandri, qui Thoma et Apollonia genitus fuerat.

(2) Diplovataccius ipse in *Vita Joannis Mariae Riminaldi:* « Iste » inquit « doctissimus vir fuit meus promotor et ab ipso fui praesentatus et mirum in modum honoratus in famosissima civitate ferrariensi, in qua ad dignitatem doctoratus assumptus fui anno Domini MCCCCLXXXXI., anno aetatis meae XXII. ».

stantinopolitanae dominus fuit oppidi nuncupati Castri in insula Stalliminea et totius ipsius insulae, qui nobis et Sedi Apostolicae dictum locum ac totam insulam praedictam restituit et consignavit, et postea in recuperando alia loca ac aliis negotiis s. Cruciatae bene laudabiliterque se gessit, ac varia et multa damna a Turchis propterea sustinuit. Nunc autem cum licentia et gratia nostra ad partes occidentales se transiturum dicit. Quapropter illum universitati vestrae ac vestrorum singulis in Domino commendamus; mandantes subditis S. R. Ecclesiae et quibuscumque officialibus ac personis Sacrae Classis Apostolicae, quatenus eidem domino Georgio, per quascumque terras et quaecumque loca tam per terram quam aquam proficiscenti nullum penitus damnum, nullam injuriam, molestiam vel offensam, aut familiae suae, inferre praesumant. Quin potius cum reverentia Dei suscipiant favorabiliter commendatum cum omni familia sua.

Dat. Rhodii sub nostri secreti impressione sigilli, die V. mensis augusti MCCCCLVII., pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri Callixti divina providentia Papae III., anno III.

HUMBERTUS.

Alterum vero est Sixti IV., qui pro Georgio, opem implorante ad liberandos e Turcarum captivitate filios charissimos, apostolicas literas expediri jussit, quarum haec est forma:

Sixtus Episcopus, Servus Servorum Dei. Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Pium et meritorium apud Deum etc. Cum itaque, sicut accepimus, olim post deperditam civitatem constantinopolitanam et ab impiissimis Christi nomini Turcis hostibus captam et subjugatam, dilectus filius Georgius Diplovatacci olim nobilis constantinopolitanus, ex imperiali sobole genitus, qui dominus fuit oppidi nuncupati Castri in insula Stelliminea et castrum et insulam hujusmodi tenebat, zelo fidei accensus illam bonae memoriae Lodovico tituli s. Laurentii in Damaso presbitero cardinali, tunc in partibus illis Apostolicae Sedis legato, restituere et consignare . . . . . ac tempore illo in negotiis Cruciatae bene ac laudabiliter se gesserit, multaque mala et damna ab ipsis Turcis pertulerit. Et postquam dicti Turci castrum et insulam hujusmodi habuerint, ab eisdem multas persecutiones passus extiterit, ac novissime superioribus diebus duo ejus filii ex Corcyra insula, ubi domicilium habebat, versus Apuliam navigantes ab ipsis perfidis Turcis capti et Constantinopolim delati, in manibus praefati Turci positi fuerint, quos aut neci tradere aut fidem catholicam abnegare facere decreverant, nisi se quingentis ducatis venetis ab ejus manibus infra certum tempus, tunc expressum, se redimere promiserint; quod etiam ad preces nonnullorum mercatorum christianorum in dicta civitate constantinopolitana commorantium obtinuerint. Nos igitur ne eosdem captivos fidem praedictam abnegare vel in Turcarum eorumdem manibus mori contingat, illos ab ipsorum Turcarum manibus eripi desiderantes ac cupientes, ut fideles praedicti pro eorumdem captivorum liberatione eo promptius manus porrigant adjutrices, quo etc., propterea ipsis vere poenitentibus et confessis, qui pro liberatione et redemptione praedictorum duorum captivorum praedicto Georgio, aut alteri ejus nomine, manus porrexerint adjutrices, ut praefertur, duos annos et totidem quadragenas de injunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus praesentibus quousque praefati duo captivi liberati fuerint, et non amplius valituris.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXXVII. octavo idus novembris, pontificatus nostri anno septimo.

Gratis de mandato ss. domini nostri Papae.

JO. DE SALES. A. TRAPEZUTIUS, gratis.
E. BONADEIS.

IV. Quae fuerit deinde eorum sors, ignotum est; nec vero quaerere oportet. Thomas certe noster tantae calamitatis particeps non fuit, et adhuc adolescentulus Neapoli una cum parentibus constitit. Patre in Hispaniam profecto ad promerendum

in exercitu Regis, ibidemque paullo post in obsidione Granatae vita functo, Constantinus Lascari, Mariae Georgii uxoris consobrinus, Messana, ubi graecas literas magna cum laude profitebatur, Neapolim venit, ut Thomam ad erudiendum eum in literis secum abduceret. Sed matrem invitam reperit et Thomas Neapoli magistros habuit in grammatica celebres ea aetate viros, Jovianum Pontanum et Carolum Sorrentinum. Salernum deinde missus ad logicam addiscendam, adeo brevi profecit ut de ea publice et egregie disputaverit. Hortante deinde Antonello, Salerni principe, cujus jam gratiam Thomas ob praeclarum ingenium inierat, legum studiis se addixit sub Antonio a Cruce, audivitque Nicolaum Capograssum et Carolum a Ruggine. Cum res ipsi feliciter cessisset, juris studia amplius non deseruit. Itaque, matris imperio Neapolim reversus, eadem prosequutus est praeceptoribus Antonio Bathimo et Francisco Balvino.

V. Brevi post tempore Venetias, matre comitante, se contulit, illuc accersitus a Demetrio Spandolino Mariae consanguineo (1). Patavium postmodum studiorum causa profectus, ibi audivit Jasonem, Joannem Campeggium, Antonium Corsettum et Bartholomaeum Soccinum. Sed Antonium Corsettum, dictum Barbatinum, magistrum habuit in jure canonico, ut ipse de se fatetur in ipsius Corsetti elogio. « Sub eo », inquit, « jus canonicum audivi ». Bononiae Corsettus floruerat, quod idem Diplovataccius testatur; sed anno MCCCCLXXXVI. Patavium a dominio veneto majori stipendio conductus fuit; quo sane tempore Thomas noster sub ejus disciplina esse potuit. Joannes Matthaeus Pigna affirmat Diplovataccium librum *Institutionum* publice Patavii explicasse anno MCCCCLXXXIX.

VI. Hoc ipso anno MCCCCLXXXIX. Patavio una cum matre Pisaurum venit, invitatus a Camilla Sfortia, Pisauri domina, ut ibidem Vicarii Appellationum et Vectigalium honorifico admodum munere fungeretur. Sed cum nondum barbatum vidisset, verita ne muneri pro dignitate sustinendo impar haberetur, Perusium misit, ut in ea civitate ad aliquod tempus studiis majori animi contentione vacaret; quod quidem praestitit sub Petro de Ubaldis, Philippo a Corneo et Baldo de Bertolinis, ut ipse affirmat in elogiis eorumdem.

VII. Aliquot post menses Pisaurum reversus, magno in honore fuit apud Joannem Sfortiam, privignum Camillae, quae jam dominatu Pisauri omnino se abdicaverat. Annuente ipso Joanne, Thomas Ferrariam venit anno MCCCCLXXXX., ubi doctoratus insignia accepit a Joanne Maria Riminaldo, ut supra diximus. Hoc honore auctus, Pisaurum revertitur et inter Joannis Sfortiae cubicularios fuit usque ad annum MCCCCLXXXXII., quo, vita functo Almerico de Almericis, celeberrimo ea aetate viro et Fisci procuratore, in ejus locum suffectus est Thomas. Quis hic non irrideat Papadopolum, qui hoc ipso tempore nobis exhibet Thomam « rerum omnium inopem », ut ipse appellat, et Romae mercedis studio in tradenda physica occupatum?

VIII. Sequenti anno MCCCCLXXXXIII., cum subortae essent inter doctores et equites civitatis Pisauri contentiones *De praecedentia in Consilio,* easdem composuit Joannes Sfortia die sacro Nativitatis Christi ejusdem anni, edito decreto *Super praecedentia doctorum,* quod hic integrum damus vel maxime in hunc finem, ut de Thomae Diplovataccii dignitate et opibus constet.

(1) Quis fuerit hic Demetrius Spandolinus ignorare se fatetur clarissimus Oliverius; neque vero ipse divinare possem. Graecum natione fuisse recte idem arbitratur, ob illius cum Maria Lascari affinitatem.

Joannes Sfortia de Aragonia, Comes Cotignolae, Pisauri etc.
ad perpetuam rei memoriam.

Saepenumero (1) sumus arbitrati nihil esse quod magis ac magis optimum deceat principem, quam diu et noctu negotiis occupari, curis excitari et assiduis cogitationibus distrahi pro subditorum suorum salute, pace et commodo. Sed praeclarius eorum causa his instantius intendere rebus, ferventius vacare et operosius sollicitudinem impartiri, quibus inter eos praecisis dissidiorum radicitus vepribus et litigiorum anfractibus omnino seductis, pacis tranquillitas vigeat, concordiae unitas invalescat et animorum idemptitas perseveret; cum amor et gratia ea sint, quibus omnia et regantur et augumententur, odium vero et discordia, quibus decrescant et dissolvantur. Et tanto uberiores fructus ea esse noscuntur, quanto id observari contingat inter doctores et equites et milites cujuscumque gradus et conditionis; qui uti alios et virtutibus et moribus illustriores anteire debent, ita caeteris inferioribus pacis et concordiae exemplum bene et pacifice vivendi de se tam publice quam privatim exhibeant. Dudum siquidem suborta contentione inter doctores et milites civitatis nostrae Pisauri, quis eorum praeferri debeat, dum in hominum conventu assistunt aut deambulant, hoc in perpetuum valituro decreto hujusmodi ambitiosam discordiam extirpantes, motu proprio et ex certa animi nostri scientia et de nostra plenitudine potestatis decernimus, mandamus et volumus, ut ex doctoribus antedictis, qui sunt et qui in futurum erunt nostri dominii subditi et civitatis nostrae Pisauri cives et habitatores, is aliis praeferatur in quocumque loco, in quo convenire contingat, qui prius doctoratus honorem sub rigoroso examine in Studio generali assecutus fuerit, sive sit artium et medicinae doctor, sive juris civilis ac canonici aut juris civilis tantum aut juris canonici tantum, non obstante quod qui posterius doctor fuerit, alleget se esse doctorem etiam juris canonici, et non obstante etiam quod posterior doctor alleget se equestris dignitatis titulo insignitum, dummodo non constet, quod pro quolibet gradu Communis Pisauri ad minus solvat in Communi libras quatuor Bononinorum pro ejus rata dumtaxat, quia tunc doctores et milites aliis praeferantur doctoribus, qui non fuerint hujusmodi gradus praerogativa insignes, et non obstante etiam, quod alleget, se esse contubernalem nostrum, et non obstante etiam quod se assereret esse advocatum Camerae nostrae fiscalis, nisi de contubernali advocato fiscali per nos contingat aliter ordinari. Et postremo, non obstante quod quis natus esset in comitatu nostro Pisauri, dummodo dictae nostrae civitatis sit civis et perpetuus habitator et doctor; ii vero nostri cives, qui erunt solummodo decorati equestri dignitate, omnibus doctoribus praeferantur, qui non fuerint milites solvant in communi pro quolibet gradu dictas quatuor libras; circa hoc tamen etiam nostro arbitrio aliter ordinandi semper salvo. Et ut praesens nostrum decretum simul edatur et exequatur, ut exemplis in futurum intentio nostra magis innotescat, operae pretium esse ducimus, doctores tam medicos quam juristas subditos nostros, qui in praesentia vitam exigunt, infrascripto modo ordinandos esse, videlicet:

Dominus Joannes Ludovicus de Farnetis sit primus in ordine.
Dominus Nicolaus de Sajano, legum doctor, secundus, qui postea praecessit, quia factus eques a Summo Pontifice.
Magister Camillus de Leonardis, artium et medicinae doctor, tertius.
Magister Zaccarias, artium et medicinae doctor, quartus.
Dominus Ludovicus de Candelaria, legum doctor, quintus.
Dominus Dynus de Zegnarolis, legum doctor, sit in ordine sextus.
Dominus Vincentius de Fidelibus, juris utriusque doctor, septimus.
Dominus Petrus Ludovicus de Fano, legum doctor de Saracenis, civis et habitator Pisauri, sit in ordine octavus.
Magister Ippolitus de Dominicis, artium et medicinae doctor, nonus.
Dominus Joannes Mattias de Janotiis, legum doctor, decimus.

(1) Ex libro I.° Decretorum, in Secretaria illustrissimae Communitatis Pisaurensis existente, ad pag. 54.

Magister Joannes Franciscus de Arditiis, artium et medicinae doctor, undecimus.
Dominus Thomas Constantinopolitanus, legum doctor, habitator Pisauri et advocatus Camerae, sit in ordine duodecimus.
Dominus Julius de Alexandris pisaurensis, legum doctor, decimustertius.
Dominus Angelus de Clementibus de Pisauro, legum doctor, decimusquartus.
Magister Augustinus de Angelis, pisaurensis, habitator Venetiis, doctor venetus, incedat secundum tempus sui doctoratus assumptionis, prout supra in caeteris decretum extitit.

Addentes quod, si quis huic nostro decreto contrafecerit, incurrat de facto in poenam vigintiquinque ducatorum nostrae Camerae applicandorum, et similiter quoties contigerit nomine nostro eos evocari debere, ut conveniant aliquo in loco, secundum quod contingeret fieri de nostro mandato, si quis ex eis non comparuerit eo in loco, tunc et eo casu, intelligatur contravenisse huic nostro decreto, et in eamdem poenam incurrisse, nisi de canonico impedimento per duos idoneos testes probaverit domino Potestati nostro civitatis Pisauri, qui pro tempore fuerit, vel alii, cui mandabimus dictam probationem fieri debere; et quilibet possit accusare et denunciare, et ei credatur cum ejus juramento et uno bono teste; et habeat tertiam partem dictae poenae in utroque dictorum casuum.

In Christi Salvatoris et Domini nostri, ejusque Beatissimae Matris Virginis Mariae nominibus, amen. Anno a Nativitate ejusdem Domini et Dei nostri Jesu Christi millesimo quatringentesimo nonagesimo tertio, Indictione undecima, tempore Sanctissimi Domini nostri Domini Alexandri Divina providentia Papae Sexti, et die vigesima quinta Decembris, in die Nativitatis ejusdem Salvatoris nostri, suprascriptum Decretum praefati illustrissimi Domini nostri editum super praecedentia dominorum militum et doctorum, lectum et publicatum fuit de commissione et mandato praefati illustrissimi Domini nostri monitione elegantissima S. J. dominationis praecedente facta, infrascriptis dominis doctoribus praesentibus et intelligentibus, per me Joannem de Germanis, Cancellarium Communis Pisauri et notarium praefati illustrissimi Domini de verbo ad verbum in Camera Jardini domorum residentiae praefati illustrissimi Domini nostri in civitate Pisauri, in praesentia dictorum clarissimorum dominorum doctorum, videlicet: magistri Zaccharíae physici, domini Ludovici de Singualdis de Candelaria, domini Dyni de Zegnarolis, domini Vincentii de Fidelibus, magistri Ippoliti, domini Joannis Matthiae de Janotiis, magistri Joannis Francisci de Arditiis, domini Thomae de Constantinopoli, domini Julii Magagnini, et dicti domini Angeli Clementis praedictorum; praesentibus spectabilibus et clarissimis doctoribus domino Joanne Francisco Capinsacco de Arimino, onor. Praetore civitatis Pisauri, domino Joanne Maria de Dynis onor. Vicario generali gabellarum Communis Pisauri, Francisco Betio magistro Domus, et Francisco quondam domini Nicolai de Palude, civibus et habitatoribus Pisauri, testibus ad supradictam publicationem dictorum decretorum hujusmodi vocatis et specialiter rogatis.

Ego idem Joannes de Germanis, civis et habitator Pisauri et Cancellarius publicus, apostolica et imperiali auctoritate notarius, praedictis omnibus et singulis, ut praemittitur, praesens fui, et ea rogatus scribere, scripsi et publicavi, signumque meum apposui.

Loco † signi.

IX. Ita autem Diplovataccium Joannes Sfortia charum habuit, ut ad ejus domicilium Pisauri firmandum operam dederit ut Franciscus Bezius, nobilis florentinus Catharinam a Curte privignam eamque praedivitem nuptui daret Thomae nostro; quod quidem feliciter contigit in sequenti anno MCCCCLXXXXIV. Cum autem Pisauro pulsus deinde fuisset Joannes, opera ducis Valentini, nihil triste accidit Diplovataccio; imo eum honoribus auxit novus princeps, virtutis ejus et doctrinae amore captus. Recuperato a Joanne Sfortia imperio post mortem Alexandri VI., Thomas eodem loco fuit apud ipsum; quod quidem maximum esse debet ejus integritatis ac prudentiae testimonium. Sed principis gratiam amicitiae ejusque officiis minime antetulit. Itaque

capitis damnato a Joanne Sfortia Pandulpho Collenuccio, a quo certe Thomas noster tantam fortunae perversitatem pro viribus avertere conatus fuerat, liberorum ejus defensionem, magna animi constantia, suscepit, ne ipsi quoque Sfortiae odio in Collenuccios nondum extincto opprimerentur. Cum igitur ob hanc causam abalienatum a se animum Joannis Sfortiae intelligeret, rebus suis consulere cogitavit; ac usus opportune commendatione Julii II. Pontificis Maximi (1) apud Franciscum Mariam I., Urbini ducem, pontificis fratris filium, oblatam sibi Eugubii praefecturam suscepit. Interea mortua Catharina uxore, ejus haereditate, et paullo post alia Francisci Bezii, Catharinae, vitrici, potitus est. Opibus sic auctis, alteram uxorem duxit Apolloniam de Angelis, natam Augustino de Angelis, celebri admodum philosopho et nobili pisaurensi. Eugubii praefectura egregie absoluta, Pisaurum reversus, in varia hujus civitatis fortuna ita se gessit, ut semper optimi civis partes expleverit. Sed tamen turbarum aliquando pertaesus, Venetias se recepit anno MDXVII., ut conjectando statuit clarissimus Oliverius; atque in ea civitate diu studiis et amicis vixit, scilicet, usque ad finem anni MDXXXII.; in libris enim Consiliorum civitatis Pisauri ad diem VIII. decembris illius anni sic legitur: « Dominus Thomas de Plovatatiis modo reversus in patriam causa habitandi ». Sedem amplius non mutavit Diplovataccius, et quoad vixit Pisauri fuit, ubi publicis muneribus non sine egregia doctrinae et integritatis laude vacavit.

X. Anno MDXXXVIII. integra adhuc valetudine, testamentum condidit, cujus excerpta hic damus, ut quae hucusque de Diplovataccio dicta sunt, confirmationem, habeant, et quae de ipso scripsit Papadopolus adhuc falsitatis arguantur.

In Christi Nomine, amen.

Clarissimus juris utriusque doctor dominus Thomas de Plovatacciis Melinochi constantinopolitanus, civis Pisauri, sanus etc. In primis, quando sibi mori contigerit, reliquit corpus suum, sepeliri in ecclesia sancti Augustini de Pisauro, et per infrascriptum ejus haeredem fieri unum sepulcrum marmoreum, in quo debeat expendere scutos quinquaginta et plus, prout videbitur dicto suo haeredi et fideicommissariis, juxta altare capellae s. Nicolae de Tolentino, ubi placuerit dicto haeredi et fideicommissariis, cum imagine marmorea ipsius testatoris sculpta; et si contigerit mori extra civitatem Pisauri, jussit corpus suum deduci et exportari Pisaurum, et poni in depositum in dicta ecclesia, et deinde poni in sepulcro aedificando, si aedificatum non fuerit per dictum testatorem; cui capellae s. Nicolae reliquit florenos tres singulis annis monetae veteris ad rationem Bononinorum quadraginta pro singulo floreno; hac conditione apposita, quod Fratres dictae ecclesiae, qui pro tempore fuerint, celebrari faciant solemnem missam in dicto altari, in dicta capella, quae est ipsius testatoris, singulis annis etc.

Item reliquit jure institutionis dominae Franciscae, ejus filiae dilectae, florenos MDC. ad dictam rationem, quos habuit ab ipso testatore dominus Bernardinus de Homdedeis, ejus gener etc.

Item reliquit dominae Marinae, ejus filiae, florenos MDC., quos habuit, tempore contracti matrimonii cum domino Homdedeo de Homdedeis, dominus Franciscus de Homdedeis pater etc.

Item reliquit Apolloniae, ejus nepti et filiae Alexandri, dicti testatoris filii, florenos MDC., quos habuit etc. a domino Francisco de Homdedeis pro dotibus dominae Hieronymae, ejus filiae et matris dictae Apolloniae etc.

Suos autem fideicommissarios etc. dominum Franciscum de Homdedeis et dominum Bernardinum de Homdedeis, ejus generum, et dominum Bernardum Monaldum, ejus sororium etc.

Item praecepit Alexandro, ejus filio, haeredi, et suis filiis et haeredibus, quod non debeant dispensare nec vendere nec mutuare, et hoc sub poena indignationis, libros ipsius testatoris,

(1) Jam ab anno MDVI. Thomas Bononiam profectus, orator ad Julium Pontificem pro Joanne Sfortia, ipsius Pontificis gratiam et extimationem inierat.

quia mediantibus dictis libris et cum amore Dei et gratia ipsius, testator ipse acquisivit facultates suas etc.

In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus et immobilibus, existentibus tam in civitate Pisauri et ejus comitatu, quam Venetiis in Monte subsidii, ac etiam in villa Scandellariae et ubique, dilectum ejus filium Alexandrum instituit etc. ejus haeredem universalem etc.

Actum etc. Pisauri in Cancellaria Communis, sita in quarterio s. Archangeli, juxta plateam magnam etc. MDXXXVIII., indictione XI., tempore pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Pauli divina providentia Papae III., die vero sabbathi sancti, XX. mensis aprilis; praesentibus domino Sigismundo Samperolo, Consule, excellentissimis juris utriusque doctoribus domino Ludovico Bezzecarino, domino Baptista de Almericis, ser Joanne Baptista Vachario, ser Francisco Brettario, ser Francisco Vita, magistro Petro Bacchio et Petro Antonio de Amatis, civibus pisaurensibus, testibus etc.

Ego Bernardinus ser Gasparis de Factoribus, civis Pisauri, publicus imperiali authoritate notarius etc.

Ego Thomas Diplovataccius constantinopolitanus, juris utriusque doctor et civis Pisauri, afferens istud esse ultimum meum testamentum publicum in Cancellaria Communis Pisauri XX. aprilis MDXXXVIII., et ideo manu mea subscripsi etc.

XI. Post tres annos a testamento condito, vita cessit Diplovataccius noster, cum vixisset annos LXXIII. In libro Consiliorum civitatis Pisauri, quem praecedit catalogus eorum quibus Consilia constabant, ita adnotatur obitus Diplovatacii, manu Bernardini de Factoribus, notarii et Cancellarii: « Dominus Thomas de Plovatatiis, juris utriusque » doctor, die XXIX. Maii MDXXXXI., circa horam septimam ».

DIPLOVATACCII SCRIPTA.

Opus *De praestantia Doctorum*. Hujus mentionem facit Pigna in hunc modum: *I — XII. libri della eccellenza de' Dottori.* Fabritius (*Bibliotheca Graeca,* tom. X., pag. 501) ita de hoc opere loquitur: « Scripsisse etiam traditur libros duodecim *De praestantia Doctorum et clarissimis jurisconsultis,* in quibus diligentissime vir ille et juris civilis dignitatem explicavit, et auctores ejus omnes interpretesque a Phoroneo ducta serie ad sua usque tempora deduxit. Sed hoc opus Baptistae Egnatio et Michaeli Neandro (vide praefationem Neandri ad *Erotemata Linguae Graecae,* pag. 257) celebratum, aut periit jam olim (inquit in *Bibliotheca Bibliothecarum* Labbaeus) aut alicubi ab aliquibus supprimitur, ne in manus multorum veniat ». Tomo autem XIII., pag. 555 in vol. X. (inquit ipse): « pag. 502 pauca quaedam dixi de Thoma Diplovataccio graeco homine, sed qui utriusque juris doctor latine et in Italia scripsit sub extremum seculi XV., hujus opus *De Claris Jurisconsultis* non extare, valde dolendum esse mecum existimabit qui vitam Bartholi ab eo traditam, atque ideo a me infra subjunctam, cognoverit; et si enim spinosius paullo atque incultius scripta est, tamen ex diligentia, quam in ea author adhibuit, apparet de jurisconsultis suae maxime aetatis et aliquot ante saeculorum multa eum nos fuisse edocturum, quae omnes fugiunt ». Citat ipse, in cap. XIV. vitae Bartoli, librum nonum *De Claris Jurisconsultis,* necnon, quem ab illo distinguit, tractatum *De praestantia Doctorum.* Utriusque etiam his verbis facit mentionem Michael Neander, in praeclara illa praefatione ad *Erotemata Linguae Graecae,* seu potius introductione ad notitiam literariam, pag. 157. « Scripsit etiam Baldus perusinus *De commemorationibus famosissimorum doctorum in utro-* » *que jure,* et Thomas Diplovataccius, patricius constantinopolitanus libros XII. *De prae-* » *stantia doctorum et clarissimis jurisconsultis;* in quibus diligentissime vir ille, teste Baptista » Egnatio, juris civilis dignitatem explicavit et auctores ejus interpretesque omnes a » Phoroneo ducta serie ad nostra usque tempora deduxit; sed utrumque utriusque opus » aut periit, aut alicubi ab aliquibus supprimitur, ne in multorum manus veniat ».

Sed Fabritius veritatem in errorem commutavit; nam unum idemque fuit Diplovataccii opus; et titulus *De Claris Jurisconsultis* nihil aliud significat nisi nonum ejusdem operis librum;

neque aliud probant Neandri verba, quibus nititur Fabritius. Sed res clarius constare potest ex Alexandro Gaboardo, qui in epistola ad Thomam ipsum Diplovataccium, quae est ad calcem editionis Arrianni Pisauri anno MDVIII., ita scribit: « Judicent tamen doctiores, et tu, vir jurisconsulte doctissime, qui vitam Arrianni et aliorum jurisconsultorum legaliter et historice complexus es in opere tuo *De praestantia Doctorum;* qui a Phoroneo Inachi, Argivorum rege, ad haec usque nostra tempora defluxerint, in nono videlicet libro, ubi de claris jurisconsultis, quod merito Joanni Sfortiae illustrissimo, clementissimo Pisauri domino, dedicasti ».

Sed magnum hoc opus, quod interiisse vel invitis Musis latitare dolebant eruditi omnes, redivivum, saltem quoad nobiliorem sui partem, jamdiu laetantur iidem. Igitur liber nonus, qui est *De Claris Jurisconsultis,* extat pene integer apud clarum Oliverium, qui in fronte codicis haec sua manu adscripsit: « Thomae Diplovatatii, qui Pisauri Diplovatatiam gentem e Graecia profugam collocavit, opus *De praestantia Doctorum;* opus luculentissimum initio saeculi XVI. vel sub finem XV. jam scriptum, atque dicatum Joanni Sfortiae, Pisauri domino, ducentis ab hinc annis plane deperditum, insperato diligentissimus et fortunatissimus Passerius noster, doctrina ingenioque Thomae ipsi facile anteponendus, pridie kalendas Octobris A. D. MDCCXXXXVIII. invenit ». Codicem hunc idem Oliverius transmisit jampridem comiti Joanni Elephantutio, hujus meae patriae senatori amplissimo et optimarum artium cultori eximio, qui eumdem summa diligentia exscribendum curavit, ut in secretiore Scientiarum Instituti bibliotheca immortalitati servetur. Quale autem fuerit hujusmodi opus Diplovataccii, non melius, quam ex ipso, dijudicari potest, qui in prooemio ejusdem ita Joannem Sfortiam, cui opus suum infrascriptum voluit, alloquitur: « Laudemus viros gloriosos et parentes etc. Eccles. XXXXIV. Propterea cum hanc ipsam tantae authoritatis sententiam imitatus, Princeps magnanime, doctoratus dignitatem insignem, amplissima doctorum privilegia, eorumque gradus praecedentiae non aspernandos proximis hujus operis nostri voluminibus exaraverim, visum est quoque florentissimos quosque viros, qui a Phoroneo Inachi, Argivorum regis, tempore ad hoc usque aetatis nostrae curriculum nonnihil memoriae dignum prodiderunt per annos termille trecentos, tamquam gemmae electissimae, diversa in orbe gymnasia et proprias civitates illustrando, prout diligentissime potero, breviter exponere ».

Incipit igitur a Phoroneo Inachi, Argivorum regis, tum de Mercurio aliisque subinde omnium gentium ac praesertim Graecorum et Romanorum legislatoribus legumque peritis celebrioribus ad sua usque tempora. Porro in hoc opere concinnando annos bene multos impendisse debuit. Infinita enim volumina vidisse et expilasse oportuit; nam hanc scribendi rationem perpetuo secutus est, ut nihil proferat, quod auctoritate scriptorum non nitatur; ita ut nihil aliud sint pleraeque *Vitae Jurisconsultorum,* quam centones consuti ex veterum scriptis, ex quibus historiae veritas mirifice comprobatur. In recensendis vero singulis clarorum jurisconsultorum libris incredibilis hujus hominis diligentia emicuit. Fuit in hoc genere perdiligens Guido Pancirolus; sed nihil ad Diplovataccium, qui innumera doctorum volumina recenset, additis, quantum colligere potuit, temporum annotationibus, quo quisque liber a suis auctoribus scriptus fuit, prolatis etiam primis et extremis verbis eorumdem librorum, quorum jam aetate nostra plures interierunt vel quod nunquam typis editi fuerint, vel quoad passim neglecti sint et a novis libris extrusi ad salsamentariorum officinas.

Plures ex vitis illustrium jurisconsultorum, quas in nono libro operis *De praestantia Doctorum* adornavit Diplovataccius, lucem adspexerunt in editis operibus celebriorum jurisperitorum; quemadmodum vita *Bartoli* in operibus ejusdem (Venetiis, anno MDLXXXXVI.), quam postea iterum edidit Fabritius; vita etiam *Pauli de Castro,* edita Coloniae eodem anno MDLXXXXVI., cujus mentionem facit Fontanella in sua *Bibliotheca Legali;* vita *Angeli Arretini,* quae prodiit, una cum ejusdem Angeli *Tractatu de maleficiis,* Venetiis anno MDLV., quaeque praefert hunc titulum: *Angeli Arretini Vita per dominum Thomam Diplovataccium constantinopolitanum, juris utriusque doctorem, ad Lodovicum et Paulum Paduae legum professores et sororios, filios excellentissimi artium et medicinae doctoris domini Augustini de Angelis, pisaurensis.* Sed fortasse nonnullae aliae in aliis libris reperiri poterunt.

Non modo *Vitam Bartoli* scripsit Diplovataccius, sed etiam ejus operibus varia additamenta fecit, quibus varios Bartoli errores emendavit. In *Lecturis* Bartoli (quae prodierunt Lugduni anno MDXXXXVII.) in praefatione ad lectorem ita editor loquitur: « Scio doctissimos aliquot viros non ita pridem hoc ipsum (nempe emendationem commentariorum Bartoli) tentasse, in quibus Alexander Lofaeus, Nicolaus Arelatensis ac novissime Thomas Diplovataccius ».

Sed melius ex ipso Diplovataccio intelligere possumus, quid laboris susceperit in emendando Bartolo. Itaque Jacobo Pisauro, Paphi episcopo, ita scribit(1): « Thomas Diplovatatius, juris utriusque doctor, reverendissimo domino Jacobo Pisauro Paphi episcopo S. P. D. — Cum superioribus annis, reverendissime pater, Bartoli, omnium juris utriusque consultissimi, lecturae imprimerentur, quamplurimas leges et titulos antea non impressos meis cum apostillis imprimendos tradiderim; et quia nonnulla ejusdem auctoris consilia, etiam manu ipsius scripta, necnon multi tractatus et quaestiones penes me erant a plerisque jurisconsultis et professoribus, cum Venetiis degentibus, tum Patavii jura profitentibus, et impressoribus pro communi omnium utilitate imprimenda concederem, rogatus extiterim, qua in re tantorum virorum precibus motus, maxima cum diligentia, consilia praedicta cum impressa tum imprimenda, tractatus et quaestiones ipsius Bartoli, meis cum additionibus, ut imprimerentur, incubui ».

Diplovataccii etiam sunt *Commentaria in lecturam Alexandri Tartagnae super Codicem et Digestum.* Lugduni, MDLIII.

Tractatus quoque *de Testibus* (Coloniae MDLVI.), *seu potius Additiones in hunc Tractatum a Joanne Gymnico exaratum.*

Chronicon Pisauri. Ita hoc aliud opus Diplovataccii nominavit Marcus Antonius Gozius, senior, qui illud vidit, eoque usus est. Joannes Matthaeus Pigna vocat *Historiam civitatis Pisauri.* Clarus Oliverius hoc opus, ipsius Diplovataccii manu exaratum, vidisse se et legisse testatur, et auctoris eruditionem satis commendari non posse affirmat.

De Vicariis temporalibus Sanctae Sedis et Imperii. Hujus mentionem facit laudatus Pigna.

De libertate et privilegiis Venetorum. Hujus etiam meminit idem Pigna.

Haec habui, quae de Diplovataccio huc afferrem. Plura de ipso scribere aggreditur, quemadmodum et de aliis illustrioribus Pisauri civibus, numquam satis laudatus Hannibal Oliverius, a quo summa omnia jure expectanda sunt.

---

(1) Praemittitur haec epistola operibus Bartoli, impressis Venetiis anno MDXXXI.

APPENDIX

AD PRIMAM ET SECUNDAM PARTEM

DE CLARIS

ARCHIGYMNASII BONONIENSIS PROFESSORIBUS

VETERA MONUMENTA COMPLECTENS.

MONUMENTA

SPECTANTIA

AD BONONIENSEM ACADEMIAM.

Prodromi loco sint pauca quaedam venerandae antiquitatis monumenta ad nostram hanc Academiam spectantia, quae et eidem perhonorifica sunt, et ad illius historiam magis illustrandam plurimum conferunt. Dedimus iam in Praefatione ad primam partem, pag. XXV., § XX., litteras Alexandri III. ad Academiam bononiensem scriptas; et ibidem alias ejusdem pontificis, quae ad scholas nostras pertinere possent, nos daturos promisimus: sed infra, loco opportuniore, datam fidem liberabimus. In recensendis autem monumentis ratio habita est temporis eorumdem.

I.

1217, 27 mai.

Ex tomo XXXXIV. *Codicis Diplomatici Bononiensis,* num. XV. (1)

[Iubet Pontifex Potestati bonon. ut Statuta, contra scholarium libertatem condita, protinus abroget].

Honorius III. (2) Potestati bononiensi.

Ex tenore litterarum, quas nobis tua devotio destinavit, colligitur manifeste, quod ad observationem cujusdam Statuti te, juramento interposito, tanto inconsultius obbligasti, quanto verius constat illud non sine lesione interposite fidei posse servari, nisi scholares in aliquo duorum casuum degenerarent, aut eos saltem exire de terra compelleres, si tamen sine perjurio tibi jam liceat, qui id facere infra duos menses juramenti debito tenebaris. Quapropter discretionem tuam monemus et exhortamur in Domino, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus si aliquorum consilio jam emissum honeste poteris revocare mandatum, illud revoces sine mora, aut ad minus sub dissimulatione pertranseas; diligenter attendens, an expediat civitati, cui utiliter preesse teneris, scholares expelli, quorum hactenus presentia ipsi extitit multipliciter fructuosa.

Datum Anagnie sexto kalendas junii, Pontificatus nostri anno primo.

(1) Hic codex, distributus in tom. XXXXIV., continet vetera monumenta tum ad scholas bononienses, tum ad Ecclesiam, tum ad civitatem pertinentia, quae, jussu Benedicti XIV., ex romanis Archivis collegit olim clarissimus Constantinus Rogerius. Hunc codicem transmisit idem Pontifex Bononiam, ut in secretiore Scientiarum Instituti Bibliotheca servaretur.

(2) Ex eodem Reg. Honorii III., epist. 454, fol. 110.

II.

1217, 26 iunii.

Ex eodem tomo, num. XIV.

[Injungit Scholaribus, ne bononiensium Statuta contra eorum libertatem promulgata, ullo pacto servare promittant].

Honorius III.(1) Scholaribus universis de Urbe, de Campania et de Tuscia Bononie commorantibus.

Etsi multam honestatem, imo necessitatem sicut asseritis, causa contineat, que vos ad contrahendam societatem induxit, quia tamen interdum, ea que bono inchoantur principio in pravum deducuntur exitum per abusum, diligenti vos decet sollicitudine precavere, ne, occasione societatis ipsius a vobis aliqua presumantur, que scholasticam in aliquo dedeceant puritatem. Quapropter Universitatem vestram monemus et exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus in artibus vestris eam de cetero modestiam observetis, ut et infamie notam et rerum dispendium omnino vitetis; de civitate exire, quam perjurii reatum incurrere potius eligentes, si ad alterum predictorum per potestatem contigerit vos arctari: vos enim societatem dissolvere, aut statutum illud contra libertatem scholarium vestris Statutis inserere non potestis, qui utrumque servare et quam potestis diligentius procurare, fide interposita, promisistis.

Datum Anagnie sexto kalendas junii, Pontificatus nostri anno primo.

III.

1219, 27 iunii.

Ex eodem tomo, num. XVI.

[Potestatem Archidiacono bonon. largitur solvendi a censuris ecclesiasticis scholares ac doctores bononienses, qui violentas manus in clericos injecissent].

Honorius III. (2) Archidiacono bononiensi.

Consideratis circumstantijs temporum et locorum, rigor justitie debet aliquando mansuetudine temperari, ut vini compunctio lenitate olei mitigetur et peccator in profundum non veniat et contemnat, presertim cum sine dispendio ecclesiarum usquequaque servari non possit vigor ecclesiastice discipline. Sane cum sepe contingat quod in civitate bononiensi plures doctores et scholares propter violentas iniectiones manuum in clericos excommunicati decedant, ac alij reduentes ad propria promoveantur ad ordines absolutionis beneficio non obtento, unde, preter irregularitatem quam incurrunt, improvide in hujusmodi multi nolentes suum confiteri delictum, paupertate vel infirmitate gravati, vel alias imbecillitate animi dormientes, ne confessi ad Sedem apostolicam transmittantur, in peccatis suis miserabiliter moriuntur, Nos igitur super hujusmodi periculis volentes eisdem doctoribus et scholaribus paterna sollicitudine providere, quorum nolumus sicut nec expedit, Studium per absentiam impediri, auctoritate tibi presentium indulgemus ut ipsis qui ad invicem in se, aut in alias personas ecclesiasticas manus iniecerint violentas, nisi tam gravis fuerit, aut enormis excessus ut merito sint ad Sedem apostolicam destinandi, juxta formam Ecclesie beneficium absolutionis impendas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Reate quinto kalendas julii, Pontificatus nostri anno tertio.

(1) Ex Reg. I. Honorii III., ep. 453, f. 110.

(2) Ex Reg. II. Honorii III., ep. 509, f. 107.

IV.

1219, 28 iunii.

Ex eodem tomo, num. XVII.

[Neminem, inconsulto Archidiacono, in Gymnasio bononiensi docere posse jubet].

Honorius, servus servorum Dei (1), dilecto filio Archidiacono bononiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sepe contingat ut minus docti ad docendi regimen assumantur, propter quod et doctorum honor minuatur et profectus impediatur scholarium volentium erudiri, Nos, eorumdem utilitati et honori prospicere cupientes, auctoritate presentium duximus statuendum, ut nullus ulterius in civitate predicta ad docendi regimen assumatur, nisi a te obtenta licentia, examinatione prehabita diligenti; tu denique contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas.

Datum Rome IV. kalendas julij, Pontificatus nostri anno tertio.

V.

1220, 6 aprilis.

Ex eodem tomo, num. XVIII.

[Mandat abrogari Statuta scholarium libertati contraria (2)].

Honorius III (3). Populo bononiensi.

Ex relatione venerabilis Fratris nostri Ostiensis episcopi, devotione, quam ad romanam Ecclesiam geritis, intellecta, tanto ad ea que ad vestram salutem respiciunt et honorem ferventius aspiramus, quanto vos, tamquam obedientie filios ad ejusdem obediendum mandatis cognoscimus proniores, vos ab ijs retrahere satagentes, que et famam vestram obnubilant et afferre vobis possent incommodum et jacturam. Sane cum ex studio litterarum preter infinita commoda, que sentitis, ex eo vestra civitas inter alias sit famosa et in universo mundo nomen annuncietur ipsius, factaque sit altera Bethleem, domus videlicet panis, qui parvulis frangitur in eadem, ex qua exeunt duces, qui regant populum Domini, quoniam in studio eruditi assumuntur ad regimen animarum, non solum debetis a scholarum gravaminibus conquiescere, verum etiam illos honoribus prevenire, attendentes, quod ipsi gratuito ad studendum vestram preelegerint civitatem, que cum prius esset humilis, per eos ibidem congregatis divitiis fere supergressa est civitates provincie universas. Verum vos ad hec, sicut ex parte Universitatis ipsorum fuit propositum coram Nobis, debitum non habentes respectum, gratiam ipsorum in debitum et libertatem in servitutem molientes, reducere statuistis, ut si quis inventus fuerit secretam pactionem vel conspirationem pro Studio a civitate bononiensi ad locum alium transferendo facere, vel fecisse, et si scholaris quispiam, vel alius quemquam scholarem astrinxerit modo quolibet, quo precipere possit ei, ut causa studii eamdem exeat civitatem, perpetuo banniatur, et omnia bona ejus que Bononie, vel in ejus districtu habuerit, publicentur, et eorum tribuatur medietas accusanti: preterea societatem, vel rectores, scholares non permittantur habere, nisi hoc capitulum in eorum

(1) Ex eodem Registro, eodem anno XXVIII. junii.

(2) Vide infra in *Excerpt. Statut. Pop. Bonon.*

(3) Ex Regist. II. Honorii III., ep. 728, fol. 179.

juramento ponatur; videlicet, quod non dabunt operam ut Studium ad locum alium transferatur, nec cuiquam scholari precipient ut gratia studij abscedat a civitate predicta et numquam hujusmodi mutabunt capitulum cum consilio vel sine consilio eorumdem; ac si aliquis contrafecerit, modo simili banniatur et bona publicentur ipsius. Potestas quoque infra duos menses ab ingressu sui regiminis teneatur predictum capitulum jurari facere a Rectoribus scholarium, si qui fuerint, vel infra quindecim dies ex quo extiterint rectores electi et in societatum scholarium scriptis poni, nec permittat bononiensem aliquem, vel extraneum, nisi primo juraverit quod non leget alibi, extraordinariam aliquam legere lectionem. Unde ex ijs dilectus filius nobilis vir W[ilielmus] de Pusterla, Potestas vestra, occasione assumpta, in eos indebitam jurisdictionem usurpans, libertatem ipsorum infringere nititur et contra eamdem, pretextu ipsorum pro quorum observatione asserit se jurasse, illos in pluribus aggravare. Verum quia Statuta hujusmodi proculdubio sunt iniqua et manifeste obviant scholastice libertati, et juramentum super observatione ipsorum prestitum non esse, utpote illicitum, observandum, cum nec judicium habeat, nec justitiam, eumdem W[ilielmum] monendum duximus et hortandum, apostolicis sibi dantes literis in preceptis, ut scholares predictos contra libertatem hactenus habitam occasione Statutorum ipsorum, que velut iniqua duximus reprobanda, de cetero non molestet libertatem eamdem modo quolibet infringendo, ut studium eorum impediri non possit, sed potius floreat ad Dei honorem ac profectum studentium, nec non ad ipsius gloriam civitatis, ne si secus attentare presumpserit, Nos super hoc cogamur aliud cogitare. Quocirca Universitatem vestram monemus et exhortamur attente, quatenus, consideratis utilitatibus et honore ex scholaribus vobis et civitati vestre provenientibus, ipsos charitatis brachijs amplexemini et pretextu Statutorum ipsorum, que dicenda sunt potius destituta, contra libertatem antiquam et habitam hactenus, ipsos nullatenus molestetis, nec faciatis per Potestatem eamdem, remisso sibi juramento predicto, de cetero molestari, permittentes eosdem solita libertate gaudere, ut quieto animo possint inherere scholasticis disciplinis et Nos devotionem vestram possimus in Domino commendare; ne si secus egeritis, quod non credimus, contra voluntatem nostram cogamur faciem nostram vobis ostendere duriorem.

Datum Viterbij VIII. idus aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

VI.

1220, 13 mai.

Ex eodem tomo, num. XIX.

[Ut bononienses ad abroganda praedicta Statuta cito compellantur].

Honorius III. (1) Potestati et Populo bononiensi.

Statutis civitatis vestre factis contra scholares olim nobis exhibitis, tibi fili Potestas, dedimus in preceptis, ut scholares predictos contra libertatem hactenus habitam occasione Statutorum ipsorum, que velut iniqua duximus reprobanda, de cetero [non] molestares libertatem eamdem quomodolibet infringendo, Universitatem vestram nihilominus exhortantes, ut, consideratis utilitatibus, et honore provenientibus vobis ex scholaribus ipsis, per Statuta hujusmodi non molestaretis eosdem, nec faceretis de cetero molestari; juramentum super illorum observatione prestitum, cum illicitum fuerit, remittentes, quod vobis facere differentibus, dilecti filij R., doctor decretorum et O. de Toennengo viri literati, providi et fideles pro Universitate ipsorum scholarium nostram presentiam adierunt, super ijs apostolice provisionis remedium implorantes. Porro dilecti filij Hugo legum doctor et Fredericus viri providi et fideles perversitatem Statutorum hujusmodi conati multipliciter palliare, tandem duo ex Statutis ipsis, videlicet de rectoribus et lectionibus extraordinariis, in nostre dispositionis beneplacito libere posuerunt, supplicantes, ut super

(1) Ex Regist. II., Honorii III., ep. 729, fol. 179.

alijs providere paterna sollicitudine dignaremur. Quia igitur Statuta omnia que in literis nostris prius ad vos hac de causa directis plenius continentur, merito reprobavimus, quare vos non decet illis de cetero inherere, devotionem vestram monendam duximus et hortandam per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes quatenus, attendentes quod scholares ipsos benignitate retinere potestis melius quam duritie, que facit ut multi etiam naturalem soli dulcedinem derelinquant, Statuta ipsa de vestro capitulario penitus deleatis, ac juramentum super illorum observatione prestitum dicte Potestati, cum ad observationem ejus, tamquam illiciti, minime teneatur, remittentes omnimo per Statuta eadem, vel similia Studium quo in civitate vestra florente civitas ipsa floret, non turbetis de cetero nec turbari aliquatenus faciatis, sed scholares ipsos honorificentijs consuetis et bonis conditionibus, que via erit potior et potentior, curetis ad terre vestre gloriam et commodum retinere, scientes Nos venerabili fratri nostro Episcopo parmensi, et dilectis filijs Archidiacono et Archipresbitero reginensi, per scripta nostra mandasse, ut si quod de Statutis ipsis delendis adimplere distulerint ultra mensem, vel ipsorum scholarium de cetero infringeritis libertatem; ipsi vos tam ad eadem Statuta delenda quam ad libertatem eorumdem scholarium conservandam, per censuras ecclesiasticas, appellatione remota, compellant. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Datum Viterbij tertio idus maij, Pontificatus nostri anno quarto.

VII.

1220, 11 novembris.

Ex edit. *Corp. Iur. Civ.*

[Fridericus imp. Constitutionem ad doctores et scholares bononienses trasmittit, ut in Corpus Iur. Civ. *inferrent et in scholis publice explicarent].*

Fredericus, Romanorum etc. semper Augustus, Universis sacrarum legum doctoribus et scolaribus Bononie commorantibus salutem et gratiam suam (1).

Ad honorem omnipotentis dei et ecclesie sancte sue in die quo de manu sacratissimi patris nostri H[onorii] summi pontificis suscepimus Imperij diadema, edidimus quasdam leges, quas presenti pagine fecimus annotari, per Imperialia vobis scripta mandantes quatenus eas faciatis in vestris scribi codicibus et de cetero legatis solempniter tamquam perpetuis temporibus valituras. Sunt autem hee leges: « Ad decus et decorem Imperij, ad laudem Romani pontificis ..... » (2).

(1) Fridericus II., eo ipso die, quo imperator inauguratus est ab Honorio III., Constitutionem edidit, qua Statuta quaevis a civitatum magistratibus, aut a quibuscumque aliis contra libertatem ecclesiasticam lata, extincta plane voluit; aliaque multa sancivit optimo et christiano principe dignissima. Edita est haec Constitutio post *Libros feudorum*, et in compendium redacta, Codici etiam inserta fuit (Cod. *de Sacrosanct. Eccles.*, tit. II., 12, l. *Cassa et irrita*) a doctoribus nostris, mandante Friderico. Is enim Constitutionem hanc et leges, quae in ea continentur, ad doctores et scholares Academiae nostrae transmisit, non tam singularis honoris causa, quam ut illam in *Corpus juris civilis* inferrent et in scholis publice explicarent. Habemus id ex epistola eidem Constitutioni praefixa, quam hic in lucem emittimus ex Codice Regii hispanorum Collegii s. Clementis (Cod. num. 275, pag. 106).

(2) Sequitur deinde Constitutio, quae extat sine hoc prologo post *Libros feudorum* manuscriptos in eadem Bibliotheca Collegii hispanorum codice egregio in folio magno n. 282, pag. ult. Arbitror idem proemium, quod hic dedimus, extare in Codice Bibliothecae Canonicorum Ecclesiae Pistoriensis, quem indicat vir clarissimus Franciscus Antonius Zaccarias (*Bibl. Pistor.*, par. I., c. III., pag. 15) e Societate Jesu. In eo codice, praeter alia, continentur *Leges Friderici II. Doctoribus et Scholaribus Bononie commorantibus, edite mense novembri MCCXX.* Hoc anno certe, die festo sancti Martini, imperiali corona insignitus est Fridericus II. ab Honorio Pontifice, atque eo ipso die promulgavit leges ea Constitutione contentas; nec verisimile est alias ab eo leges per illud ipsum tempus conditas, quae nostris doctoribus et scholaribus fuerint inscriptae.

VIII.

1265, 21 martii.

Ex archivo s. Francisci Bonon., lib. M, n. 63, nunc in Tabulario Maximo Bononiensi, sect. « *Demaniale* », num. $\frac{344}{5089}$.

[De rectore Universitatis ultramontanorum creando: de eligendo rectore a scholaribus theutonicis quinto quoque anno: de Nationis Vasconum cum Pictariensi coniunctione, et de iuramento a Rectore praestando].

In nomine Domini, amen. Cum esset discordia inter scolares Universitatis ultramontanorum super ellectione, seu creatione Rectoris dicte Universitatis, videlicet Gallicos, Picardos, Burgundios, Pictavienses, Turonenses et Cenomanenses, Normannos, Catelanos, Ungaros et Polonos ex una parte; ex altera vero scilicet Theotonicos, Yspanos, Provintiales, Anglicos et Vascones (1), dicta Universitas ad hoc convocata more solito in ecclesia sancti Proculi, unanimiter elegerunt dominum Petrum de Vindocino cantorem cenamonensem, dominum Gobertum abbatem sancti Felicis Geronde, dominum Aymonem prepositum ghibennensem, magistrum Guillielmum de Faia, dominum Arnaldum de Podio Amaro pro dictis novem Nationibus primis; pro quatuor vero ultimis Nationibus dominum Dominicum Petri, magistrum Scholarum Bracharensem, fratrem Henricum de Domo Teotonica, dominum Raginaldum canonicum burdegalensem, dominum Guilielmum de Reali, dominum Joannem dictum Flamingum tamquam arbitros, arbitratores et amicabiles compositores. Et promisit dicta Universitas, juramento prestito per Ardizonem bidellum generalem in animas universorum et singulorum dictarum Universitatum, seu Universitatis, attendere et observare quicquid per dictos arbitros et amicabiles compositores per viam juris compromissi seu amicabilis compositionis definiretur, seu ordinaretur, vel amicabiliter componeretur, prout in compromisso scripto manu Henrigipti Feliciani notarii continetur. Ipsi vero arbitri, invocata Spiritus Sancti gratia, unanimiter considerato bono statu et tranquillitate Studii bononiensis presentis et futurj, ordinaverunt, firmaverunt et amicabiliter composuerunt in hunc modum: videlicet quod deinceps uno anno debeat elligi rector de una de quatuor Nationibus, scilicet Gallicorum, Yspanorum, Provintialium, vel Anglicorum, et debeant jurare ellectores, qui pro tempore fuerint, quod ipsi elligent bonum et ydoneum et quem utilem crediderint Universitati de aliqua dictarum quatuor Nationum. Alio vero anno eligatur Rector de aliqua de dictis octo Nationibus, videlicet Picardorum, Burgundiensium, Pictaviensium, Turonensium et Cenamonensium, Normanorum, Catelanorum, Ungarorum, Polonorum; et jurent ellectores se electuros illum, quem bonum et ydoneum crediderint Universitati. Hoc acto, quod tertio anno postea subsequenti eligatur rector de natione Theutonicorum et jurent ellectores illum eligere, quem utilem crediderint Universitati; et postea primo anno de dictis quatuor Nationibus, et secundo anno de alliis octo, tercio anno de dictis quatuor Nationibus, et quarto anno de dictis octo. Quinto vero anno elligatur de dicta Natione Teotonicorum, et ita de quinquennio in quinquennium habeant Teotonici rectorem, servando ellectores formam iurandi ydoneum et utilem elligere ut dictum est. Et hoc idem sic invenimus hactenus observatum et totta Universitas sic concessit eisdem Teotonicis; et sic in perpetuum fiat. Insuper ordinaverunt et pronuntiaverunt pro bono pacis et concordie, quod deinceps Vascones uniantur Nationi Pictaviensium, ita tamen quod de cetero nominetur Natio Pictaviensium et Vasconum. Concedentes dicte Nationi Pictaviensium et Vasconum duos consiliarios et duos ellectores tempore elligendi rectorem perpetuo. Et quod de cetero super nominibus Nationum nulla oriatur discordia, nec inmutetur nomen allicujus Nationis, vel addatur, vel detrahatur nomini allicujus Nationis. Et si aliquem scolarem contigerit pervenire ad civitatem Bononie, necesse habeat esse de alliqua dictarum tredecim Nationum et sub alliqua

(1) Quid Universitati nostrae honorificentius in tanta exterorum ex tam diversis et longinquis regnis et provinciis ad Scholas nostras adventantium multitudine?

dictarum Nationum iurare Rectori, qui pro tempore fuerit et magis vicinam sibi Nationem secundum arbitrium rectoris et consiliariorum, qui pro tempore fuerint, debeat acceptare. Item insuper ordinaverunt et pronuntiaverunt, quod quicumque fuerit ellectus in rectorem in continenti debeat iurare predicta omnia, que in dicto instrumento continentur observare; et si iurare noluerit, eius ellectio nulla sit, sed allium in continenti elligant, qui similiter predicta iurare debeat observare. Et predicta omnia mandaverunt inviolabiliter, inrevocabiliter ac firmiter observari ab utraque parte, et non mutari, intelligi, vel interpretari in perpetuum, nisi secundum quod hec litera jacet. In cujus rei testimonium voluerunt predicti arbitri et arbitratores et predicta Universitas, sigillum Communis Bononie et domini Episcopi bononiensis presentibus apponi, et per me infrascriptum notarium publice roborari et facere plura instrumenta unius tenoris; unum tamen eorum sit apud Fratres Minores, et aliud penes Fratres Predicatores.

Lata seu prolata fuit hec sententia sive laudum, et promulgatum de voluntate et consensu predictorum decem dominorum per dominum Arnaldum de Podio Amaro, qui de ipsis decem est, ut superius scriptum est, et jurata per Ardicionem bidellum generalem in animas dicte Universitatis, sic firma esse, sub anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, indictione octava, die undecimo exeunte martio in ecclesia predicta, presentibus Henrigipto Felitiani notario, domino Bernardo de Durfort provintiale, domino Rufato de Tribus Aquis de Natione Vasconum, Alexandro de Orfort, Henrico de Ludela anglicis, magistro Simone Matifardi, magistro Petro Joselini, domino Raginaldo Pictaviensi, testibus rogatis et vocatis etc.

(L. † S.) Ego Arlottinus Cambij, imperiali auctoritate notarius, rogatus, et mandato predictorum dominorum et dicte Universitatis, scripsi (1).

IX.

1291, 18 augusti.

Ex tomo XXXXIV., *Codicis Diplomatici Bononiensis,* num. XXXVI.

[Pontifex Gymnasii bononiensis alumnos ubique gentium docere posse decernit].

Nicolaus IV. (2) dilectis filijs Universitati Scolarium Bononie commorantium.

Dum attente considerationis indagine perscrutamur, quod per literarum studia cooperante illo a quo omne datum optimum, omneque bonum confluit et perfectum, viri efficiuntur scientiis eruditi per quos equum ab iniquo discernitur, erudiuntur rudes, provecti ad altiora concrescunt et fides catholica invalescit, libenter loca ubi hujusmodi pollent Studia et studentes in eis gratis munimus immunitatibus et libertatibus honoramus. Cupientes itaque ut studentes in agro scientiae apud civitatem Bononiensem ad magisterij braviüm animentur et ut in artibus in quibus cathedra decorari meruerint magistrali cunctos ubique valeant erudire, tenore praesentium decernimus, ut quicumque ex Universitate vestra apud civitatem predictam per Archidiaconum bononiensem, vel ejus Vicarium, prout est ibidem hactenus observatum, examinatus et approbatus fuerit, et docendi ab eo licentiam obtinuerit in jure canonico vel civili, ex tunc absque examinatione vel approbatione publica, vel privata, aliquo, vel alio novo principio regendi atque docendi ubique locorum extra civitatem bononiensem predictam liberam habeat facultatem, nec a quoquam valeat prohiberi, et sive velit legere, sive non, in facultatibus prelibatis, pro doctore nihilominus habeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum apud Urbem veterem quintodecimo kalendas septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

(1) Editum in opere: *Acta Nationis Germanicae Universitatis bononiensis ex archetypis Tabularii Malvezziani, iussu instituti germanici savignyani ediderunt Ernestus Friedlaender et Carolus Malagola. Berolini, Typis et impensis Georgii Reimeri, MDCCCLXXXVII.,* pag. 347-348.

(2) Ex Reg. III. Nicolai IV., ep. 435, fol. 85.

X.

1301, 22 novembris.

Ex eodem tomo, num. XXXXIV.

[Ut bononienses ex variis Aemiliae locis commeatus in Urbem, ratione gymnasii, comportare posse decernitur].

Bonifacins episcopus servus servorum Dei (1), dilectis filiis Potestatibus, Rectoribus, Consiliis et Communitatibus ravennatensis, cerviensis et ariminensis civitatum, ac castri Argente ravennatensis dioecesis, nec non et aliarum quarumcumque civitatum, castrorum et locorum per Provinciam Romaniole constitutis, Ecclesie romane fidelibus, ad quos litere iste pervenerint.

Considerantes sincere devotionis affectum, quo dilecti filij Communis Bononiensis a longis retroactis temporibus erga romanam ferverunt Ecclesiam et apostolice Sedi, velut matri et domine, adheserunt reverentia filiali, ipsos non immerito paterna dilectione complectimur et quantum cum Deo possumus, libenter annuimus petitionibus eorumdem. Sane pro parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum eorum civitas, tam pro suorum multitudine civium, quam scholarium illam incolentium ratione vigentis inibi studii generalis ac aliorum confluentium ad eamdem victualibus et aliis mercimoniis egeat, illaque eos oporteat in vestris et aliis terris emere et ad prefatam suam adducere civitatem, emendi ea in terris vestris, et ipsa ac alia empta ubilibet deferendi et transferendi per terras, aquas et portus ac districtus vestros per se vel per alios, eis licentiam concedere dignaremur, Nos autem, eorumdem supplicationibus inclinati, prefatam, sicut premittitur, emendi, deferendi, seu transferendi, usque ad nostre beneplacitum voluntatis, illis licentiam duximus concedendam. Quocirca Universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eosdem bononienses in terris vestris emere et ipsos ac alios deferre seu transferre Bononie queque victualia et mercimonia tam in ipsis terris vestris, quam alibi empta, per terras, aquas, portus ac districtus vestros prefatos libere ac pacifice sine contradictione aliqua permittatis.

Datum Laterani X. kalendas decembris, pontificatus nostri anno septimo.

(1) Ex Regist. anni VII. Bonifacii VIII., epist. 255, fol. 67.

MONUMENTA

SPECTANTIA

AD PROFESSORES JURIS CIVILIS.

I.

1154, 9 aprilis.

Ex archivo sancti Stephani nunc in Tabulario Max. bononiensi, sect. « *Demaniale* », num. $\frac{11}{947}$.

† In nomine summe et individue Trinitatis. Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, quinto idus aprilis, indictione secunda. Dominus namque Guibertus Dei gratia abbas ecclesie sancti Stephani, quondam Jerusalem vocata, a domino Ildeprando hospital[ario] et administratore hospitalis de sancto Stephano in Quaterna debitam et solitam hobedientiam, more predecessorum, petens, velut a suo subdito sub dominio et dictione ecclesie beati Stephani de Bononia permanere putante petiit. Qui, diabolica suggestione et sagitta percussus, contra suum dominum et abbatem effectus apostata, recalcitrans debitam et solitam hobedientiam facere recusavit et se et hospitale, in quo erat pro ecclesia sancti Stephani, ipsi ecclesie denegavit. Quo ad notitiam summi et universalis ecclesie pontificis ac pape Anastasii per predicti abbatis nuntium pervento, per apostolica scripta causam hanc Gerardo bononiensi episcopo cognoscendam diffiniendamque mandavit. Ante cujus presentiam parte utraque presente cum suis prudentibus et advocatis, interrogatus Ildeprandus, pro quo presideret et in hospitale esset, non respondit. Quadam autem vice dixit, se pro laicis et parentibus suis interesse. Tandem dicens, se multitudine circumstantium et audientium solo visu gravatum appellavit quam postea refutavit. Abbas vero appellationem suscepit et appellationis causam per suum nuntium domino Apostolico notificavit. Dominus quidem Apostolicus absque ullo appellationis subterfugio causam iterum cognoscendam domino Ildeprando Diacono Cardinali sancti Eustach[ii dele]gavit, eique eamdem causam diffinire injuncxit. Quem cum sepe vocasset et presentem monuisset, quatenus prenominato abbati justitiam faceret et coram eo juditio sisteret, Ildeprandus ille per evidentem contumatiam venire contempsit. Eo vero venire recusante et juditium fugiente, Abbate autem cum suis testibus et allegationibus cominus consistente, et suam consequi rationem petente, taliter prememoratus Cardinalis super causam pronuntiavit: Ego Ildeprandus diaconus cardinalis sancti Eustachii et ex delegato domini pape Anastasii, cause, que vertitur inter Abbatem sancti Stephani et Ildebrandum custodem hospitalis sancti Stephani de Quaterna cognitor, cum sepe predictum Ildebrandum vocaverim et presentem monuerim, quatenus prenominato Abbati iustitiam faceret et coram me iuditio sisteret, et ipse per contumatiam evidentem venire contempserit, pronuntio predictum Abbatem sancti Stephani in possessionem predicti hospitalis de Quaterna et rerum ad ipsum hospitale pertinentium mittendum, ipsumque Ildebrandum ab administratione cessare iubeo. Qua

sententia lata, statim cum Bononiensi Episcopo ad predictum hospitale prefatus Cardinalis iter direxit et p[renomin]atum Abbatem in predicti hospitalis possessionem intromisit.

Actum in claustro sancti Salvatoris indictione predicta.

Prenominatus dominus Ildeprandus diaconus cardinalis sancti Eustachii, sicut supra legitur, scribere rogavit.

[Johannes] Episcopus Placentie, et dominus Guilielmus Archidiaconus Papiensis, et magister Albertus de Cormazo, et magister Rolandus, et dominus Bartholomeus, et dominus Landulphus, et dominus Johannes Albertus, et dominus Guibertus de sancto Stephano in Quaterna, et dominus Ubertus, et dominus Rodulphus monachi, Bulgarus causidicus et legis doctor, et Martinus Gosia, et Ugo de Porta Ravennate, et Jacobus causidici et legum doctores, et Ugo de Arimundo, et Ugo de Donnanis, et Guarinus de Guarinis, et Leonardus Russi de Arimundo, et Petrus Garisindus, Ugo de Petromignani, Albertus de Albaro, Guido Petri de Rusticano, et Ubertus de Rainerio, et Garsidonius filius quondam Bavosi, et Rainerius filius Henrici de Geremia, et Ugo de Bonofantino, et Guillelmus Botte, et Bezo, et Stephanus de Gaibana, et Blancasola, et Guillelmus Papiensis, et magister Armannus, et magister Stephanus, et dominus Guillelmus Bergundio monachus de Fruttera, et dominus Antonius, et Pontius, et Rodulphus, et Buca de Zappa, et Rainerius Lucensis, et Amedeus de Aliano, et Pinzarone et alii quamplures huic sententie interfuerunt.

(L. † S.) Rolandinus bononiensis et potestatis notarius, Gerardi tabularii filius, huic sententie interfui, et domini Cardinalis iussione omnia, sicut supra leguntur, complevi et scripsi.

II.

1169, 25 aprilis.

Ex archivo Abbatiae sancti Gregorii ad Sapinam (1).

In nomine sancte et individue Trinitatis. Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo sexagesimo nono, imperante domino Frederico Romanorum Imperatore semper Augusto, octavo kalendas aprilis, indictione secunda. Constat me quidem dominam Agnetem, presente et consentiente viro meo Rainerio de Preitone, filiam beate memorie domini Gualfridi judicis, hoc venditionis instrumento in presentia perfecto dominii et proprietatis ac possessionis jure, vendidisse et hujus rei gratia tradidisse tibi presbitero Rainerio accipienti in honorem Dei et ecclesie sancti Gregorii, et pro domina Cecilia, abbatissa ejusdem ecclesie et pro cunctis ejus sororibus ac successoribus in perpetuum, idest totam et integram peciam unam terre positam prope Savinam, non longe a monasterio sancti Gregorii, cum ingressu et egressu suo usque in via publica, vel cum omnibus super se et infra se habente in integrum; cui sunt fines: a mane possidet Burellus, a meridie possidet predicta ecclesia sancti Gregorii, a sero possidet ecclesia sancti Stephani, ab aquilone est strata publica sancti Vitalis, vel si qui alii adfines sunt. Totam, ut predixi, peciam terre in integrum pro pretio decem librarum denariorum lucensium, in presenti vendo et concedo tibi prenominato presbitero Rainerio accipienti pro predicta ecclesia, ac pro domina Cecilia ejusdem ecclesie abbatissa, et pro cunctis ejus sororibus et successoribus in perpetuum, ad habendum, tenendum ac possidendum et quicquid exinde placuerit faciendum, ut nullam litem, nullamque controversiam predicte rei nomine a me, nec a meis heredibus ullo modo, quolibet in tempore, prenominata ecclesia deinceps sustineat. Ego vero predictam rem ab omni homine legitime defendere et auctorizare promitto. Et si ego vel mei heredes predicta omnia firmiter semper observare noluerimus, pene nomine viginti libras denariorum lucensium dare vobis ve-

(1) Archivium S. Gregorii ad Sapinam, a Sartio compulsum, nec in Archivo Maximo Bononiensi, nec in Archivo metropolitani Capituli, nec apud ecclesiam S. Gregorii Bononiae, nec in nosocomio, cui dicitur *Ricovero di Mendicità*, et cui praefata S. Gregorii ad Sapinam ecclesia adhaeret, nec ad viciniores paroecias S. Antonii ad Sapinam et S. Mariae Alemannorum inveni. Propterea documentum sub fide cl. Sarti evulgatur. (C. M.)

strisque successoribus promitto. Et insuper hoc venditionis instrumentum, ut supra legitur, semper incorruptum tenere spondeo.

Actum in Guaita Marchixana, indictione secunda predicta.

Prenominata domina Agnes, presente et consentiente viro suo, hoc venditionis instrumentum, ut supra legitur, scribere rogavit.

Rainerius de Michola invest., Johannes de Calcagnile, Guidottus de Visconte, Petrus Nuvilo rogati testes.

Ego Albertus, imperatoris Frederici notarius, hoc venditionis instrumentum, ut supra legitur, scripsi et subscripsi.

III.

1177, 4 decembris.

Ex codice vatic. 1435, ex membrana in fol. universum *Corpus Iuris* continenti (1).

Federicus, Dei gratia Romanorum Imperator, et semper Augustus.

Cunctis nostro Imperio subjectis, hac edictali lege in perpetuum valitura, decernimus ut Judex nullus, magnus vel parvus, Archiepiscopus seu Abbas, vel Marchio, vel Comes, vel quilibet noster Nuncius de sententia diffinitiva ultra XII. d[enarios] de libra ab actore vel a reo accipiat, secundum quantitatem in libello comprehensam: de sententia vero possessionis VII. d[enarios] de libra; que judicatura sic percipienda est. Ille, qui est major judex vel vic[ari]us (2), habeat medietatem, hoc autem in civilibus causis; at in criminalibus, si perventum fuerit ad pecunie estimationem. De bonis autem damnatorum, seu proscriptorum secundum quod novis constitutionibus cavetur, sic jubemus in ipsis observari. De bonis vero decedentium sine liberis, vel sine testamento secundum quod in legibus romanorum Imperatorum statuitur, sic etiam sic ratum esse statuimus. Si quis vero miserabili persone fortuna naufragiorum aliquid abstulerit, pene antiquarum legum subjaceat. Si quis nuntius [nostrorum] contra hoc legum statutum venire presumpserit et ausus fuerit, XX. libr. argenti pene subjaceat. Insuper pro ut ausa sit civitas, Dux, Marchio .... mulctandus; quod sic volumus intelligi, si sit civitas, Dux, Marchio, seu Comes, et aliqua magna persona, vel Vicecomes, vel castrum magnum. Si vero parva persona est, pene unius marche subjaceat, vel corporalem castigationem sustineat. Preterea volumus, ut nullus Judex pe[re]mptori[o] edicti die sententiam proferre audeat, quia ista dies judicii tota datur vocato ad justitiam, ni immineat necessitas Judici absentem vocare.

Die Domini IV. mensis decembris MCLXXVII. indictione X., data apud Auximum.

(1) Sic de hoc codice clarissimus Sartius: « .... *cum diversis constet partibus, diversa manu conscriptis, de singulis pauca hic afferemus, antequam Friderici I. Constitutionem* de Sportulis *exscribamus. Paginae omnes sunt 228. A pag. 1 usque ad pag. 141 idem amanuensis tam textum quam glossas ad marginem conscripsit, desinens in caput:* De sanctissimis Episcopis et merentissimis Clericis: *ad cujus calcem haec habentur:* Finitum est hoc opus anno Domini MCCLXXXXVI. *Tum sequitur liber X. de jure Fisci, sed diversae manus, quamvis ejusdem fere antiquitatis esse videatur. Glossae, quae ad marginem perpetuo adjiciuntur, desinunt in caput:* Quemadmodum munia civilia inducantur. *Et Accursii quidem Glossae, quae textum comitantur usque ad praedictum caput, non semel hac nota distinguuntur:* Accursius Doctor Legum, et doctissimus. *Hujus secundae partis postremum caput est* de Primipilo, et publicae laetitiae; *additurque rubrica Codicis.*

Jam vero a pag. 208 incipiunt Consuetudines feudorum *cum nonnullis Constitutionibus Lotharii, Friderici, et Henrici Imp. Tertia haec veluti pars recentioris est manus et aetatis; a praecedentibus tamen parum distare videtur. Postrema Constitutio, quae in hac tertia parte occurrit, est Friderici I. Imp., ut supra innuimus, eamque hic excribimus* ».

Vide *Monumenta Germ. Histor.* (*Legum*, tom. II., p. 162), edidit G. H. Pertz. Hannoverae, 1837.

(2) Sartius: « *vicinus* ».

IV.

1186, 15 iunii.

Ex archivo sancti Stephani, nunc in Tabulario Max. bononiensi, sect. « *Demaniale* », num. $\frac{15}{951}$.

(L. † S.) In Christi nomine. Anno ejusdem millesimo C.° lxxxvi.° indictione iiii., domino imperatore Frederico et filio ejus rege H[en]rico regnantibus, XVII. kalendas julii, die dominico. Cum lis et controversia verteretur inter dominum Gonterium Leonensem abbatem, domino Osberto priore de Panzano ejus procuratore in causa existente, et dominum Raincrium abbatem sancti Stephani de ecclesia sancti Blasii de Vogulo cum suis pertinentjis, coram domino Rainerio bonon. archipresbitero, et magistro Martino mutinensi praeposito, et domino Alberto priore sancti Cesarii, cognoscentibus ex delegatjone domini Urbani Papae III. Quam ecclesiam cum suis pertinentjis dictus prior nomine ecclesiae sancti Benedicti petebat et injuste ab abbate sancti Stephani occupatam asserebat. Quapropter lite contestata, possessionis et fructuum restitutjonem exigebat in jam dictis judicibus; uterque abbas et prior concorditer compromiserunt. Ipsi vero judices talem concordiam jure transactjonis inter eos fecerunt, videlicet quod dictus dominus Abbas Leonensis, dicti Prioris consensu, concessit dicto domino Abbati sancti Stephani et ejus successoribus dictam ecclesiam sancti Blasii cum suis pertinentjis in perpetuum tali tenore: Quod dominus Abbas sancti Stephani et ejus successores debent dictam ecclesiam sancti Blasii secundum sancti Benedicti regulam, cum tanto numero monachorum et clericorum tenere, ut divinum officium secundum illius loci facultatem possit expleri; reddendo annualiter, nomine census sive pensionis pro jam dicta ecclesia et ejus pertinentjis, X. soldos imperiales in perpetuum in mense martio in curte Panzani, et unam albergariam singulis annis Abbati Leonensi, vel Priori cum decem equitaturis sero et prandio apud Vogulum, et si alius eorum nuncius, cum iiii.^{or} equitaturis, nec dividatur albergaria, nec duplicetur, nec detur, si eam non exegerit uno anno, quod non possit petere in sequenti duas. Quam ecclesiam cum suis pertinentjis dictus dominus Abbas Leonensis pro se suisque successoribus suprascripto Abbati sancti Stephani et ejus successoribus ab omni homine disbrigare et cum ratione defendere promisit tali modo: quod Abbas sancti Stephani antequam incipiat causam, si a quoquam ei controversia de jamdicta ecclesia et ejus pertinentjis moveatur, nominare debeat Leonensem Abbatem et ei denunciare ut veniat, vel mittat ad ejus defensionem. Et Leonensis Abbas debet venire, vel mittere, expensis tamen Abbatis sancti Stephani, ipse et qui cum eo venerint sine fraude postquam ad causam pervenerint. Et Abbas sancti Stephani debet habere suos advocatos bonos propriis expensis. Et si Abbas sancti Stephani ea quae super facto judicii dicta sunt, non observaverit, nihilominus teneatur ad praedictum censum et albergariam parandam. E contra quoque, si Abbas Leonensis, quae dicta sunt de defensione non fecerit, Abbas sancti Stephani non teneatur solvere dictam pensionem et albergariam, nec aliam penam patjatur alteruter. Et Abbas sancti Stephani nullam collusionem, nullumque pactum cum aliquo faciet de suprascripta ecclesia ad detrimentum Leonensis Ecclesiae. Insuper dictus dominus Abbas Leonensis et Prior pro se, suisque successoribus fecerunt finem suprascripto domino Abbati sancti Stephani et ejus successoribus de fructibus quos ab eo petebant, et violentja quam dicebant sibi fore illatam; penam L. librarum imperialium ambae partes inter se sibi invicem stipulantes, si praedicta omnia non observarent et rata non haberent, pacto suprascripto rato manente post penam solutam.

Actum i[n c]astro Badiani feliciter.

Hujus rei testes fuerunt dominus Pilius juris praeceptor, dominus Petrus de Ferraria, dominus Ugo et Ubertinus de Panzano, praesbiter Ardicio, praesbiter Martinus, praesbiter Majus, Johannes Pizolus, praesbiter Ildeprandus, Girardus de Badiano, Ugolinus Adelasiae, Buualellus et Fantonus, Johannes Pegolotti, Acharisius de Montebelio, Johannes Lupus, domnus Gibertus, magister Bernardus et dominus Wido Crassus dator tenutae et sua auctoritate liberam habeat pote-

statem Abbas sancti Stephani intrandi possessionem. Et sic ei Leonensis Abbas licentjam concessit.

Ego Gunterius Leonensis monasterii Abbas firmavi atque subscripsi.

Ego Frater Osbertus manu mea subscripsi.

(L. † S.) Ego Blasius imperialis sacri palatii notarius interfuj et rogatus scripsj.

V.

1189, 1 decembris.

Ex Tabulario Max. bonon., in *Registro Grosso* (1), lib. I., car. 58 v.

Millesimo centesimo lxxxviiij., kalendis decembris, indictione vij. Consules Bononie, scilicet dominus Gerardus Rolandini, Jacobus Bernardi, Cazanimicus, Boccaderunco, Rambertus de Albaro et Jacobus Alberti de Urso, voluntate et consensu totius Consilii, promiserunt domino Lothario cremonensi, quod neque ipsi, neque aliquis successor eorum cogent predictum Lotharium aliquod sacramentum facere per quod magis sit districtus Communi neque eum prohibebunt, vel cogent regere Studium in civitate Bononie; et tunc incontinenti juravit predictus Lotharius secundum tenorem infrascriptum: Juro ego dominus Lotherius quod ab hoc die in antea non regam scolas Legum in aliquo loco, nisi Bononie. Nec ero in consilio ut Studium hujus civitatis minuatur, et si scivero aliquem ipsum minuere velle, Consulibus vel Potestati qui pro tempore erunt, quam citius potero, nuntiabo et bona fide destruam, Consulibus, vel Potestati, qui pro tempore erunt, bona fide consilium et adiutorium dabo de omnibus, que a me petierint et credentiam eis tenebo.

Ego Guido F[riderici] Imperatoris et nunc Communis Bononie notarius, jussu et voluntate predictorum Consulum et totius Consilii, scripsi.

Presbiter Grassus, Ugolinus de Vado, Henrigettus Bonazunte, Saul et Baruncinus de Pillano ad legendam et ascultandam hanc presentem novam cartam cum veteri interfuerunt, et hujus rei testes rogati fuerunt.

Ego Wilielmus, Sacri Palatii et nunc Communis Bononie notarius, secundum quod vidi scriptum per manum Guidonis notarii Communis Bononie scripsi et exemplavi; nec aliquid in fraudem addidi, vel diminui. Anno Domini MC nonagesimo octavo, xij. kalendas augusti, indictione prima.

VI.

1198, 18 iulii.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. I., c. 66 v. e 67 r.

(L. † S.) In nomine sancte et individue Trinitatis, anno Domini millesimo centesimo nonagesimo octavo, quintodecimo kalendas augusti indictione I. Nos Consules Montisbellii, scilicet Petrocinus, olim Petri de Montebellio filius, ac Henregettus de Pennola, auctoritate et voluntate comunis Consilii Montisbelli, et nominatim Girardetti Sinibaldi, Joculi, Alberti domine Elie, Guidocti Tigrimutii, Portunarii, Guidonis, Rainaldini, et Gerardini de Trullone confitemur totum castrum et districtum seu iurisdictionem Montisbellii et cucherle, ac Montis Maurelli ab antiquo fuisse detenta et exercitata pro Communi Bononie. Nos quoque omne ius sive proprietatis sive emphyteosis sive cujuslibet alterius iurisdictionis, sive districti, nobis in ipsis montibus et cucherla ac curte competens jure ipsius Communis vel jure singulorum nostrum, vobis domino Uberto Vicecomiti Placentie, Bononie Potestati, recipienti nomine Communis Bononie, tuorumque successorum pro Communi Bononie donamus, concedimus, atque transferimus inperpetuum, et

(1) Ita inscribitur pervetustus codex membranaceus Tabularii Maximi bonon. iura Communis continens.

constituimus vos possessores predictorum omnium pro Communi Bononie, et insuper promittimus nomine Communis jam dicti loci et nostro, omnia predicta per nos nostrosque successores perpetuo firma servare et in nullo contravenire, et predictum castrum cum toto monte et cucherla pro Communi Bononie et ad honorem et utilitatem Communis Bononie perpetuo tenere et salvare atque custodire contra omnem hominem. Et homines Bononie eorumque res ac bona in ipso castro et tota ejus curia salvare atque defendere et adjuvare contra omnem hominem; nec aliquem hominem contra honorem Communis Bononie in eo castro aut ejus curia recipere vel retinere. Ipsum etiam castrum et ejus cucherlam predicte Potestati, aliisque Rectoribus Bononie, qui pro tempore fuerint, aut eorum nuntiis, non vetare, nec prohibere pro guerra vel pace suo arbitrio facienda, cum guarnimento et sine guarnimento; et non erimus in facto nec consilio, nec ullo alio ingenio consentiemus per nos, vel per alios quod Commune Bononie perdat predictum castrum vel cucherlam vel ejus honorem, aut ei diminuatur. Et si Commune Bononie aliquo in tempore perdiderit prefatum castrum vel cucherlam, bona fide, sine fraude, cum Bononiensibus et sine Bononiensibus omnimodo pro posse recuperare studebimus, et predicto modo retinebimus. Et pro his omnibus a nobis et nostris successoribus observandis perpetuo, penam mille marcharum argenti vobis domino Uberto Vicecomiti Placentie, Bononie Potestati, pro Communi Bononie recipienti, tuisque successoribus in regimine Bononie promittimus, et omnes nostras possessiones, proprietates et jura vobis obligamus, ut si contrafaceremus nos vel nostri successores, vestra auctoritate, remota omni occasione juris, occupare possitis; et nihilominus pena soluta, omnia supradicta in suo robore permaneant.

Que omnia supradicta sine omni dolo et fraude perpetuo inviolabiliter servari promittimus, et corporaliter attendere juramus. Promiserunt, ut predictum est, et corporaliter juraverunt servare per se suosque successores perpetuo Petrocinus de Montebellio et Henregettus Consules Montisbellii, Guidoctus Tigrimutii, Gerardettus Portunarius, Albertus domine Helie, Joculus de Unzola, Guido Rainaldini et Gerardinus de Trullone, domino Uberto Vicecomiti Placentie, Bononie Potestati, recipienti nomine Communis Bononie.

Actum in domo quondam domini Bulgari, ubi moratur prefata Potestas, presentibus domino Rogerio de Sarturano, domino Martino Aioli, domino Landulfo, domino Giberto et domino Alamanno Judicibus Communis, domino Docto, domino Ramisino, domino Uberto de Baisio, et Marsiliotto Consulibus justitie, Sellario Massario, Johanne Notario Potestatis, Guilielmo Notario Communis, domino Guidone Lambertini, domino Oderico legum doctore, domino Azone, et domino Ugone juris professoribus, Oderico Galitiani, Petro Guidonis Romantii, Ugolino domini Guilielmi, Michaele de Calcagnile, Ramberto de Albaro, Guidone Buualelli, Buualello, Lambertino ejus filiis, Zacharo causidico, Rainerio Spiularie, Ramberto Bazalerii, Bonavolta, Jacobo judice, Granario, Johanne Paolo Guilielmi, Ugolino de Prunario, Barufaldo, Corvulino de Castello, Alberto de Olzano, Barnabau, Ildebrando Henrici Schelfe, Jacobo Martini de Calcina, Rodulfo Guidonis Corvolini, Zambonino Zanzarello, Cambio Tancredi, Guidone de Alborio, Canonico Arardi, Ventura notario, Garxonio, Feliciano, Bolnisio ejus fratre, Ubaldo de Scanello, Zacharia Rambaldo ejus filio, Victorio Petri de Vite, Angelino, Guastafaseolo, et Lambertuccio Fafforum ad hec specialiter rogatis.

Ego Tettacapra olim F[riderici] imperatoris auctoritate notarius, rogatus interfui et subscripsi.

VII.

1198, 31 octobr.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. I., c. 68 r.

Anno Domini M. C. nonagesimo octavo, indictione j., pridie kalendas novembris in Bononia, in Pontili hospitii domini Uberti, bononiensis Potestatis, coram domino Ugolino de Gosio, judice, Petro de Romancio, Rodaldo Rubeo, Palmerio causidicis, et aliis multis ꝯ dominus Johanninus Preceptor, tactis sacrosanctis Evangeliis, iuravit quod de cetero in aliquam aliam

terram non leget scientiam legum scholaribus nisi in Bononia, et quod non dabit operam nec consilium nec adiutorium quod scolares in aliam civitatem debeant morari, nec Studium de Bononia Legum debeat diminui et consilium Potestatis et Judicibus de Comuni vel Rectoribus qui pro tempore fuerint, bona fide dabit cum ab eo petierint.

(L. † S.) Ego Johannes Pileti notarius Communis et domini Uberti, Potestatis bonon., interfui et scripsi.

VIII.

1198, 30 decembris.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. I., c. 68 v.

Anno Domini M. C XC VIII., tertio kalendas januarii, indictione prima, presentibus testibus domino Blanco videlicet et domino Bandino Gaettani filio, domino Lamberto quondam Galli, domino Rolando Soavis filio, domino Ugolino Grotti filio, presentibus domino Lothario legum perito, domino Rogerio de Sarturano, domino Guidone Grasso, Martino Aioli, Uberto de Baisio, Marsiliotto, Guidone Accarisii, Enregetto de Cornaclino, Consulibus justitie, Alberto Girardi Gisle, et Sellario, Massario Communis Bononie, ℂ dominus Bandinus Familiatus eodem modo et eodem tenore juravit observare quemadmodum dominus Lotharius doctor legum observare juravit; excepto quod non juravit coram hominibus Consilii coadunati ad sonum campane, vel ad campanam sonatam.

(L. † S.) Ego Wuilielmus Sacri Palatii et nunc Communis Bononie notarius, huic sacramento interfui et, ut supra legitur, rogatus scripsi.

IX.

Exeunte saec. XII.

Ex Codice membranaceo Bibliothecae Collegii Hispanorum Bononiae, num. LXXIII., c. CXLIX. r. (1)

Cum inter cetera vivendi genera solam scribendi cupiditatem optimam esse unam vivendi rationem existimem, ea que in templo iustitię reperi, stili offitio posteris insinuare curavi. Erat autem justitie templum domus quedam triangulata, cujus tectum VII. planete apposuerant, dexter autem paries ex variis naturis rerum compositus, sinister vero numeris colligatus, ultimus ex

(1) Est codex pervetustis literis scriptus, sed non eadem manu, quo varia opuscula ad jurisprudentiam spectantia continentur, inter quae praecipue occurrit liber *De instrumento actionum Anselli de Orto,* qui hoc habet initium: « Incipit proemium Anselli de Orto: R. De instrumento actionum et tempore earum, quae cui competat et adversus quorum ».

Sunt etiam in eo codice commentaria non admodum prolixa in leges langobardorum, in quorum prooemio historica quaedam de legibus et antiquis legumlatoribus delibantur, sed inscite et inepte admodum. Auctor operis ibi in hunc modum se prodit (c. lxxij r.): « *Temporis vero processu, quidam Albacrucius nomine, sola Dei gratia, nec alterius ullius amminiculo, pausillum literatus hoc prohemium de juris ordine condidit sicut a pluribus accepit historiis, titulosque per libros (scilicet legum langobardorum) dispersos, et ob id non facile cognitos, in capite voluminis posuit, ut libri totius summa in ipsius libri principio blandiretur* » etc.

Porro in his legis longobardae commentariis non semel nominatur Albertus jurisconsultus: « *Placet Alberto: Albertus hanc sententiam non ponit* ». Albertum Galeottum esse credo, qui paulo post initium saeculi XIII. vivebat.

Est pariter in eo codice (c. CLXVII.) tractatus qui hunc habet titulum, recentiori charactere appositum: « *Incipiunt Diversitates Dominorum in Jure* ». Citantur autem in ora libri « *Domini* », idest doctores, quorum sunt singulae sententiae, literis initialibus eorum nomina designantibus, scilicet « B., M. et Ja. », quibus opinor notari « Bulgarum, Martinum et Jacobum », notissimos jurisconsultos; semel etiam citatur Glossa in margine (c. CXLIX. r.) cui notationi haec verba respondent: « *Usus clausula domini Guarnerii, qui dicit ex ignorantia defecit id, quod a sciente fieret* » etc.

quibusdam formis contextus fuerat. Preterea fundamentum casibus constructum, argumentis confirmatum, coloribus veluti quibusdam floribus erat variatum. Hanc domum in partibus urbis Bononie, dum me fortuna duceret suasque pompas ostentaret, inveni, et in ea diutius consedi ac diligenti inquisicione omnia perscrutatus sum. In qua omnes acciones et accusationes iustitie precepta exequentes quasi quedam pedisseque ad varia ministeria fuerant destinate. Quarum offitia breviter et tamquam modo introductorio declarare proposui. Hec itaque quasi quedam paraticia legant rudes, ut fiant doctores, legant docti ut fiant doctiores: nec quis dicat sed quid dicatur intueatur.

X.

1207, 22 ianuarii.

Ex archivo s. Joannis in Monte nunc in Tabulario Max. bonon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{12}{1352}$, lib. XII., doc. 7.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio preposito sancti Prosperi Bononiensis, salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filij prior et fratres s. Johannis in Monte suam ad nos querimoniam transmiserunt, quod cum inter ipsos ex una parte, ac abbatem et conventum sancti Stephani bononiensis ex altera, coram magistro Baldino decretista, delegato a bononiensi Episcopo, cui venerabilis frater noster ferrariensis Episcopus, delegatus a nobis, causam ipsam commiserat super quibusdam possessionibus et aliis questio verteretur, idem prior et fratres, sentientes se contra justitiam agravari, per Sindicum suum ad Sedem Apostolicam appellarunt. Sed idem Baldinus appellationi non deferens, contra eos iniquam sententiam promulgavit. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus legitime de appellatione cognoscens, sententiam ipsam confirmare vel infirmare, appellatione remota, procures sicut de jure fuerit faciendum. Data Rome apud sanctum Petrum, IIII. idus decembris pontificatus nostri anno decimo.

In eterni Dei nomine, amen. Ego Bandinus Familiatus, legum doctor, ex delegatione domini Gerardi bononiensis Episcopi cognitor controversiarum, que vertebantur inter Leonem sindicum monasterij sancti Stephani, qui vocatur Jerusalem, nomine ipsius monasterij ex una parte, et Jacobum sindicum sancti Victoris et sancti Johannis, nomine dictarum ecclesiarum ex altera, que tales erant. Petebat siquidem Leo dictus a donno Gerardo priore supradictarum ecclesiarum possessiones que fuerunt sancti Martini in Pozad[e] vel que dicuntur fuisse domine Guillie, vel si pro cambio suprascriptas ecclesias possidere, compossidere diceret, salvum cambium petebat, et in melius, quod minus legitime factum esset, reformarj, vel ipsas possessiones dimitti petebat. Confines petie prime, que est arativa et busciva, a tribus lateribus sunt possessiones sancti Victoris, a quarto via publica: confines secunde, que est vineata, posita est ibidem via mediante a tribus lateribus, sunt vie publice: a quarto vinea sancti Victoris, et sunt juxta sanctum Martinum. Item petebat unam tornaturam et mediam terre vjneate in Barbiano in vinea sancti Victoris, et petebat ut renovari deberet de una petia arativa posita in Partignano juxta vias publicas a duobus lateribus et juxta terram sancti Victoris. Item petebat ut renovari deberet de una petia terre posita in Gleula in fundo de Bivigno. Confines sunt juxta se ipsos, juxta Martinum de Valle Gleule, et propter renovationem quartam partem sol. XXX. lucensium ejusdem bonitatis et extimationis, que fuit a XLV. annis citra, vel ipsas res pertinentes ad monasterium dimiteret, et hoc jure dominii vel quasi, ad probandum de intentione sua confessione suprascriptj Jacobi, et instrumenta plura producens, condepnandum dictum sindicum et suprascriptas ecclesias esse dicebat. E contra Jacobus se in nullo teneri et suprascriptas ecclesias et priorem, earum nomine, dicens, ab abbate suprascriptj monasterij penam L. librarum bon. petebat, quia non observavit quod continetur in concordia facta inter eum, nomine monasterij, et priorem suprascriptum, et pro sua defensione confessiones suprascriptj Leonis et instrumenta introduxit et testes. Que omnia acta sunt per suprascriptos sindicos, in quorum locum ab utraque

parte alii substitutj sunt et ordinatj; videlicet pro monasterio dominus Ysaias monachus, et pro suprascriptis collegiis Ugolinus de Planorio, sicut per instrumenta publica ostensum fuit. Visis et auditis que ab utraque parte proposita fuerunt, habita quoque diligentj inquisitione, et magis super omnibus deliberatione participato Sapientum consilio, dictum Ugolinum sindicum, nomine suprascriptarum ecclesiarum, et ipsas ecclesias in restitutionem suprascriptarum duarum petiarum, que fuerunt domine Guilie, ut dicitur, vel sancti Martinj, ut dictum est, et in restitutionem unius tornature vinee supra petite, posite in Barbiano, et ut debeat se nomine suprascriptarum ecclesiarum, et ipsas ecclesias renovare de terra posita in Partignano, ut supra comprehensum est in libello suprascripto sindico domino Ysaie, nomine monasterii, condepno. Item dictum Ysaiam sindicum, nomine monasterij, et ipsum monasterium in restitutionem trium petiarum positarum in Vidalagola, quas pro cambio dictum monasterium pro suprascriptis duabus petiis condepnatis a dictis collegiis, vel a priore earum, acceperat, sicut Leo sindicus memoratus fuit confessus dicto Ugolino sindico, nomine dictarum ecclesiarum, condempno. Ab aliis omnibus petitionibus invicem factis, sindicos supradictos suarum ecclesiarum nomine absolvo. Utroque sindico presente ad sententiam audiendam. Actum sub porticu sancte Marie de Carariis, anno domini m. ccvij. die sabbati XII. exeunte januario, indictione X. Testes dominus Pascenspauperem, dominus Girardus de Zeno, dominus Gibertus, Boncambius de Carariis et Vivianus pisanus.

Ego Zacharius faventinus, quondam Henrici imperatoris notarius, huic sententie interfui, et mandato dicti domini Bandini scripsi.

(L. † S.) In Dei nomine, amen. Ego presbiter Ubaldus, prepositus collegii sancti Prosperi ex delegatione domini Pape Innocentii III., que talis est: Innocentius episcopus etc. Cognoscens de sententia lata per dominum Bandinum inter monasterium sancti Stephani ex una parte, et ecclesias sancti Johannis et sancti Victoris ex alia, que sententia talis est: In eterni Dei nomine etc. Auditis et visis et intellectis hinc inde propositis et productis, habito multorum Sapientum consilio, predictam sententiam auctoritate domini Pape, qua fungor, confirmo, et approbo.

Hec sententia lata et recitata fuit in ecclesia sancti Marini anno Domini MCCVIII. indictione XI., die veneris, nonas decembris; testes dominus archipresbiter Julianus de sancto Oscano et presbiter Rusticus prepositus sancti Stephani, et presbiter Gratianus de sancta Tech[l]a, et presbiter Anzaldus prepositus sancti Donatj, et magister Gratia, et dominus Osep, et Cambius.

(L. † S.) Et ego Petrus de Arpino sacri notarius Palatij hanc sententiam ex mandato domini Ubaldi prepositj collegii sancti Prosperi scripsi, et emendavi infra VI. lineam de sententia lata a domino Ubandino « prime », et subscripsi.

(A tergo:)

Sententia quedam inter sanctum Stephanum et sanctum Johannem in Monte.

Cartam invenies de permutatione facta de Viadagola.

XI.

1209, 30 mai.

Ex Tabulario Max. bonon., in *Registro Grosso,* lib. I., c. 181 r.

Exemplar cuiusdam instrumenti sic incipientis: In nomine Domini millesimo CC viiij., die secundo exeunte mense madii, jndictione duodecima, jn presentia domini Ugolini legum doctoris, domini Bandini legum doctoris, domini Arpinelli et domini Ugolini Pizoli, procuratorum Comunis Bononie, tunc domini Gothescalchi, domini Ranbertini, Ranberti, tunc militum justitie, domini Jacobi Alberti Ursi, domini Guilielmi de Malavolta, domini Munsarelli et aliorum quam plurium, dominus Guido Lanbertini, de mandato dominj Gilioli de Sesso, Potestatis Bononie, ita respondit domino Patriarche et Camerario, quod possessiones et terras, quas habebat Henricus Imperator tempore mortis, et occupavit Comune Bononie post tempus mortis, que sunt in Episcopatu Bononie vel alio Episcopatu, has autem intelligimus esse Medicinam et illam partem

Argelate, quam Imperator habebat, et Comitatum Ymole, istas vobis relinquimus, salvo jure, si quod habet Comune Bononie, vel ratione privilegii nobis concessi ab aliquo Imperatore, vel alicujus consuetudinis, vel concessionis nobis facte a Principe. Post hec surrexit dominus Giliolus Potestas Bononie, dixit se ratum habere, quod dixerat dominus Guido Lanbertini, et se ita dimittere tenutam et homines absolvere, salvo jure si quod haberet Comune Bononie aliquo modo, nisi quia homines absolvebat et possessiones dimettebat, et ita baculum posuit in manu domini Patriarche, qui ita dimittebat tenutam et homines absolvebat, et ita placuit domino Patriarche et Camerario domini Regis Ottonis.

Actum Bononie in palatio domini Episcopi.

Ego Dominicus, Sacri Palatii notarius et tunc domini Gilioli Potestatis Bononie, interfui, audivi et vidi, et jussu domini Patriarche scripsi.

(L. † S.) Ego Petrus Pizolus Bolognoli, domini Ottonis Imperatoris et Comunis Bononie notarius, sicut scriptum vidi per manum dominici, domini Gilioli de Sesso notarii, ita scripsi et exemplavi, nec addens vel minuens nisi signum quod non feci.

XII.

1211, 20 mai.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. I., c. 187.

Jn Christi nomine. Anno ejusdem millesimo CCxi., die veneris xii. madio exeunte, jndictione xiiij. Presentibus domino Episcopo cremonensi, et magistro Gracia, decretorum doctore, et domino Prevestino de Sesso de Regio, et domino Marsiliotto de Maccagnanis, et domino Michaele de Calcagnile judice et aliis multis. In camera domini Episcopi Mutinensis, dominus Azzo legum doctor, et dominus Rambertinus Guidonis Buualelli, et dominus Ubertinus judex, et dominus Guido Alberici de Scanabicis, Comunis Bononie ambaxatores ex parte domini W[ilielmi] de Pusterla, Potestatis Bon. et Communis illius terre, supplicaverunt domino G[erardo] Albanensi electo ac domini Pape Legato, ut si placeret ei ad presens non deberet intrare Bononiensem civitatem, et de hoc plures rationes assignaverunt. Scilicet quia ejus adventus poterat generare discordiam et scandalum magnum jnter cives. Cum enim certum sit, et notorium, quod quidam civium Bononie diligerent dominum Azzonem Marchionem Extensem, alii vero dominum Salinguerram, et in hoc ardore nimium sint accensi, velintque plures eorum prestare auxilium Ugoni de Guarmasio ad recuperandam Ferrariam civitatem, tum ex precepto domini Imperatoris, tum quia sacramentis factis in concordia de pace domini Marchionis et domini Salinguerre manutenenda putant se teneri: alii vero cives putent non esse dandum auxilium rationibus quibusdam pretentis ab eis, et quia non credunt se teneri ex Sacramentis factis de pace domini Marchionis et domini Salinguerre manutenenda, et quia non credunt predictum dominum Marchionem pacem fregisse, et spetialiter pretextu quarumdam litterarum destinatarum a predicto domino Legato domino Episcopo bononiensi, in quibus continebatur, quod nullus civium Bononie debet dare auxilium Ugoni de Guarmasio vel alij ad recuperandam Ferrariam civitatem, et si hoc facere attemptarent, quod excommunicationi a predicto Episcopo subicerentur; ne ergo ex talibus oriretur discordia et distractio civitatis Bononie, suplicaverunt, ut dictum est, jam dicto domino Legato, ut ad presens, si ei placeret, non veniret ad civitatem Bononie, et spetialiter hoc dicebant quod non vetabant venire ad dictam civitatem, set ut, si placeret ei, interim abstineret. Tempore autem alio congruo, si ei placuerit dictam civitatem visitare, omnem honorem et reverentiam ei exhiberent.

(L. † S.) Ego Oradinus de Burgo Novo, Dei gratia imperiali auctoritate Notarius, interfui, et dominorum ambaxatorum jussu, scripsi.

XIII.

1213, 23 octobris.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. I, c. 203 r.

In nomine Domini millesimo CC xiij., indictione I., die viiij. exeunte octobri, coram domino Armanno judice et domino Viberto Rubeo judice, et Blanco notario et Orabono notario, et Martinello notario et aliis, dominus Guido Boncambij et dominus Jacobus Balduini, cives bononienses, et dominus Oddo de Landriano mediolanensis, omnes legum doctores, ante dominum Guazonem, judicem domini Mathei [de Corrigia] Bononie Potestatis, juraverunt ad sancta Dei evangelia, quod de cetero in aliqua terra non legerent scolaribus scientiam legum, nisi in bononiensi, et quod non dabunt operam ut scolares in alia civitate debeant commorari, nec in hoc consilium vel adjutorium prestabunt; immo curabunt bona fide quod Studium in hac civitate augeatur, et quod ipsi dabunt consilium Potestati et Judicibus de Communi, et rectoribus bononiensibus qui pro tempore fuerint, bona fide, si ab eis petierint.

Actum in pallatio Communis Bononie.

Item quarto die exeunte octobri, in pallatio Communis Bononie, coram domino Armanno judice et domino Ambroxio judice, et Coradino judice, et Arpinello et Bulgarino procuratoribus, dominus Beneintendi legum doctor, civis Bononie, ante prefatum dominum Guazonem, judicem domini Mathei de Corr[igia] Bononie Potestatis, juravit eodem modo ut dicti domini.

Item in pallatio Communis Bononie primo die intrante novembri, coram Symone de Maccagnanis et Bulgarino Guidonis Guizzardi et Lamberto de Baccellerio et Ildebrandino notario et aliis, dominus Pontius Catellanus, legum doctor, ante dominum Matheum de Corr[igia] Potestatem Bononie, juravit eodem modo ut predicti domini.

(L. † S.) Ego Symon sacri pallatii et nunc Communis Bononie notarius, omnibus predictis juramentis interfui, et mandato dictorum dominorum Guazonis et domini Mathei Potestatis, predicta juramenta scripsi.

XIV.

1216, 30 octobris.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. I., c. 219 r.°

Anno Domini millesimo ducentesimo sextodecimo, indictione quarta, tertio die kalendas novembris. In quadam sala palatii Comunis Bononie coram domino Azone legum doctore, domino Rufino Sicamilica, Cerisendo de Roncoveteri, ₵ dominus Guizardinus, bononie civis, indicante domino Vicecomite Vicecomitum, Bononie Potestate, tactis sacrosanctis Evangeliis, corporaliter juravit, quod de cetero in aliquam aliam terram non leget scolaribus scientiam Legum, nisi in Bononia, et quod non dabit operam ut scolares in aliam civitatem debeant morari, nec in hoc consilium vel adjutorium prestabit, immo curabit bona fide quod Studium in hac civitate augeatur; et quod consilium dabit bona fide, et sine fraude Potestati et Judicibus de Comuni Bononie et Rectoribus, qui pro tempore fuerint, si ab eo petierint. Sic Deus eum adjuvet, ejusque sancta evangelia.

(L. † S.) Ego Gerardus Spalla, notarius ejusdem Potestatis, huic interfui, et ejus mandato hec scripsi.

XV.

1220, 5 februarii.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. I., c. 331 r.°

Millesimo ducentesimo vigesimo, die quinto intrante februario, jndictione octava, jn sala palatii Communis, in qua Potestas consuevit cum Curia convenire, presentibus domino Beccaro, et domino Jldrebandino Prendipartis et aliis pluribus, dominus Lambertinus Azonis Gardini ad sancta Dei evangelia juravit, secundum formam Statuti, quod non leget de Legibus extra Bononiam vel ejus Districtum, et quod non erit in conscilio vel adjutorio ut Studium Bononie auferatur vel diminuatur.

(L. † S.) Ego Zacharias de Strata Majori, imperialis Aule et nunc Comunis Bon. notarius, predicta publice scripsi.

XVI.

1220, 23 septembris.

Ex *Registro Grosso,* lib. I., c. 351 r.

Anno domini millesimo ducentesimo vigesimo, indictione octava, die octavo exeunte septembri, in pallatio Communis Bononie, in presentia testium rogatorum et vocatorum, videlicet domini Jacobi Pizoli, domini Juliani de Odderico Boniconscilii, domini Jacobi de Enrigitto, Janni de Alberto, Soro judice nunc Communis Bononie, Angelello notario de Carboncello et aliorum, in quorum presentia venit dominus Bonefatius quondam filius domini Odderici Boniconscilii ante dominum Frassum, judicem domini Guillelmi de Pusterla, volens regere studium legum, corporaliter juravit coram predicto domino Frasso, judice Potestatis, ita observare et facere ut in Statuto de dominis Legum continetur.

Prenominatus dominus Frassus predicta scribi mandavit.

Ego Ugolinus Ymolensis, Dei gratia imperialis Aule notarius, interfui predictis et scripsi.

XVII.

1220, 24 decembris.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. I., c. 377 v.

Millesimo ducentesimo vigesimo, die jovis octavo exeunte decembre, jndictione octava. Congregato Conscilio Credentie solito more ad sonum campane, mandato Potestatis, scilicet domini Guilielmi de Pusterla, retulit dominus Guizardinus legum doctor iterum transmissus cum undecim Sapjentibus ad dominum Episcopum, quod dominus Episcopus sic eis respondit, quod homicida restitui debeat in domo sua propria, ea tamen conditione, quod quicquid super eo negotio factum est ex parte Communis, et pro Communi, et ex parte domini Episcopi, et pro domino Episcopo, nullum faciat prejuditium, vel jus acquirat, sive acquisitum habeat Communi vel Episcopo. Et idem de [re]stitutione et relaxatione homicide predicti, etiam quod Potestas nullum requirat deinceps laicum vel clericum, et contra requisitos non procedat pro dicto negotio, vel occasione hujus negotii. Et dominus Episcopus liberabit et absolvet omnes personas, que, oc-

casione ipsius hominis, anathematis vinculo sunt astricti. Que supradicta sic facta, sic maneant quousque aliter concordaverint dominus Episcopus, et Commune. Quibus ita relatis consuluit Potestas, consuli quid super iis sit Communi Bononie et sibi faciendum. In quo Conscilio surgens ☾dominus Guido Tantidinarii, consuluit facendum esse secundum quod supra retulit dominus Guizardinus. Cujus dicto universum Conscilium acquievit, approbante eodem Conscilio universo ita quod nullus qui contradiceret, quod Potestas faciat pro Communi ut supra, consuluit dominus Guido, et si quid contradiceret in hoc Potestas, prorsus ipsum absolvit Conscilium universum. Item placuit eidem Conscilio universo, una voce clamanti, quod non tantum per Potestatem fieri possint predicta, verum etiam per quemcumque vel quoscumque, quem quosve ad hoc faciendum duxerit Potestas mittendos. Predicto vero Conscilio separato, modicam post separationem Conscilii in pallatio Communis, presentibus domino Ugolino presbiteri, domino Jacobo Balduini, domino Bagarotto et domino Guizardino legum doctoribus, domino Federico Pascipoveri, domino Gerardo Rolandini, domino Ramberto Bazalerii et pluribus aliis, predictus Guillelmus de Pusterla Potestas commisit et precepit domino Ysnardo Ugolini Alberti Pelliparii, Judici Communis, et domino Joseph de Savigno, extimatori Communis, ut predicta perficere debeant, et perficiant pro Communi Bononie vice sui.

Eodem die in ecclesia beati Petri Episcopatus Bononie, post altare beati Petri, presentibus domino Henrigitto Girardi Taudischi, domino Ildebrandino Prendipartis, domino Ubertino iudice, domino Iuano Scozapresbiteri, domino Simone Zenzani et aliis pluribus, lecta forma prefati Conscilii, et his omnibus lectis, que supra in prefato Conscilio sunt tractata et facta coram domino bononiensi Episcopo et dominis Jsnardo et Joseph prefatis, ibi a Potestate transmissis, concordes fuerunt dominus Episcopus pro se et Ecclesia Bononie, et dominus Isnardus, et dominus Joseph pro Communi Bononie, quod in omnibus sic fieri et esse debeat ut supra dictum est, affirmantes et approbantes in omnibus, ut dictum est, et pacto, ut dictum est, in omnibus convenire. Refferentes et confitentes ad invicem dominus Episcopus predictus et dominus Isnardus et dominus Joseph, quod predictus homicida habitator erat Baulini et vocatur Rogerius filius Naselli; interfectus vero ab eo vocabatur Gerardinus filius Bellondi de eodem loco Baulini.

(L. † S.) Ego Zacharias de Strata Majori, Imperialis Aule et nunc Communis Bononie notarius, predictis omnibus interfui presens, et rogatu partium, ut supra legitur, publice scripsi.

XVIII.

1221, 8 octobris.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. I., c. 394 v.

(L. † S.) In nomine Domini nostrj Jesu Christi, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo, die sabati octavo intrante mense octubri, indictione nona, in sala palatii Communis Bononie, presentibus domino Ubaldino de Castro Britonum, iudice, et domino Aimerico de Portanova, iudice, et Petro Pizolo notario, et Mattheo filio quondam Rolandini de Vado, notario, et Arardo filio quondam Albertotii Beccarii, notario, et aliis quam pluribus testibus ad infrascripta vocatis. In quorum et aliorum quamplurimorum presentia ☾dominus Benedictus, qui fuit de Benevento, Legum doctor, ad sancta Dei Evangelia corporaliter juravit bona fide, sine omni fraude attendere et observare ea omnia, que Potestas Bononie, silicet dominus Giuffredus de Pirovali, tenebatur eum facere jurare, sicuti in Statuto Comunis Bononie continetur de Dominis Legum qui incipiunt de novo legere studium legale in Bononia, presente domino Johanne de Canova, Judice dicte Potestatis, et ei sacramentum ordinante.

Ego Petrus, filius quondam Boni Bologni, et nunc Communis et dicte Potestatis Bononie notarius, predictis omnibus interfui, et de mandato dicti domini Johannis de Canova, Judicis dicte Potestatis, scripsi.

XIX.

1226, 20 martii.

Ex tomo XXXVI. *Codicis Diplomatici Bononiensis,* num. LXIX.

Honorius III. (1) Alatrino subdiacono et capellano nostro. Conquerenti olim dilecto filio nobili viro Alberto comite de Mangone, quod Commune bononiense in prejudicium ejus detinet castrum Cassi et Barci, et quedam alia castra cum pertinentiis suis, que idem comes asserit esse de terra comitisse Mathildis, et ad feudum, quod idem comes a romana tenet Ecclesia, pertinere, post varias literas super hoc a Sede apostolica impetratas, demum hujusmodi causam commisimus venerabili fratri nostro archiepiscopo florentino. Nuper igitur comite ipso ac dilecto filio Sem[prebene] doctore Legum, procuratore dicti Communis, propter hoc in nostra presentia constitutis, idem comes exhibuit depositiones quorumdam testium, quos super iis receperat Episcopus antedictus, petens depositiones ipsas, quas idem Episcopus clausas sub sigillo suo nobis transmiserat, aperiri et in causa jam per quadriennium in prejudicium ejus per te lata procedi. Dictus vero procurator ac dilectus filius magister Tancredus, bononiensis archidiaconus, responderet pro Communi predicto, testes ipsos post legitimas appellationes a Sindico dicti Communis ad nostram audientiam interjectas, lite non contestata et etiam non porrecto libello, fuisse ab ipso Episcopo contra juris ordinem incircumspecte receptos, ac ideo depositiones ipsorum aperiendas non esse, sed irritas nuntiandas. Dicto autem comite, relictis procuratoribus suis, ad propria redeunte, procuratoribus ipsis ac prefato procuratori sepedicti Communis venerabilem fratrem nostrum P[elagium], albanensem Episcopum, dedimus auditorem. Cumque ipsi procuratores coram eo super processu ipsius Episcopi florentini diutius disputassent, et ipse auditor ea, que fuerant coram eo proposita et ostensa, nobis fideliter retulisset, nos illis plenius intellectis, de fratrum nostrorum consilio, cassavimus, justitia exigente, processum. Nolentes autem, quod ipsius cause decisio ulterius prorogetur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dictum Commune ad litem super iis cum ipso comite vel ejus procuratore, exceptionibus non obstantibus, legitime contestandam infra competentem terminum, quem eis duxeris prefigendum, monitione premissa per censuras ecclesiasticas, appellatione remota, compescas, ac demum si tibi vacaverit, audias causam et, appellatione remota, debito fine decidas, alioquin inducas partes ad concordandum in personas idoneas, quibus causa eadem committatur, et sive potuerint sive non potuerint in judices concordare, causam ipsam viris discretis et suspicione carentibus, auctoritate nostra, committas examinandam sollicite ac fine debito, appellatione postposita, terminandam, data eis plenaria potestate cogendi testes et faciendi alia, que ipsius negotii decisio videbitur postulare.

Datum Laterani tertiodecimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

XX.

1226, 21 novembris.

Ex eodem tomo XXXVI., num. LXXIII. (2)

Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, indictione quartadecima, die sabathi, decimo exeuntis mensis novembris, in civitate Bononie, in palatio Episcopatus, dominus Bocatius Brema, dominus Robertus de Concolezo (3), dominus Ubertus de Marnate, dominus Ardicio de Pon-

(1) Ex Registr. V. Honorii III., epist. 288, fol. 119, MCCXXVI., XX. martii.
(2) Ex Reg. V. Honorii III., fol. 156, MCCXXVI., XXI. novembris.
(3) *Sic.*

tecaralo, dominus Guillelmus de Oliana, dominus Guillelmus de la Porta, dominus Ubertus Vicecomes, dominus Aicardus de Formivica, dominus Auliverius Henrici Gerardi, dominus Oldradus Pocalodus, dominus Guillelmus de Solarolo, dominus Guillelmus Lazaronus, dominus Deutesalvi Cremensis, dominus Guidrixius judex de Scaperlis, dominus Johannes Cremensis, dominus Rustigellus judex, dominus Spinabellus judex, dominus Ubertus de Maltraversis, dominus Fredericus de Pascipoure, dominus Scanabicus de Arimondo, dominus Mariscotus Johannis de Mariscoto, dominus Henrigetus Hugonis Regaite, omnes rectores Societatis Lombardie et Marchie et Romandiole, nomine illius Societatis, et pro ipsa Societate, costituerunt procuratores dominum Bratium Bremam, dominum Mundalbergum judicem, dominum Guidonem Mamerium, dominum Guillelmum de la Porta, dominum Ubertum Vicecomitem, dominum Guidonem Boncambii, doctorem legum, dominum Albertum de Muso, dominum Guidonem de Cole sancti Martini, dominum Bartholomeum de Vidoro, dominum Guidonem de Marzan, dominum Senzanome de Achillicis, dominum Obizonem de Ugonibus, dominum Rizardum de Rodengo, dominum Guillelmum de Campidello, dominum Castellanum de Caffaris, dominum Petrum Bicherium, dominum Huguccionem de Bondonis ad pacem et concordiam faciendam, et omnia, que fuerint necessaria sive utilia ad ipsam pacem et concordiam vel pro ipsa pace et concordia, de discordia, sive super discordia, quam habent cum domino Frederico, romanorum imperatore semper augusto et rege Sicilie, sive ipse dominus Fredericus, romanorum imperator cum eis habet: et quicquid dicti Procuratores, vel major pars eorum fecerint super predictis et pro predictis, ratum et firmum habere promiserunt; qui Procuratores sic mandatum susceperunt. Horum autem fuerunt testes: dominus Gerardus Rangonius, Bononie potestas, dominus Bagarottus et dominus Semprebene doctores legum, dominus Tomasinus Cazanimici et dominus Aldrevandinus de Prendiparte, dominus Rolandus de Gutefredis bon., Martinus notarius et Bolognitus notarius, omnes bononienses, et Petrinus de Gorgonzola, notarius de Mantua, et plures alii.

Ego Laurentius sacri palatii notarius, et nunc notarius dictorum Procuratorum, interfui, et de mandato supradictorum Rectorum scripsi.

XXI.

1226, 21 novembris.

Ex eodem tomo XXXVI., num. LXXIV. (1)

Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, indictione quartadecima, die sabati decimo exeuntis mensis novembris, in civitate Bononie, in palatio Episcopatus bononiensis, dominus Bocatius Brema, nuntius marchionis de Monteferrato, dominus Robertus de Concolezo et dominus Ubertus de Marnace de Mediolano, dominus Ardicio de Pontecaralo et dominus Guillelmus de Oliana de Brixia, dominus Guillelmus de la Porta et dominus Ubertus Vicecomes de Placentia, dominus Aicardus de Formivica et dominus Auliverius Henrici Gerardi de Tarvixio, dominus Oldradus Pocalodus et dominus Guillelmus de Soralolo de Laudo, dominus Guillelmus Lazaronus et dominus Deutesalvi Cremensis de Bergamo, dominus Guidrixius judex de Scaperlis et dominus Johannes Cremensis de Mantua, dominus Rustigellus judex de Vicentia, dominus Spinabellus judex et dominus Ubertus Maltraversi de Padua, dominus Fredericus de Paxiponte (2) et dominus Scanabicus de Arimondo de Bononia, dominus Marescotus Johannis Mariscotti et dominus Henrigetus Ugonis Regaite de Faventia, omnes Rectores Societatis Lombardie, Marchie et Romaniole, nomine illius Societatis, et pro ipsa Societate, constituerunt et fecerunt Procuratores dominum Bocatium Bremam, et dominum Mudalbergum judicem, et dominum Guidonem Mamerium de Mediolano, dominum Guillelmum de la Porta et dominum Ubertum Vicecomitem de

(1) Ex Reg. V. Honorii III., fol. 156, MCCXXVI., XXI. novembris. Habet alicubi variantes lectiones.
(2) *Sic.*

Placentia, dominum Guidonem Boncambii, doctorem legum, et dominum Albertum de Muso de Bononia, dominum Guidonem de Cole sancti Martini et dominum Bartholomeum de Vidoro de Tarvisio, dominum Guidonem de Marzan et dominum Senzanome de Achillicis de Faventia, dominum Obizonem de Hugonibus et dominum Rizardum de Rodengo de Brixia, dominum Guillelmum de Campidello et dominum Castellanum de Caffaris de Mantua, dominum Petrum Bicherium et dominum Huguccionem de Bondonis de Vercellis ut omnia faciant ad mandatum et voluntatem domini Pape et Cardinalium super pace et concordia facienda cum domino Frederico imperatore Romanorum semper augusto et rege Sicilie, de discordia sive super discordia quam habent cum ipso domino Frederico Romanorum imperatore, vel ipse dominus Fridericus Romanorum imperator cum eis habet: et quicquid dicti Procuratores, vel major pars eorum, fecerint super predictis et in predictis ratum et firmum habere promiserunt: qui Procuratores sic mandatum susceperunt. Horum autem fuerunt testes dominus Gerardus Rangonius Bononie Potestas, dominus Bagarottus et dominus Semprebene doctores Legum, dominus Tomasinus Cazanimici et dominus Aldrevandinus de Prendiparte, dominus Rolandus de Gutefredis bon., Martinus notarius et Bolognitus notarius, omnes bononienses, et Petrinus de Gorgonzola notarius de Mantua, et plures alii.

Ego Laurentius sacri palatii notarius, et nunc notarius dictorum Procuratorum, interfui et de mandato supradictorum Rectorum scripsi.

XXII.

1226, 22 novembris.

Ex eodem tomo XXXVI., num. LXXV. (1)

Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, die nona exeuntis mensis novembris, indictione quartadecima, in civitate Bononie, in palatio bononiensis Episcopatus, in presentia testium ad hoc specialiter rogatorum et vocatorum Ambroxii notarii de Mediolano, Presbiteri notarii de Lauro, Oderici notarii de Padua et Guidonis notarii de Vicentia, dominus Robertus de Concorezo, dominus Ubertus de Marnace, dominus Ardicio de Pontecarale, dominus Guillelmus de Oliana, dominus Aicardus de Formivica, dominus Auliverius de Schirpo, dominus Oldradus Pocalodus, dominus Guillelmus de Solarolo, dominus Guillelmus Lazaronus, dominus Deutesalve Cremensis, dominus Guidrixius judex de Scaperlis, dominus Johannes Cremensis, dominus Rustigellus judex, dominus Spinabellus judex, dominus Ubertus de Maltraverso, dominus Frederigus de Paxiponte, dominus Scanabicus domini Rolandi, dominus Marescotus Johannis Marescoti, et dominus Henrigetus Hugonis Regaite, omnes Rectores Societatis Lombardie, Marchie et Romaniole, nomine illius Societatis, et pro ipsa Societate, constituerunt Procuratores dictum Rolandum judicem de Guarnerio, dominum Ugonem de Vado de Padoa et eos instruxerunt in omnibus et per omnia et ad omnia, sicut est forma et secundum formam, in qua heri alii Procuratores constituti et instructi fuerunt ab eisdem Rectoribus, qui ituri sunt ad romanam Curiam pro factis Societatis predicte; et est dictum, quod tantum valeant procurationes et instructiones iste, quantum valerent si simul cum aliis, et eadem hora constituti et instructi essent: et quicquid fecerint in predictis secundum predictum modum ipsi Procuratores, Rectores habere firmum et ratum promiserunt: qui Procuratores sic mandatum susceperunt.

Ego Gerardinus de Gisso, sacri palatii, et nunc dictorum Rectorum notarius, interfui et de mandato eorum scripsi et publicavi.

(1) Ex Reg. V. Honorii III., fol. 156, MCCXXVI., XXII. novembris.

XXIII.

1227, 5 ianuarii.

Ex eodem tomo XXXVI., num. LXXVI. (1)

Honorius III. Rectoribus Societatis Lombardie, Marchie et Romandiole. Ejus locum, licet immeriti, obtinentes in terris, que pax nostra fecit utraque unum, duos parietes venientes e diverso conjungens in se ipso lapide angulari, nascentibus debemus obviare discordiis et intendere sollicite ac diligenter ad ea, que sunt concordie unitatis et pacis. Cum ergo nuper inter carissimum in Christo filium nostrum Fredericum, Romanorum imperatorem semper augustum, et regem Sicilie, atque vos discordia orta esset, nos, attendentes quod res, nisi obsisteretur principiis, videbatur altius progressura, et propter difficultates alias allatura impedimentum negotio terre sancte, pro quo est tanto tempore laboratum, dignum duximus interponere partes nostras et igne hujusmodi, antequam vires assumpsisset, extincto, gravibus obviare periculis que quidem ex hoc, nisi tempestive occurreretur, poterant evenire. Ipso igitur imperatore ac vobis totum ipsum negotium in nostra et fratrum nostrorum providentia et dispositione libere ac absolute ponentibus, idque declarantibus per literas et publica instrumenta nec non per solemnes Procuratores et Nuntios propter hoc ab utraque parte ad nostram presentiam destinatos, cum inter cetera fuisset ex parte ipsius imperatoris propositum, quod, impediente Societate vestra, nequiverat juxta propositum suum procedere contra pravitatem hereticam, que partes illas dicitur graviter infecisse, ac relevare libertatem ecclesiasticam, que ibidem multipliciter asserebatur oppressa, nec procurare subsidium terre sancte, propter quod specialiter ad partes ipsas duxerat accedendum, quodque captivi sibi contra jus et honorem imperii fuerant denegati, nos iis, et aliis, que fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis de providentia sic duximus statuendum, ut videlicet ipse imperator pro reverentia Crucifixi et negotio terre sancte, suo et filii sui, ac Imperii nomine iis, qui sunt de Societate jam dicta universaliter singulis et singulariter universis remittat omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas, omnia quoque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que fecit vel imposuit per se vel per alium, aliusve pro eo Societati vel alicui de Societate predicta, civitatibus, locis et personis de ipsa Societate, et quecumque ex eis, vel ob ea secuta sunt penitus revocet, et specialiter constitutionem factam de Studio et studentibus Bononie universos et singulos, qui occasione alicujus predictorum lesi videntur, restituens in integrum in omnibus e per omnia suo statui atque fame, remittendo infamiam omnem et penam, que secute sunt ex aliquo predictorum, ita quod ea, que medio tempore per eos acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant quod alias debuerant obtinere ad hec, civitates, loca et personas de ipsa Societate recipiat in sue gratie plenitudinem et eis faciat firmam pacem, specialiter marchioni Montisferrati, Mediolano, Placentie, Vercellis, Bononie, Faventie, Alexandrie, Taurino, Laudi, Bergamo, Brixie, Mantue, Verone, Padue, Vicentie, Tervisio, Creme, Ferrarie, et comitibus de Blandrato, aliisque locis et personis quibuslibet Societatis ejusdem, faciat etiam restitui captivos, qui sunt capti occasione huius discordie cum bonis eorum ac alia, que occasione ipsius discordie capta sunt vel detenta. Insuper quoque faciat fieri patentes literas ex parte filii sui, qui pacem et concordiam istam ratam habebit et firmam, et remittet illis de Societate omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas. Hii vero qui sunt de Societate jam dicta, ad honorem Dei omnipotentis et Ecclesie sancte sue, ac ipsius imperatoris (2) dent eidem imperatori pro subsidio terre sancte in expensis ejusdem Societatis per biennium milites quadringentos, ac civitatibus, locis et personis imperiali excellentie adherentibus tam ecclesiasticis quam mundanis, faciant pacem, et inviolabiliter servent, remittentes eis omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas, ac revocent omnia banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que fecerunt vel imposuerunt civitatibus, locis et personis imperiali celsitudini adherentibus, et quecumque

(1) Ex Registr. V. Honorii III., epist. 440, fol. 156, MCCXXVII., V. januarii.

(2) In cod.: « *imperatori* ».

ex eis secuta sunt vel ob ea. Captivos, qui occasione hujus discordie capti sunt cum bonis eorum, et alia que occasione ipsius discordie capta sunt vel detenta, restituant, ita quod adherentes ipsi imperatori similiter eis faciant et observent. Alii autem captivi secundum jus Imperii restituantur, cum ipse imperator legatum suum in Lombardiam pro pace reformanda inter discordes duxerit destinandum; constitutiones vero, leges et statuta ab ecclesia romana et romanis imperatoribus, et specialiter ab ipso imperatore contra hereticos, receptatores, defensores, credentes et fautores eorum hactenus promulgata, vel inposterum promulganda, recipiant et observent inviolabiliter et efficaciter exequantur, constitutionibus municipalibus, editis contra tales, nihilominus in suis locis firmiter observandis. Potestates autem, Consules et Rectores civitatum, aliorumque locorum, quocumque nomine censeantur, jurent quod illa fideliter observabunt, idque suos jurare faciant successores, ponentes eas in statutis civitatum, aliorumque locorom, illa inde nequaquam inposterum deleturi. Statuta omnia communia et particularia, facta contra ecclesias et ecclesiasticam libertatem, penitus revocent, de suis constitutionibus deleant, et ea vel eis similia de cetero non resumant. Lateranensis quoque statuta concilii, et constitutiones a nobis, et leges ab ipso imperatore super iis editas, observent et jurent inposterum observare, suosque jurare faciant successores. Porro predictos quadringentos milites in eundo, morando, reduendo sub nostra et speciali apostolice Sedis protectione suscipimus, cum omnibus bonis suis, iidemque teneantur ire in ipsius imperatoris passagio, quo ab eo statutum est et a romana Ecclesia approbatum. Ideoque Universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatenus supradicta omnia pro parte nostra inconcussa servetis, ac super hoc nobis et ipsi imperatori juxta tenorem, quod vobis transmittimus, vestras patentes literas usque ad proximam dominicam instantis quadregesime transmittatis, per manum publicam scriptas, et vestri ac prefati marchionis et quarumlibet civitatum de ipsa Societate sigillorum appensione munitas.

Datum Laterani nonis januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XXIV.

1227, 5 ianuarii.

Ex eodem tomo XXXVI., num. LXXVII. (1)

Honorius III. illustri Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie. Ejus locum, licet immeriti, obtinentes in terris, que pax nostra fecit utraque unum, duos parietes venientes e diverso conjungens in se ipso lapide angulari, nascentibus debemus obviare discordiis, et intendere sollicite ac diligenter ad ea, que sunt concordie unitatis et pacis. Cum ergo nuper inter te ac Societatem Lombardie, Romaniole, atque Marchie discordia orta esset, nos, attendentes quod res, nisi obsisteretur principiis, afferebat impedimentum negotio terre sancte, pro quo est tanto tempore laboratum, dignum duximus interponere partes nostras. Te igitur et predictis totum ipsum negotium in nostra et fratrum nostrorum providentia et dispositione libere ac absolute ponentibus, idque declarantibus per literas et publica instrumenta nec non per solemnes procuratores et nuntios propter hoc ab utraque parte ad nostram presentiam destinatos, cum inter cetera fuisset ex parte tua propositum, quod, impediente Societate predicta, nequiveras juxta propositum tuum procedere contra pravitatem hereticam, que partes illas dicitur graviter infecisse, ac relevare libertatem ecclesiasticam, que ibidem multipliciter asserebatur oppressa, nec procurare subsidium terre sancte, propter quod specialiter ad partes ipsas duxeras accedendum, quodque captivi tibi contra jus et honorem imperii fuerant denegati, nos iis et aliis, que fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis, de providentia sic duximus statuendum, ut tu, videlicet pro reverentia Crucifixi et negotio terre sancte tuo et filii tui ac imperii nomine, iis qui sunt de Societate jam dicta, universaliter singulis et singulariter universis remittas omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas, omnia quoque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que fecisti vel imposuisti per te vel per alium, aliusve pro te Societati vel alicui de Societate

(1) Ex Registr. V. Honorii III., epist. 442, fol. 157, MCCXXVII., V. januarii.

predicta, civitatibus, locis et personis de ipsa Societate, et quecumque ex eis, vel ob ea secuta sunt, penitus revoces, et specialiter constitutionem factam de Studio et studentibus Bononie, universos et singulos qui occasione alicujus predictorum lesi viderentur, restituens in integrum in omnibus et per omnia suo statui atque fame, remittendo infamiam omnem et penam que secute sunt ex aliquo predictorum, ita quod ea que medio tempore per eos acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant quod alias debuerant obtinere ad hec, civitates, loca et personas de ipsa Societate recipias in tue gratie plenitudinem et eis facias firmam pacem, specialiter marchioni Montisferrati, Mediolano, Placentie, Vercellis, Bononie, Faventie, Alexandrie, Taurino, Laudi, Bergamo, Brixiè, Mantue, Verone, Padue, Vicentie, Tervisio, Creme, Ferrarie, et comitibus de Blandrato, aliisque locis et personis quibuslibet Societatis ejusdem, facias etiam restitui captivos, qui sunt capti occasione hujus discordie cum bonis eorum, ac alia que occasione ipsius discordie capta sunt vel detenta. Insuper quoque facias fieri patentes literas ex parte filii tui, qui pacem et concordiam istam ratam habebit et firmam et remittet illis de Societate omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas. Hii vero qui sunt de Societate jam dicta, ad honorem Dei omnipotentis et Ecclesie sancte sue ac tui, dent tibi pro subsidio terre sancte in expensis ejusdem Societatis per biennium milites quadringentos, ac civitatibus, locis et personis tue imperiali excellentie adherentibus tam ecclesiasticis quam mundanis, faciant pacem et inviolabiliter servent, remittentes eis omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas, ac revocent omnia banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que fecerunt vel imposuerunt civitatibus, locis et personis imperiali tue celsitudini adherentibus, et quecumque ex eis secuta sunt vel ob ea. Captivos, qui occasione hujus discordie capti sunt cum bonis eorum, et alia que occasione ipsius discordie capta sunt vel detenta, restituant, ita quod adherentes tibi similiter eis faciant et observent. Alii autem captivi secundum jus imperii restituantur, cum tu legatum tuum in Lombardiam pro pace reformanda inter discordes duxeris destinandum. Constitutiones vero, leges et statuta ab Ecclesia romana et romanis imperatoribus, et specialiter a te, contra hereticos, receptatores, defensores, credentes et fautores eorum hactenus promulgata, vel imposterum promulganda, recipiant et observent inviolabiliter et efficaciter exequantur, constitutionibus municipalibus editis contra tales nihilominus in suis locis firmiter observandis. Potestates autem, Consules et Rectores civitatum aliorumque locorum, quocumque nomine censeantur, jurent quod illa fideliter observabunt, idque suos jurare faciant successores, ponentes eas in statutis civitatum aliorumque locorum, illa inde nequaquam imposterum deleturi. Statuta omnia communia et particularia, facta contra Ecclesias et ecclesiasticam libertatem, penitus revocent de suis constitutionibus, deleant et ea vel eis similia de cetero non resumant. Lateranensis quoque statuta concilii et constitutiones a nobis, et leges a te super iis editas, observent, et jurent imposterum observare, suosque jurare faciunt successores. Porro predictos quadringentos milites in eundo, morando, reduendo sub nostra et speciali apostolice Sedis protectione suscipimus cum omnibus bonis suis, iidemque teneantur ire in tui passagio, quod a te statutum est et a romana Ecclesia approbatum. Tu ergo, filii carissime, supradicta omnia pro parte tua serves, sicut imperialem decet constantiam, inconcussa, ac super hoc nobis, juxta tenorem quem tibi transmittimus, tuas patentes cures usque ad proximam dominicam instantis quadragesime transmittere literas, tue majestatis typario insignitas.

Datum Laterani nonis januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

XXV.

1227, 1 februarii.

Ex Tabulario Max. Bonon., in *Registro Novo,* c. 15 r.

De remissione et concordia facta inter Imperatorem et Lombardos de Constitutione facta super Studio.

Fridericus Dei gratia romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem et Sicilie rex, Rectoribus civitatum Mediolani, Placentie, Bononie, Alexandrie, Thaurini, Laudis, Faventie, Pergami, Brixie, Mantue, Verone, Padue, Vicentie, Tervixii, Cremone, Marchioni Montis Ferrati,

Comiti Gottifredo de Blanderato, aliisque locis et personis quibuslibet de Lonbardia, Marchia, et Romaniola, que nuper contra majestatem nostram, et imperium commiserunt offensam, fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem.

Causam offense, quam nuper contra celsitudinem nostram, et nostrum imperium conmisistis, quia videbatur impedimentum afferre negotio Terre Sancte, in providentia et dispositione domini Pape ac fratrum suorum venerabilium Cardinalium posuimus absolute. Eorum jgitur provisione super hoc plenius intellecta, pro reverentia Jesu Christi et jpsius Terre Sancte negocio, vobis universis et singulis de innata nobis clementia remittimus omnem rancorem, malivolentiam, injurias et offensas omniaque banna, constitutiones, sententias et ordinamenta, que fecimus vel imposuimus per nos vel per alium, aliusve pro nobis imposuit, vobis seu alicui de civitatibus locis et personis ejusdem, et quecumque ex eis vel ob ea secuta sunt penitus revocamus, et specialiter constitutionem factam de Studio et studentibus bon. universos et singulos, qui, occasione alicujus predictorum, lesi videntur, restituentes in integrum in omnibus et per omnia suo statui atque fame, remittendo infamiam omnem et penam, que secute sunt ex aliquo predictorum, ita quod ea, que per eos medio tempore acta sunt, non obstantibus supradictis, robur obtineant quod alias debuerant obtinere ad hec, civitates, loca et personas vestras recipimus in nostre gratie plenitudinem, et vobis reddimus firmam pacem, reservantes tamen nobis contra predictum marchionem Montis Ferrati omnia jura, omnesque actiones, que nobis competunt, tam de debito, quo nostre celsitudini est astrictus, quam de terra, que propter ipsum debitum nobis extitit obligata. Faciemus etiam restitui captos occasione predicte offense cum bonis suis ac alia, que occasione hujusmodi capta sunt vel detenta. Faciemus fieri patentes literas ex parte karissimi filii nostri Henrici romanorum regis illustris, quod pacem et remissionem istam ratam habebit et firmam, quodque remittet vobis omnem rancorem, malevolentiam, injurias et offensas. Ad plenam autem certitudinem hujus rei presentes litteras, juxta ipsius domini Pape beneplacitum, fieri jussimus, sigillo majestatis nostre munitas.

Datum Cathanie, primo die februarij, quintedecime indictionis.

Ego Henricus, miseratione divina bononiensis Episcopus, hoc exemplum ex autentico sumptum, cum originali sigillo imperiali roborato, ascultavi diligenter et vidi, unde ad perpetuam memoriam et certum testimonium me subscripsi et sigillo meo sigillari mandavi.

Ego Tancredus bononiensis Ecclesie Archidiaconus, licet inmeritus, hoc exemplum ex autentico sumptum, cum originali ipso sigillo domini Frederici imperatoris roborato, ascultavi diligenter et vidi et legi utrumque, unde ad perpetuam memoriam et certum testimonium me subscripsi, et huic carte sigillum meum apponi feci.

Ego Manzinus de Burgo Novo, auctoritate imperiali, et nunc Communis et Potestatis Bononie notarius, hoc exemplum ex autentico sumptum, sigillo domini Frederici romanorum imperatoris roborato, ascultavi, legi diligenter et vidi utrumque; et cum jdem in uno quod in reliquo, et nil amplius vel aliter, habeatur, ad perpetuam memoriam certumque testimonium publice me subscripsi.

Ego Homodeus Presbiteri de Tignano, auctoritate imperiali, et nunc Communis Bononie notarius, hoc exemplum ex authentico sumptum, sigillo domini Friderici romanorum imperatoris roborato, ascultavi, legi diligenter, et vidi utrumque; et cum idem in uno quod in reliquo et nil amplius vel aliter habeatur, ad perpetuam memoriam certumque testimonium publice me subscripsi.

Ego Nicholaus Terendanus, imperiali auctoritate, notarius et nunc Communis Bononie notarius, harum literarum exemplum de exemplari litterarum domini imperatoris et sigilli sui pendentis munimine munitas, diligenter ascultatum et coram infrascriptis testibus lectum, visum et ascultatum ab eis cum autentico supradicto sicut vidi et reperi, ita nil addens, mutans vel minuens, exemplavj.

Anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo septimo, die undecimo intrante junio, indictione quintadecima, in pallatio domini Henrici bononiensis Episcopi, presentibus domino Henrico Episcopo, et magistro Tancredo archidiacono bon., domino Jacobo de Pepulo mediolanensi, domino Bagarotto legum doctore, et magistro Bene, scriba domini Episcopi bon., et Manzino de Burgo Novo notario, et pluribus aliis testibus.

XXVI.

1233, 18 septembris.

Ex archivo s. Francisci Bonon., nunc in Tabulario Maximo bononiensi, sect. « *Demaniale* », num. $\frac{335}{5078}$, lib. A, doc. LXXVI.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo tertio, die tredecimo exeunte setenbri, indictione sexta, presentibus domino Landulfo de Landulfis, domino Thomasino Cazanemici, domino Petrizolo Ungarelli, domino Egidio Bonifilioli, domino Arardino ejus fratre, domino Rolando Cazanimici, Petrizolo domini Thomasini predicti et Rolandino domini Prindipartis de Landulfis hujus rei rogati fuerunt testes.

Actum Bononie in domo domini Bonifatii infrascripti.

Ego Bonifatius, Legum doctor, tale facio testamentum: in primis habito pensato conscilio utriusque ordinis fratrum Predicatorum et Minorum, quod ex questu quem feci ex scholis, quia multis et variis modis peccatur in scholaribus habendis ad summam provisionem et securitatem, aliquam summam debeant dare pauperibus, cum a multis et variis et quasi ab incertis personis perceptum sit, quam juxit et voluit esse summam centum librarum bonon. pauperibus erogandam. Ex lucro autem quod fecit ex avvocationibus, ubi scienter inique accepit ab illis personis vel Universitatibus, illud eisdem restituat, vel sit in concordia cum eis, non inducendo eos ipse, vel alius post eum, aliqua presura non restituendi vel aliquo ingenio, quod debeat predicti[s] remittere; set si voluerint libere et spontanea voluntate remittere, illum possit retineri de omnibus aliis avocationibus et lucro ex consciliis habitis bona fide tractatis, consuluerunt uti ad majorem provisionem det et fatiat dari aliquam summam suo arbitrio determinandam locis religiosis, vel aliis pauperibus Jesu Christi; quam summam voluit prefatus dominus Bonifatius esse centum librarum bonon. sine restitutione specialium quam in suo codicillo, hoc testamento confirmato, et personas et Universitates et quantitates restituendas ipse jam declaravit. Insuper voluit et juxit expendi pro eo, si contingeret eum deficere ex hac egritudine, de suis bonis centum libras bonon. pro restauratione decimarum et quartesimi solvantur triginta libre bonon., cui prestari debent de jure, habito conscilio peritorum, et iste triginta libre non computentur in predictis quantitatibus, set alias de suo persolvantur. Et hec debeant fieri et adimpleri per eum qui pro tempore fuerit prior sancti Nicolai, et per eum qui pro tempore preherit ordini fratrum minorum, et per dominum Zulianum, fratrem ejusdem domini Bonifatii, quorum fidei comittit predicta. Jacobinum et Ubaldum suos sibi heredes instituit in reliquis suis bonis, Johannam filiam suam in quingentis libris sibi heredem instituit, et ex hiis voluit esse contenptam; et si contingeret quod aliquis filiorum suorum decederet sine liberis, substituit unum alteri; si decederet aliquis eorum sine masculis, habendo feminam vel feminas, vult quod pars domorum illius perveniant ad superviventem, vel ad ejus filios masculos, hoc acto intellecto ita quod domus ejus semper debeant esse masculorum descendentium tantum, cujuscumque gradus vel numeri fuerint; si contingeret quod ex filiis suis masculis non remanerent masculi, voluit quod omnes domus, quas habet in Porta Nova, debeant esse fratris sui domini Zuliani et filiorum suorum masculorum, excepta una domo, quam ipse inhabitat, quam vult esse filie sue. Si autem contingeret, quod ex nulli supradictorum remanerent filii masculi, tunc voluit quod pars domus communis debeat pervenire ad sanctum Johannem de Monte, ea lege ut alienari non possit, pro remedio anime ejus, qui eam fieri fecit. Alie domus, excepta illa in quam habitat, voluit pervenire ad dominum Egidium et Arardinum et ad illos de castro sancti Petri, et ad eorum filios masculos, ita quod fiat divisio inter eos in tertiam partem: una pars sit domini Egidii et filiorum, et alia Arardini et filii, et alia illorum de castro sancti Petri. Super possessionibus autem suis ita diiudicavit, ut si aliquis filiorum suorum masculorum decederet sine liberis, voluit quod portio poderis perveniat ad filium masculum, vel ad ejus filios masculos; si autem decederet sine masculis, et habuerit feminas, tunc voluit quod Johanna, filia sua, debeat habere de podere tantum, quantum quelibet filiarum filiorum predictorum, non computata quantitate quingentarum librarum et domo sibi relicta, quam inhabitat. Uxorem suam dominam Verderosam vult dominam et usuariam in domo sua permanere

bonorum suorum, precipiens filiis quod eam debeant revereri. Dotem suam ei solidam voluit restitui, et illam elapso anno, et insuper de suo ei legavit centum libras, quas debeat habere solummodo cum exire voluerit de domo; si comode non posset habitare cum filiis, habeat habitationem, solummodo pro se, domum quam ipse inhabitat et alia necessaria bene et decenter; filios suos voluit esse in potestate et tuitione fratris sui domini Zuliani. Filiam suam Johannam, si perveniret ad nubilem etatem, sit in potestate et dispositione domini Zuliani, tantum fatiendo tamen de ea cum conscilio domini Thomasini; si contingeret quod dominus Zulianus non superesset, tunc vult eam esse in dispositione domini Thomasini, cum omnibus, que eam contigerent. Predictas institutiones et substitutiones et restitutiones omnes voluit et jusit esse firmas et validas pupilariter, ubi habet locum, vulgariter et per fidei comissum et per compendium, ubi sibi locum vendicant, et per omnem alium modum per quem melius predicta valere possunt. Alias minores dispositiones in prefato codicillo jam declaravit, quod hic repetite confirmat.

Ego Petrizolus Johannis Tuscani, auctoritate imperiali notarius, mandato dicti testatoris et rogatus scribere, scripsi, et etiam interliniavi *n*, *o*, *eam*, et *[tra]c[t]atis*, *vult esse*, *decederet*, et interliniavi etiam *pauperibus*.

[A tergo:]

Testamentum patris domine Johanne domini Musaroli.

XXVII.

1252, 24 decembris.

Ex archivo s. Francisci Bonon., nunc in Tabulario Max. bononiensi, sect. « *Demaniale* », num. $\frac{337}{5080}$, lib. C, n. 94.

(L. † S.) In nomine Domini, amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, indictione decima, die octavo exeunte decembri. In domo Abbatis et monasterii nonantulani, que est in civitate Bononie in parochia sancti Jeorgii de Pozale, presentibus dompno Tranchedo, venerabili abbate monasterii sancti Johannis parmensis, qui nunc moratur cum domino Abbate nonantulano infrascripto, et domino Raynerio domini Bonacurxii de Scanabicis, et domino Guillielmo filio domini Accharixij de Accharixiis, et domino Albertatio Guidonis Alberti de curia sancti Ambroxij, et Rubeo de civitate Parme de Fontanella, et dompno Simone, monaco dicti abbatis Tranchredi, et dompno Jacobo, et dompno Tiberto monaco ipsius monasterij, et domino Donato florentino, notario Abbatis nonantulani, et Jacobo de civitate Rome, qui moratur cum domino Synenomine, doctore Legum, testes rogati et vocati fuerunt. ℂ Cum lis et controversia verteretur inter dominum Cirsacum, venerabilem abbatem monasterij nonantulanj, et dompnum Paganum monacum et syndicum dicti monasterij ex una parte, et Comune seu Universitatem sancti Johannis in Perxixetj, et Raynerium de Albarelis syndicum dicti Comunis ex alia, cujus litis et controversie tenor talis est: Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, indictione nona, die duodecimo exeunte setembri in palatio veteri Comunis Bononie, presentibus domino Alberto Cazanimizi, domino Cabriele de Sancto Petro, domino Paxipaupero doctore legum, domino Merchadante de Migarano, et Vallino notario, testibus. ℂ Implorat offitium vestrum, domine Bonincontre judice (1) et assessor domini Bonifatij de Salis Potestatis Bononie, dompnus Paganus monachus et syndicus Abbatis Monasterii nonantulani, quatenus ex vestro offitio interdictum facere debeatis Comunj sancti Johannis in Perxixeti, vel syndico ipsius Comunis nomine ipsius Comunis, ut ipsum Comune, seu homines ipsius Comunis non debeant buschazare, vel sterpare, vel incidere, sive uti, vel ligna exsportare de terris, et nemoribus positis infra confines designatos per syndicum ipsius Abbatis et monasterij, scriptos manu Simonis Bonacose Rangonis notarii, qui laudatum fuit per dominum Johannem de Canova, arbitrum et arbitratorem electum inter Comune sancti Johannis et dictum monasterium, ipsum monasterium non esse inquietandum in possessione vel proprietate totius nemoris, paludis, terre aratorie, vineate vel prative quamte[c]umque sint, vel invenirentur infra limitem de Curtis, qui est a mane, et limitem de Ponte

(1) *Sic.*

longo, qui est a sero, et a quinquaginta perticis inferius a Dozolo Leonis Perleonis, et ipsum dominum Johannem corporalem possessionem et tenutam tradidisse partim dicti monasterij de dictis possessionibus infra dictos confines, quos dicit syndicus designatos esse per alium syndicum, ut dictum est supra; que quidem imploratio scripta est manu dicti Simonis; cujus designationis tenor talis est: Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, indictione nona, die dominica, tertio intrante septembri. Actum infra dictis locis designatis, presentibus domino Aczolino Marzigonis, Gratiano, nuncio Comunis Bononie, et Nicholao Nadalini notario, testibus vocatis. ℭ Dominus Raynerius de Albarolis, syndicus Comunis sancti Johannis, et dominus Tibertus condam Nonexij, massarius dicti Comunis, vice et nomine dicti Comunis interrogati a me Symone, notario Potestatis destinato a domino Bonincontro judice et assessore domini Bonifatij de Salis, Potestatis Bononie, quod designarent et demonstrarent michi notario locum ubi dicitur Dozolus Leonis Perleonis, qui dixerunt, comunicato conscilio decem hominum sancti Johannis, esse Dozolum supradictum a sancta Maria de Portu per centumundecim perticas, ad perticam sex brachiarum, mensuratas a muro dicte ecclesie recte [i]n viam usque ad locum qui dicitur Dozolus, et ibi sunt facte due cruces in uno salice, qui est a latere mane vie, et distat a dicta via sancte Marie per quinque perticas sex brachiarum, et una crus facta est in uno albaro, posito a latere sero vie juxta viam, et dicunt quod vadit inferius dictus Do[zo]lus ad schisam, versus mane, usque ad limitem Curti. ℭ Dominus presbiter Gerardus, syndicus monasterij de Nonantula, vice et nomine dicti monasterij, interrogatus a me Simone, notario Potestatis, destinato a dicto domino Bonincontro judice Potestatis quod designaret et demonstraret mihi notario locum ubi dicitur Dozolus Leonis Perleonis, qui dixit esse Dozolum predictum, a mane est flumen sancti Johannis, a sero limitus Curti, et vadit usque ad designatam inferius, et a segnata inferius usque ad voltam Guaranam, et illa designatio est supra ecclesiam de Alegralcore veclo, et est in loco, qui dicitur Gena, et incipit supra [s]tratam veterem, que est inter sanctum Johannem et Alegralcore veclo, que designatio scripta est manu dicti Symonis notarii.

Que lis et controversia mota fuit per dictum syndicum nonantulanum coram domino Bonincontro de Calisano, olim judice et assessore domini Bonifatij de Salis condam Potestatis Bononie, et pendebat coram domino Thomaxio, judice et assessore domini Henrici de Moza, Potestatis Bononie, cujus petitionis occasione factum fuit interdictum per dominum Bonincontrum Comuni et syndico sancti Johannis, nomine Comunis sancti Johannis, et dicto syndico dompno Pagano nomine dicti monasterii de omni eo, quod est designatum infra confines supradictos, ne deberent buschizari, vel sterpari, vel incidi, ne debeant inde ligna exsportari ab aliqua dictarum partium, ut patet de interdicto ex sententia sive pronuntiatione scripta manu Simonis Rangonis notarii, cujus interdicti tenor talis est: Millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, indictione nona, die primo intrante septembri in palatio veteri Comunis Bononie, presentibus Bartholomeo notario et Michaele notario, ℭ dominus Bonincontrus de Calisano, judex et assessor domini Bonifatii de Salis Potestatis Bononie, precepit Raynerio de Albirolis, syndico Comunis sancti Johannis in Perxixete, ut in banno mille librarum bononinorum pro se et dicto Comuni, quod non debeat buschizare, vel facere buschizari nemus, de quo est lis, secundum quod continetur in laudo facto a domino Johane de Canova ultra id, quod continetur in dicto laudo, sub dicta pena. Idem preceptum fecit syndico Abbatis Nonantule, sub dicta pena, quod interdictum confirmatum fuit per quandam sententiam, latam a dicto domino Bonincontro, cujus sententie tenor talis est: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Conscilium domini Guilielmi Panzonis, et mei Gerardi Figlogarij super questione et contenptione, que vertitur inter dompnum Paganum syndicum monasterii nonantulani, et ipsum monasterium ex una parte, et Raynerium de Albirolis, syndicum Communis sancti Johanis, et ipsum Commune, ex alia, super eo quod implorat dictus dompnus Paganus, nomine ipsius monasterii, per offitium judicis interdici dicto syndico et Comunj, ut ipsum Commune, vel homines ipsius Comunis non debeant buschizare vel sterpare, vel incidere, sive uti vel ligna exportare de terris et nemoribus positis infra confines designatos per syndicum ipsius Abbatis et monasterij, scriptos per Simonem Bonacose Rangonis notarium, et super aliis propositis et allegatis per advocatos utriusque partis, est tale: quod interdicatur utrique parti, seu syndicis Comunis sancti Johanis, et monasterij predicti, ne infra confines designatos per dictum Raynerium de Albirolis, syndicum Comunis sancti Johanis, et dominum Tibertum condam Tignoxij, massarium dicte terre, et per dompnum Gerardum presbiterum syndicum monasterij nonantulani,

secundum quod scriptum est per Simonem Bonacose Rangonis notarium, debeat buschizari vel sterpari aud incidi, et ne debeant inde ligna exsportari per eos, vel per aliquos pro eis, quousque interdictum fuerit relasatum. Et hoc ideo, quia utraque pars illud allegat ad se pertinere et se possidere, et pro dictis laudatum esse inter eos factum per dominum Johanem de Canova, arbitratorem inter eos electum, scriptum per Martinum de Urbino notarium; et ne possint propter hoc ad arma et rixas pervenire, et fiat dictum interdictum utrique parti sub certa pena judicis arbitrio statuenda. Et ut Comune Bononie plenam de predictis habeat securitatem ne possit monasterium nonantulanum, si non servaret, fori privilegium allegare, teneatur syndicus satisdare de pena, que imponeret solvenda, si faceret monasterium contra inter[di]ctum; et ne possit aliqua partium magno incommodo affici, ex eo quod predicta esset diutius sub interdicto, detur a judice terminus [q]uindecim dierum utrique parti ad probandum et ostendendum de jure suo et confinibus laudi. Quibus diebus elapsis, possit dictus judex, cui et quando sibi videbitur, tollere et confirmare interdictum; et si videbitur judici, possit dictam dilactionem abbreviare et prorogare suo arbitrio. Lata fuit hec sententia, et jn scriptis pronunciata per dominum Bonincontrum, judicem et assessorem domini Bonifatij de Salis Potestatis Bononie sub anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, indictione nona, die duodecimo exeunte septembri, in palatio veteri Comunis Bononie, presentibus domino Alberto Cazzanimizi, domino Cabriele de sancto Petro, domino Paxipaupero, doctore legum, domino Merchadan[t]e de Migarano et Vallino notario, testibus. Que quidem sententia scripta erat manu dicti Simonis notarii.

¶ Volentes ambe partes de predictis ad concordiam pervenire, compromiserunt dictus Syndicus nonantulanus et dominus Abbas prefatus, nomine predicti monasterij, et pro ipso monasterio ex una parte, et dominus Arimundus Jacobi de Bernardo, Potestas Comunis sancti Johanis, et prefatus syndicus ejusdem universitatis nomine ejusdem universitatis et pro ipsa universitate ex altera, de predicta lite et interdicto et questione et possessione, vel quasi, et dominio vel quasi, ejus totius quod est in questione, in dominos Bonapartem de Gisleriis et Sinenominem domini Sinenominis, doctores Legum, tamquam in arbitros et arbitratores, et amicabiles compossitores, seu laudatores; promittentes inter se ad invicem, et ipsis arbitris seu arbitratoribus seu amichabilibus compossitoribus, stare, parere, actendere, servare omne eorum laudum, arbitrium, preceptum, divisionem, designationem, adjudicationem dictorum dominorum, factum vel factam semel vel pluries inter predictas partes, tam super possessione, de qua supradicta questio vertebatur, quam etiam super ipsa terra, nemore, sive palude, seu proprietate ejusdem, quam etiam super omni eo, quod predictis dominis videbitur arbitrandum, seu amichabiliter disponendum; ita quod possit precipere, laudare, arbitrari, stando, sedendo, diebus feriatis et non feriatis, utraque parte presente, vel altera absente, dum tamen cytata, sub pena mille librarum bononenorum vicissim inter partes et ipsis arbitratoribus per stipullationem promisa. Qua comisa et exacta, vel non, partes teneantur observare omnia supradicta, sub obligatione bonorum dicti monasterij et dicti Comunis sancti Johannis.

Item dominus Abbas prefatus et syndicus predictus dicti monasterij, nomine dicti monasterij, et eorum precibus et mandato, dominus Accharixius, filius condam domini Guidonis de Accharixiis, et dominus Naxipaxe de Malpiliis de strata majori, et dominus Bonjacobus Alberti Pizole de parochia sancti Colunbani, et dominus Johannes Pasqualis, notarius de Pozale, et dominus Jacobus Cochus de Pozale, et dominus Guido Bochaderonco de Guarinis de porta sancti Petri, et dominus Jacobinus, qui dicitur Paglarinus, filius condam domini Guillielmi de Accarixiis, quilibet eorum principaliter et jn solidum se obligando, et renuntiantibus benefitiis novarum constitutionum de pluribus reis debendj, et auxilio epistole Divi Adrianj, et doli mali condictioni, et in factum, et sine juxta causa, et omni alii legum auxilio et decretorum, per se suosque heredes per stipulationem promiserunt Raynerio de Albirolis, syndico Comunis sancti Johannis, stipulanti nomine dicti Comunis, quod curabunt et facient ita, quod Capitulum nonantulanum dictum compromissum confirmabit expressim ad sensum dictorum dominorum, et omne laudum et preceptum et designationem et arbitrium et adjudicationem, quod et quam et que et quas facient predicti domini arbitratores, actendet et observabit perpetuo, et non contrafaciet vel veniet aliquo modo vel jngenio, aliquo tempore, sub predicta pena et obligatione bonorum suorum et dicti monasterij, et pena comisa et exacta, vel non, jn quolibet capitulo, et quotiens contrafactum fuerit laudum et preceptum seu arbitrium, et designationes et aiudicationes a pre-

dictis dominis arbitratoribus facte, semper valeant et teneant, et partes illa teneantur observare, que predicti domini dixerint.

Item dominus Arimundus Jacobi de Bernardo, Potestas dicti Comunis sancti Johannis, et Raynerius de Albirolis, syndicus dicti Comunis sancti Johannis in Perxixeti, nomine dicti Comunis sancti Johannis, et eorum precibus et mandato dominus Olidfredus doctor Legum, et dominus Gerardinus domine Adellasie de sancto Johanne in Perxixeto, et dominus Tibertus Tignoxij de dicta terra sancti Johannis et dominus Albertus Magnonus de dicta terra sancti Johannis et dominus Rolandinus Carmirixij de dicta terra sancti Johannis in Perxixeti, quilibet eorum principaliter et in solidum se obligando, et renuntiantibus benefitiis novarum constitutionum de pluribus reis debendi et auxilio epistole divi Adriani, et doli mali, condictioni, et in factum et sine justa causa, et omni Legum alij auxilio et decretorum, per stipullationem per se suosque promiserunt predicto domino Abbati et dompno Pagano monaco et syndico dicti monasterij nonantulani, stipulanti nomine dicti monasterij, quod curabunt et facient jta, quod dictum Comune et homines confirmabunt expressim dictum compromisum ad sensum dictorum dominorum et omne laudum et preceptum et designationem et arbitrium et adjudicationem, quod et quam et que et quas facient predicti domini arbitratores, actendet et observabit, et actendent et observabunt perpetuo, et non contrafacient vel venient aliquo modo vel ingenio aliquo tempore, sub predicta pena et obligatione bonorum suorum et dicti Comunis sancti Johannis in Perxixeti. Et pena comisa et exacta, vel non, jn quolibet capitulo et quotiens contrafactum fuerit laudum et preceptum, seu arbitrium et designationes et aiudicationes a predictis dominis arbitratoribus, semper valeant et teneant, et partes illa teneantur observare que predicti domini dixerint.

Hoc acto concorditer inter partes, quod predicti arbitri et arbitratores tenutam tradere possint predictis partibus ad eorum voluntatem, et quod possint possessorem et dominum constituere quamlibet partem ejus totius, quod cuique partium assignabunt. Et hoc etiam expressim actum est jnter eos, quod quilibet Potestas Bononie, et quilibet judex Potestatis seu Comuuis Bononie possit, et debeat quamlibet partem manutenere et defendere in possessjone et proprietate ejus, quod cuique partium fuerit assignatum ac si per sententiam jure ordinario tam in possessorjo, quam in petitorjo judicio esset definitum. Non obstante eo, quod lege cavetur, ne ex laudo vel compromisso penali, actio in factum vel ex re judicata horiatur. Cui legi ambe partes concorditer renuntiant.

¶ Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, jndictione undecima, die quintodecimo jntrante januario, jn sala palatij veteris Comunis Bononie, presentibus domino Aygone, notario de porta sancti Proculi, domino Roberto de Guazatorio, domino Guidone de Grizanna et domino Manfredo Bonbologni de burgo Galerie et Nicholao Nadalini condam Petri Nadalis, notario, et Virgilio de Albirolis, notario, et Bonizo servitore domini Arimundi de Bernardo, testes rogati et vocati fuerunt ¶ dompnus Lanfrancus monachus et syndicus monasterii sancti Sylvestri de Nonantula et totius capituli et conventus ejusdem, nominatim et specialiter ordinatus syndicus a dompno Paulo priore dicti monasterij, et a dicto capitulo, ad confirmandum et ratificandum, et ad approbandum compromissum factum per venerabilem virum dompnum Cirsacum abbatem et dompnum Paganum ejusdem monasterij syndicum ex una parte, nomine dicti monasterij, et Comune sancti Johannis et Raynerium de Albirolis syndicum dicti Comunis ex alia, nomine dicti Comunis factum in dominos Bonapartem et Sinenominem, doctores Legum, ut apparet de syndicatu ex jnstrumento scripto manu Nicholay Nadalini Petri Nadalis notarii, in presentia dictorum testium et arbitrum, sive arbitratorum, et dicti Raynerij de Albirolis, syndici dicti Comunis sancti Johannis, ratificavit, approbavit, confirmavit nomine dicti monasterij et totius conventus et capituli predicti, conpromisum factum in predictos dominos super questione, que vertitur jnter predictum monasterium nonantulanum ex una parte, et dictum Comune sancti Johannis ex alia, ut apparet de conpromiso scripto manu mei Alamanni notarii, et illud conpromisum, et omnia, que in dicto conpromiso continentur, vult habere robur et plenisimam firmitatem; et omnes promisiones factas predictis arbitris seu arbitratoribus et etiam predicto Raynerio de Albirolis syndico.

¶ Dominus Raynerius de Albirolis, syndicus Comunis sancti Johannis, nominatim et specialiter ordinatus syndicus a domino Arimundo Jacobi de Bernardo, Potestate Comunis sancti

Johannis et a dicta Universitate, ad confirmandum et ratificandum et ad approbandum conpromisum factum per dominum Arimundum predictum, Potestatem dicte terre, et Raynerium de Albirolis, syndicum dicti Comunis ex una parte, nomine dicti Comunis et dictum dominum Cirsacum, venerabilem abbatem monasterij nonantulani, et a dompno Pagano syndico dicti monasterij ex alia, nomine dicti monasterij, factum in dominos Bonapartem et Sinenominem, doctores Legum, ut apparet de syndicatu ex instrumento scripto manu Virgilij de Albirolis notarii, jn presentia dictorum testium et dictorum arbitrum et arbitratorum et dicti dompni Lanfranchi, syndici dicti monasterij, ratificavit, aprobavit et confirmavit nomine dicti Comunis et totius Universitatis, conpromisum factum in predictos dominos, super questione, que vertitur inter predictum Comune ex una parte, et dictum monasterium ex alia, ut aparet de conpromiso scripto manu mei Alamanni notarii jnfrascripti, et illud conpromisum et omnia que in dicto conpromiso continentur, vult habere robur et plenisimam firmitatem; et omnes promisiones factas predictis arbitris seu arbitratoribus et etiam predicto dompno Pagano sindico et abbati Cirsaco predicto.

Et ego Alamannus de Floranis, auctoritate imperiali Notarius, his omnibus interfui, et a predictis conpromisoribus et fidejusoribus et arbitris seu arbitratoribus rogatus seribere, scripsi, et me subscripsi.

In nomine Patris et Filij et Spiritus Sancti, amen. Ad honorem Dei et Beate Virginis Marie, nos Bonapars et Sinenomen, doctores Legum, arbitri et arbitratores seu amichabiles conpossitores, electi a dompno Cirsaco venerabili abbate monasterij sancti Silvestri de Nonantula, a dompno Pagano monacho et syndico dicti monasterij nomine dicti monasterij, ex una parte, et a domino Arimundo Jacobi de Bernardo, Potestate Comunis et hominum sancti Johannis in Perxixetj, et a Raynerio de Albirolis, syndico dicti Comunis, ex altera, nomine dicti Comunis super lite et controversia, que inter eos vertebatur, prout continetur in conpromiso scripto manu Alamanni de Floranis, notarij infra scripti, habentes plenam et liberam potestatem, ex vi dicti conpromisi, pronuntiandi, laudandi, sententiandi, ajudicandi, dividendi tam super possessione quam proprietate et dominio ejus totius poderis, quod in dicto conpromiso continetur, de quo inter predictos lis et questio vertebatur, habita diligenti deliberatione, et loco litis visioni oculorum subjecto, pro bono pacis et concordie, dicimus, laudamus et arbitramur, et amichabiliter disponendo pronuntiamus, quod dictus Raynerius de Albirolis, syndicus dicti Comunis sancti Johannis, nomine dicti Comunis, et ipsum Comune, habeat et teneat et pleno jure possideat ractione dominij et proprietatis, sine inquietatione alliqua a capitulo seu monasterio nonantulano imperpetuum facienda dicto Comuni, omne id quod est a centum undecim perticis supra, conputatis et asazatis ad perticam sex braziorum, ab ecclesia sancte Marie de Portu, eundo versus sursum directo, intra limitem de curtis a mane, et limitem de Ponte longo a sero, et incipiat dicta mensuratio supra viam, que est juxta dictam ecclesiam per quinque perticas a latere mane, et conpleta et facta mensuratione centum undecim perticarum versus sursum, damus et adiudicamus predicto syndico sancti Johannis et ipsi Comuni omne jd quod est ab illo loco supra, eundo directo ad filum versus mane, a limite de ponte longo usque ad limitem de curtis; hoc salvo quod liceat et debeat dominus Abbas predictus, et ejus syndicus nomine ipsius monasterij, et ipsum monasterium, incidere seu incidi facere, et incissum tollere et exsportare hinc ad tres annos proximos venturos omne lignamen, quod esset infra dictos limites in sparata, que est, vel diceretur esse, dicti domini Abbatis vel monasterij predicti; et precipimus dictum Comune sancti Johannis non debere inquietare seu molestare dictum Abbatem seu dictum syndicum in incissione et exportatione dicti lignaminis; et precipimus quod dictum Comune sancti Johannis non debeat buschizare vel buschizari facere dictam sparatam, que est infra dictos limites usque ad dictum terminum, quousque dictum lignamen per dictum Abbatem, vel ejus syndicum vel alium, nomine dicti monasterij, integraliter fuerit exsportatum.

Item precipimus quod predictus dominus Abbas et syndicus ipsius monasterij, nomine dicti monasterij, et ipsum monasterium, non debeat inquietare in dominio, proprietate seu possessione dictum Comune sancti Johannis in eo, quod supradicto Comuni concessimus, seu aiudicavimus, vel in aliqua parte ejus.

Item laudamus et pronuntiamus et dicimus, et amichabiliter disponendo arbitramur, quod dictus dominus Abbas et dompnus Lanfrancus syndicus dicti monasterij, nomine et vice dicti monasterij, et ipsum monasterium, habeat et teneat et pleno jure possideat ratione dominij et

proprietatis, sine jnquietatione aliqua a dicto Comuni sancti Johannis imperpetuum facienda dicto monasterio, omne id, quod est inferius a loco, dato et consignato a nobis supra, Comuni sancti Johannis, et vadat versus mane directo ad filum usque ad limitem de Curtis.

Item pro bono pacis et concordie laudamus et arbitramur et amichabiliter disponendo pronuntiamus, quod dictus syndicus sancti Johannis, nomine dicti Comunis, et dictum Comune, det et solvat dicto domino Abbati, nomine dicti monasterij, et ejus syndico dompno Lanfranco, ducentas libras bononenorum hinc ad kalendas martii proximas venturas.

Item precipimus quod dictum Comune sancti Johannis non debeat jnquietare jn dominio, proprietate, seu possesione dictum monasterium in eo, quod supra dicto monasterio concessimus, seu aiudicavimus, vel jn aliqua parte ejus.

Item ad eternam rei memoriam precipimus quod predictum Comune sancti Johannis, nomine dicti Comunis, et ejus syndicus, et dictus dominus Abbas, nomine dicti monasterij, et ejus syndicus, faciant vel fieri faciant comuniter et comunibus expensis unum fossatum jn confinio supradicto, qui vadat ad filum a limite de ponte longo usque ad limitem de Curtis versus mane, et sit amplum per sex pedes et cavatum per quatuor pedes, et jn quolibet capite dicti fossati et etiam jn medio debeant comunibus expensis facere vel fieri facere unum bonum pillastrum de malta calcina, grossum et amplum in omni parte sui per tres pedes, et altum per duos puntos hinc ad festum sancti Michaelis de mense septembris proxime venturi. Et precipimus quod dictum fossatum debeat discomborari de tertio jn tertium annum comuniter, et comunibus expensis. Quod laudum factum fuit in presentia Raynerii de Albirolis syndico predicto, et dompni Lanfranchi syndici dicti monasterij, ad quem dictum conpromisum traslatatum fuit.

Que omnia et singula jn comuni concordia laudamus, arbitramur et diffinimus, aiudicamus, dividimus et precipimus inviolabiliter observare ab utraque partium, sub pena que in conpromiso continetur.

Latum sive pronuntiatum, sive lata seu pronuntiata fuit hec sententia seu laudum in Capitulo ecclesie sancti Salvatoris de porta Nova, presentibus dompno Guezo, Priore sancte Marie de Reno et sancti Salvatoris predicti, et donno Ugolino domini Zamboni Episcopo, et domino Martino Prosperoso notario, et domino Jacobello domini Petrizoli Femine notario, et domino Petrizolo Asaldine de Porta Nova, et domino Petrizolo condam domini Ugolini de Gisso de Porta Nova, et domino Malatigna condam Jenoisij de Porta Nova, et domino Raymundino Geffadelli de Porta Nova, et domino Corvolino Barberio, et domino Nicholao Nadalini condam Petri Nadalis notario, et domino Jacobo Cocho, testes rogati et vocati fuerunt.

Et jnterlineavi *ad jnvicem et ipsis arbitris seu arbitratoribus seu amichabilibus conpositoribus* et *omni*, et *facient,* et *facient,* et *conpositores.*

Et ego Alamannus de Floranis, auctoritate jmperiali notarius, his omnibus jnterfui, et mandato dictorum arbitrum seu arbitratorum scripsi, et me subscripsi.

[A tergo:]

Sententia lata per dominos Bonapartem et Senzanominem pro sancto Johanne.

XXVIII.

1256, 28 februarii et 24 mai.

Ex *Registro novo,* car. 102 r.

De litteris Communis Bononie, quod vadant Faventiam recepturi — Rubrica — Exemplum quarumdam litterarum sic incipientium:

Magne nobilitatis et sapientie militibus Potestati et Capitaneo, et Anzianis et Consulibus civitatis Bononie, et Consilio et Communi Nicholaus quondam Ramberti Bazallerii, Guillielmus Gosius, Potestas, Rainerius de Liazariis, Capitaneus populi Faventie, Consilium, contio et Commune se ipsos eidem beneplacita et mandata de vestra dominatione, potentia et sapientia gerentes fiduciam specialem, idcirco vos reputamus tamquam dominos speciales; hinc est quod, cum una pars et alia faciunt et fecerunt guarnimenta ad destructionem civitatis Faventie, et non modi-

cam lexionem, et habeant firmum propositum malefaciendi, vos tanquam patrem et dominos requirimus humiliter et devote, quatenus vestro honore, et devotionis intuitu, vobis placeat nos succurrere, et venire ad substentationem civitatis Faventie, que est vestra, pro Deo et intuitu pietatis firmiter cognoscentes, quod sumus parati et erimus vestra mandata facere, et vos in omnibus obedire, ipsam civitatem accipiendo in vestra fortia et virtute, defendendo ipsam et manutenendo ad vestrum servitium pariter et mandatum, omni mora postposita, cognoscentes firmiter; quod si facere omiseritis, dicta civitas est destructa. Venite domini, venite sine mora intuitu pietatis.

Millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, indictione quatuordecima, die lune penultimo februarii. In sala palatii veteris Communis Bononie ubi habitat dominus Jordanus de Lucino, Capitaneus populi Bononie, presentibus Hostaxino notario et Fide de Florentia merzario, testibus.

Ego Guido Romei, imperiali auctoritate notarius, has literas de licentia et mandato domini Jordani de Lucino, Capitanei bononiensis populi, scripsi et exemplavi, et me subscripsi.

De Potestate Faventie, super carocio Communis Bononie ipsam terram regere.

In nomine Domini, amen. Millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, die mercurii, vigesimo quarto die madii, indictione quartadecima. In civitate Bononie in platea Communis supra carotium Communis Bononie ad honorem Dei et sancte Ecclesie et Communis et populi Bononie, et ad reformationem et bonum et pacificum statum Communis Faventie, iuro ego Churadus de Surixana, Potestas Faventie, regere dictam civitatem Faventie et ejus districtum et comitatum et homines civitatis et comitatus et districtus ejusdem hinc ad kalendas proximas marcii bone fide, sine fraude, et homines (1) universis civitatis et comitatus et districtus ejusdem a me et a meis judicibus postulantibus justiciam observabo et fatiam observari, et ad honorem et commodum Communis et populi Bononie, et Communis Faventie jura et honores Communis Faventie manutenebo et conservabo, et ab aliis detenta seu indebite occupata recuperabo pro posse, et recuperata conservabo, et pro meo salario et meorum judicum et totius mee familie a dicto Communi Faventie percipiam et consequar mille libras ravignanas tantum ad tres terminos persolvendas, secundum quod continetur in litteris Faventie de dicto regimine ad me missis, et equos meos et tocius mee familie ad meum periculum et fortunam tenebo, nisi, quod Deus advertat, in servicio Communis Faventie interficerentur, vel vulnerarentur, vel admitterentur; quo casu accipere possim a Communi Faventie iustum mendum (2); si quid autem de avere Communis Faventie ad manus meas pervenerit vel meorum, infra tertium diem Massario Communis Faventie consignabo vel faciam consignari, et predictum regimen et omnia et singula supradicta faciam et observabo ad voluntatem et intellectum Potestatis et Capitanei et Comunis et populi Bononiensium, et ea, que per predictos michi mandata fuerint, observabo. Laudum etiam, arbitrium et arbitraria, preceptum et precepta omnia et singula, que fient per dominum Bonacursum de Surixina, nunc Capitaneum populi Bononie ex vigore conpromissi seu conpromissorum in eum factorum a syndicis tam parcium quam Communis Faventie observabo et observari faciam toto posse, nec eis nec alicui eorum in aliquo oviabo, nec paciar quod eis in aliquo ovietur. Si quid autem huic meo iuramento additum fuerit per populum et Commune Bononie tenear observare, et si quid inmutatum fuerit vel detractum, immutatum servare tenear secundum quod fuerit inmutatum; de detracto non tenear, nec de capitulis sive statutis factis vel facturis per faventinos, precisis vel non precisis, tenear in toto nec in parte, nisi secundum voluntatem Potestatis et Capitanei et Communis et populi Bononie.

Actum in dicta platea Communis Bononie supra ipso carocio (3) in publica co[n]ctione Communis Bononie per sonum campane et tubarum more solito congregata, voluntate ipsorum existentium in ipsa co[n]ctione, et nemine contradicente.

Interfuerunt ibi testes dominus Philippus Giringellus, Potestas Forlivi et Forlimpopuli, et dominus Lambertinus quondam domini Mathey de Samaritanis, Capitaneus populi Forlivi, et dominus Jacobus de Claro, judex Potestatis Bononie, et dominus Jacobinus Desiderij et dominus

(1) *Sic.*
(2) *Mendum* pro *emenda*. Cfr. Du Cange, *menda*. (Ed. MDCCCLXXXV.) V., 339.
(3) *Sic.*

Bollognius Montis, anziani populi Bononie, et Gruamons de Cazanimico et Tomasinus de Liazariis civis Bononie et plures alii, unde plura instrumenta uno tenore rogati sunt fieri.

Ego Vitalianus filius quondam Chunradi de Vico mercato, civis Mediolani, notarius, interfui, tradidi et scripsi.

XXIX.

1256, 25 augusti.

Ex Tabulario Max. bon., in *Registro novo,* car. 363 v.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ad honorem gloriose Virginis Marie et omnium Sanctorum, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, indictione quatuordecima, die veneris septimo exeunte augusto; dominus Manfredus de Maringo, Bononie Potestas, et dominus Bonacurxsus de Surrixina, Capitaneus populi Bononie, arbitri electi in communi concordia per dominum Nicholaum de Tenchararíis, syndicum Communis Bononie, voluntate et consensu Consili, populi et Communis Bononie ex una parte, et per dominum Gaudinum Jacobi Guarini procuratorem dominorum et dominarum, voluntate ipsorum ed hoc specialiter syndici et procuratores constituti occasione servorum et anzillarum, seu illorum qui habiti sunt de maxinatis, possessorum et possessarum, detentorum et detentarum, quorum est procurator dictus dominus Gaudinus, quorum nomina superius scripta sunt, vel aliqui eorum vel earum habentes plenam et liberam potestatem arbitrandi, sententiandi, laudandi, judicandi et precipiendi super predictis et in predictis, ad omnem ipsorum arbitratorum voluntatem, tam de servis et anzillis, seu habitis pro maxinatis vendendis et emendis pro Communi Bononie quam precio constituendo pro quolibet servo et anzilla, seu habito pro maxinata ad omnem ipsorum arbitratorum voluntatem, diebus feriatis et non feriatis, in scriptis et sine scriptis, omni solempnitate juris omissa, stando, sedendo, una parte presente et altera absente, dum tamen cytata, ut constant predicta per compromissum scriptum manu mei Ubertini notarii, arbitrantur, sententiant, laudant, iudicant et precipiunt in communi concordia, quod dicti domini et domine, seu eorum procurator et cujuslibet eorum legitime faciat dicto domino Nicolao syndico nomine dicti Communis seu dicto Communi, datum et venditionem et iurium cessionem de personis tam servorum et ancillarum, seu habitorum pro maxinata, possessorum et possessarum, detentorum et detentarum per dictos dominos et dominas, qui et que scripti sunt seu reperiuntur in libro mei Ubertini notarii, ubi scripta sunt nomina servorum et ancillarum, seu maxinatarum et approbati fuerunt per Potestatem, Capitaneum esse de maxinata, et qui nunc habitant in civitate seu episcopatu Bononie, salvo et reservato ipsis dominis et dominabus omni jure in peculiis et rebus dictorum servorum et ancillarum habitis per ipsos servos et anzillas eis debitis, vel aliis pro eis ubicumque reperirentur; et hoc pro pretio et pagamento inferius denotato. Item arbitrantur, sententiant, laudant, iudicant et precipiunt in communi concordia quod Commune Bononie teneatur et debeat cuilibet dominorum et dominarum, sive eorum legitimo procuratori, ad solutionem recipiendam ordinatam, dare et solvere pro quolibet servo et anzilla, qui et que scrîpti et scripte reperiuntur in libro mei Ubertini notarii, approbati ut supra dictum est per Potestatem et Capitaneum, decem libras bononenorum pro quolibet servo et anzilla quatuordecim annorum vel pluris, et octo libras bononenorum pro quolibet servo et anzilla minore quatuordecim annorum; quod pretium solvatur per Commune Bononie dictis dominis et dominabus, vel eorum procuratori, in hiis tribus terminibus, videlicet prima tertia pars dicti pretij solvatur et detur eisdem infra primos quatuor menses anni proximi futuri currentis, anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo; secunda vero tertia pars in aliis primis quatuor mensibus anni secundi currentis MCClviij; alia tertia pars et complementum pretii supradicti in aliis quatuor primis mensibus anni tertii currentis MCClviiij. Item quod pretium supradictum dictorum servorum et anzillarum debeat poni in Memoriali Communis Bononie cujuslibet domini et domine per se, ita quod ipsi domini et domine possint compensare et alii cui jus suum cederent, et Commune cum eis, tam cum hiis qui cesserunt, et cum illis quibus cessum foret sive ante hunc contractum, sive post. Item quod

res peculiares mobiles et immobiles et alie quascumque servi, seu hii qui habiti sunt pro maxinatis, habuerint apud se vel alios pro eis, debeant libere remanere apud dominos eorum, seu habitos pro dominis, et libere remaneant. Item quod Potestas et Capitaneus qui pro tempore fuerint, seu alter eorum, habeant liberum arbitrium summarie inquirendi sine aliqua juris solempnitate, ad instantiam dominorum, de peculiis et rebus predictis ubi sint, et apud quos sive in eis, vel aliis dicantur instrumenta conscripta vel non, sive apud quemcumque esse dicerentur quocumque modo et ex quacumque causa esse vel fuisse: et si apparuerit quod pertinuerint ad servos vel ad dominos, seu habitos pro dominis per eos, debeat Potestas et Capitaneus seu alter eorum facere illas res restitui, nisi de consensu et de voluntate dominorum et dominarum in alios pervenissent, secundum quod ipsi Potestati et Capitaneo videbitur ad eorum voluntatem. Item quod quilibet alius qui habeat vel habuerit de peculiis predictorum, seu rebus pertinentibus ad dominos, seu habitos pro dominis ex causa depositi vel alia quacumque, si non manifestaverit infra duos menses post laudum factum a Potestate et Capitaneo de servis et anzillis, seu habitis pro servis et anzillis seu maxinatis, dominis, seu habitis pro dominis, eorumdem, penam dupli ejus, de quo apparuerint habere vel habuisse, persolvere compellatur. Medietas cujus sit Communis et alia dominorum; et de predictis possit omni tempore inquiri et puniri. Ita quod predicta semper remaneant in arbitrio Potestatis et Capitanei. Item parentes liberi, qui habent aliquem vel aliquos filios vel filias, servos seu anzillas, sive de maxinata, teneantur et debeant illi, vel illis filiis vel filiabus de suis bonis dare partem contingentem pro virili. Item laudant, sententiant et judicant in communi concordia, quod servi et anzille, seu habiti pro servis et maxinatis, qui et que reperiuntur scripti in libro mei Ubertini notarii, ex nunc sint liberi et franchi, et ponantur in libro fumantum et subeant honera Communis sicut faciunt liberi, salva semper ipsis Potestati et Capitaneo dilucidatione et declaratione et interpretatione in predictis et circa predicta, si qua dubitatio vel obscuritas appareret; et de predictis omnibus et singulis ordinamentis super hoc factis et super dictis capitulis fiat Statutum precisum, de quo teneatur Potestas et Capitaneus, anziani et consules, qui nunc sunt vel in futurum erunt, et ponatur in Statutis Communis Bononie et populi, quod absolvi, intelligi, dispensari, interpretari aliquo modo seu causa non possit nec debeat per Statutum seu reformationem, que ex nunc fieret, nec per populum Bononie neque per Capitaneum, Anzianos et Consules, neque per Potestatem, Consilium Communis Bononie et populi, neque per dominum Papam, seu ejus legatos. Et hec omnia precipimus inviolabiliter observari a dictis partibus sub pena et in pena, que in compromisso facto continetur.

Actum in palatio veteri Communis Bononie in Conscilio speciali et generali Communis Bononie ad sonum utriusque campane more solito congregato, in presentia dicti domini Gaudini Procuratoris, et domini Nicholay Syndici Communis Bononie ad laudum et sententiam audiendam. In quo quidem Conscilio dominus Nicholaus Syndicus, nomine dicti Comunis, juravit super animabus Conscilij et Communis Bononie, Potestatis et Capitanei, Anzianorum et Consulum (1), et dominus Gaudinus suo nomine juravit super animam suam et omnium illorum quorum procurator est, omnia et singula attendere et servare inviolabiliter ut supra laudatum et pronuntiatum est per dictos Potestatem et Capitaneum.

Presentibus domino Petrizolo Ramixini, Johanne de Mutina, Graziadeo Gerardelli aurificis, Anziano populi, et domino Alberto de Principibus, domino Cabriele Grugni, Albertuccio de Sabadinis, consule mercatorum et campsorum, Jacobino Bocazo, Stephano et Caxoto, bannitoribus Communis Bononie et aliis multis de hiis testibus rogatis.

Ego Ubertinus quondam Lambertini Jacobi de Pistore, imperiali auctoritate Notarius, dictis omnibus compromissis et sententiis interfui et rogatus a dictis Potestate et Capitaneo et a dicto Syndico Communis Bononie et a dicto procuratore scribere predicta, omnia scripsi publice et me subscripsi.

(1) In *Reg. gr.*: « *antianos et consules* ».

XXX.

1257, 17 februarii.

Ex Archivo Max. Bon., in *Registro novo*, c. 103 r.

De laudo facto de Faventia, qualiter pro Comuni Bononie debeat permanere.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Nos Bonacursius de Surixina, nunc Potestas Bononie et tunc Capitaneus populi Bononie, seu arbitrator electus a Potestate et Comuni Faventie nomine dicti Comunis, dataque in nobis licentia arbitrandi et laudandi et diffiniendi inter homines et partes dicte civitatis, et data que nobis potestas diffiniendi et precipiendi dicto Comuni et Universitati quicquid viderimus expedire honori et bono statui civitatis Bononie, et ut ipsa civitas Faventie possit perpetua pace potiri, et Comuni Bononie indissolubili vinculo alligari, et ut utraque civitas Bononie et Faventie in bono et paciffico statu perduret et semper debeat permanere, laudamus, pronuntiamus, arbitramur et precipimus, quod Comune et civitas Faventie habeant et habere debeant perpetuam pacem, et omnes de civitate et districtu Faventie nomine partium inter se, et ipse partes, nullam offensam, injuriam, vel gravamen sibi ad invicem inferant, sed comuniter adinferant, et comuniter intendant bono et paciffico statui Comunis Bononie et Comunis Faventie.

¶ Item precipimus et laudamus ut anuatim requirant Comune Bononie, ut det sibi rectorem, seu Potestatem cum feudo et salario consueto, et quem Comune Bononie eis dederit, habeant pro rectore, et si capitaneum habere voluerint, eodem modo debeant a Comuni Bononie petere et tenere eum, quem Comune Bononie eis dederit.

Item precipimus et mandamus quod dictum Comune Faventie et homines dicte terre teneant et tenere debeant pro amicis amicos Comunis Bononie et pro inimicis inimicos Comunis Bononie; et si per Comune Bononie fuerit dicto Comuni iniunctum de guerra facienda, vel pace alicui civitati, ville, vel castro, vel Baroni, vel alicui singulari persone, vel provintie, secundum quod mandatum fuerit observabunt; et exercitum et exercitus et cavalcatas facere teneantur iuxta mandatum Comunis Bononie, et arma et equos imponere in civitate et districtu Faventie quotiescumque per dictum Comune Bononie fuerint requisiti, et arma tenere imposita atque equos teneantur, donec ipsi Comuni Bononie placuerit.

Item precipimus et laudamus, quod fossata dicte civitatis seu fovee, conplanata et conplanate sint, sicut nunc sunt, et haberi debeant inperpetuum et teneri; neque refici debeant nec cavari vel aliter reaptari absque licentia Comunis, Consilii et Populi bononiensis et consensu.

Item precipimus et mandamus, quod omnia victualia et alia merchadandie de civitate Faventie et ejus districtu possint duci et trahi et portari per cives Bononie ad civitatem Bononie a[b]sque aliquo datio seu tolomeo (1). Item ut utraque civitas Bononie et Faventie victualibus habundent, dicimus et laudamus quod aliqua victualia de districtu dicte civitatis Faventie vel de dicta civitate non debeant vel possint extrahi vel portari versus aliquam aliam civitatem, preter quam versus civitatem Bononie, nec de predictis extrahendis vel portandis debeat vel possit alicui civitati vel castro, vel singulari persone fieri gratia, licentia, vel concedi absque licentia Potestatis, Capitanei et populi Comunis Bononie.

Item dicimus et laudamus, quod similis moneta, que expenditur in civitate Bononie, expendatur et currat in civitate Faventie et ejus districtu.

Item dicimus et laudamus quod hec omnia et singula ponantur et poni debeant, et semper esse in statutis Comunis Faventie precise, et in statutis Comunis Bononie precise, et de hoc teneatur Potestas, que fuerit ad regimen dicte terre et Potestas Bononie facere observari. Et hec omnia et singula debeant attendi et observari in omnibus et singulis capitulis supradictis sub pena que in compromisso continetur, scripto manu Vitaliani de Vichomercati notarii, quo-

(1) *Tolomeo* pro *teloneo;* idest *tributum, vectigal.* Cfr. Du Cange, VIII., 118 et 119. — V. etiam *telon, telonum, tolletum, tollonium, toln* et *tolomena.*

tiens comissa fuerit; qua soluta, vel non, laudum et omnia que in eo continentur, in sua permaneant firmitate et obligatione bonorum Comunis Faventie.

Pronuntiatum fuit hoc laudum per dictum Bonacurxium de Surixana Potestatem Bononie in palatio veteri Comunis Bononie, congregato Consilio generali et spetiali Comunis Bononie per sonum campanarum, more solito, sub anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, indictione quintadecima, die duodecimo exeunte februario.

Presentibus domino Martino de Burgo, domino Bonavintura de Savignano, legum doctore, et domino Raynerio de Liazariis, domino Lambertino Guidonis Buvalelli, domino Arimondo de Romanciis et domino Rodulfo de Graidano et domino Guinizello domini Magnani et domino Jacobino Botatio et domino Bono Jacobo Squartonis et pluribus aliis, testes rogati et vocati.

Ego Jacobinus filius Ribaldini, imperiali auctoritate notarius, et tunc notarius Anzianorum et Consulum et populi Bononie, ut supra legitur, de mandato dicte Potestatis hoc laudum scripsi et publicavi et subscripsi.

XXXI.

1262, 9 iulii.

Ex archivo Metropolitanae ecclesiae s. Petri bonon., nunc in Tabulario Max. bonon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{22}{209}$, doc. n. 28.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta . . . .

(1) Eodem anno et indictione, die nono intrante julio, precepit dominus Electus [Bononiensis] predictus predictis Sindicis, quod cras, post nonam, statim sint in eodem loco cum Sapientibus suis ad allegandum adhuc ali[quid] si volunt coram Sapientibus electis per eum, et perentorie, et ad sententiam audiendam.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Super questione, que vertitur inter Bolnisium notarium, procuratorem et sindicum Capituli Bononiensis, et fratrem Guidonem de sancto Mauritio, sindicum et procuratorem Ecclesie et Fratrum Heremitarum sancti Jacobj de Savina juxta Circlam civitatis Bononie, utrum pactum factum per venerabilem patrem dominum fratrem Jacobum bononiensem Episcopum, pro se et Capitulo bononiensis Ecclesie ex una parte, et quendam fratrem ecclesie et Ordinis predictorum fratrum sancti Jacobj de Savina, nomine dictorum fratrum ex altera, et utrum moderatio facta per dictum venerabilem patrem bononiensem Episcopum super dicto pacto valeat et teneat, et sit equa vel non, consilium dominorum Oldofredj, Bonrecupri de Porro et Jacobini Gratiadej, Legum doctorum, et domini Navarri canonici Burgensis, est tale, ut dictum pactum, cujus pacti tenor talis est etc., valeat et teneat et valuerit et tenuerit, et quod moderatio facta a predicto venerabili patre domino fratre Jacobo, quondam bononiensi Episcopo, cujus moderationis tenor talis est etc., valeat et teneat, et sit equa et justa et fuerit, et debeat observari, cum equa et iusta sit et cum ab ea non fuerit appellatum; in hoc scilicet debeat observari, ut fratres dicte ecclesie sancti Jacobj de Savina non recipiant ad sepulturam parochianos ecclesiarum sancte Marie Magdalene, sancti Leonardj, et sancti Egidii, et in omnibus aliis que in dicta moderatione continentur, non obstante indulgentia generali concessa dictis fratribus et ordini Heremitarum sancti Jacobj de Savina a bone memorie domino Innocentio Papa quarto, cum in dicta indulgentia impetranda de predicto pacto non fuerit facta mentio; et non obstante alia indulgentia, concessa predictis fratribus et ordini a bone memorie domino Alexandro Papa quarto, cum dicta indulgentia et ejus generalitas sit res[trin]genda ad id de quo specialiter agebatur, scilicet ad presentacionem Prioris dicte ecclesie, et visitationem et corretionem, non autem complectatur sepulturam, scilicet ut dicti fratre[s]

(1) Praecedit mandatum quo, sub die ultimo iunii eiusdem anni, sindicus et procurator Archipresbiteri et Capituli bononiensis ecclesiae, ex una parte, et sindicus et procurator Prioris et conventus sancti Jacobi *de Savena*, Ordinis Heremitarum ex altera, habentes ad compromittendum de litibus et quaestionibus inter dictas partes vertentibus speciale mandatum, compromiserunt se in dominum Octavianum, Episcopum bononiensem, ut lites praedictas definiret.

parochianos dictarum trium ecclesiarum recipere possint ad sepulturam contra formam dicte moderationis.

(L. † S.) Ego Matheus quondam Jacobj palatini, auctoritate imperiali notarius, sedens ad pedes venerabilis patris domini Octaviani, Bononie Electi, et predictorum quatuor peritorum, hoc consilium ipsi domino Electo, per predictos quatuor Sapientes datum in comuni concordia, de ipsorum mandato scripsi, et eis legi semel, secundo et tertio, sicut jacet, et de ipsorum mandato publicavi et scripsi.

XXXII.

1269, 9 et 10 februarii.

Ex Archivo Max. bon., in Memorialibus Communis Bononiae,
Memor. Semprebene de Nigro, car. 33 v. et 34 r. et v.

¶ Die dominico decimo intrante februario. Ego Semprebene Uguitionis Nigri, auctoritate Imperiali notarius existens in conscilio speciali et generali Communis Bononie, infrascriptum pactum lectum per Sucium Rovisii, notarium ad Reformationes communis in dicto conscilio, in hoc memorialj secundum formam ordinamentorum apposuj et de manu mea scripsi.

In nomine Domini, amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo nono, indictione duodecima, die sabati nono intrante februario. Jacobus Caxottus bannitor Communis Bononie, syndicus predicti Communis ad hoc specialiter constitutus, ut de syndicatu ejus apparet ex instrumento scripto manu Bonaventure de Prunarola notarii ad discum domini Potestatis, nomine et vice Communis Bononie, et pro ipso Communi dedit, concessit et locavit opus et laborationem et fabricationem monete Communis Bononie, que fieri debet ex forma statuti Communis Bononie, domino Bitto de Tornaquincis de Florentia pactis, promissionibus, conventionibus et conductionibus infrascriptis; videlicet quod predictus dominus Bittus debeat et teneatur et promisit dicto Jacobo syndico Communis Bononie recipienti et stipulanti vice et nomine dicti Communis, facere et fieri facere monetam bononinorum crossorum de lega in libra bon. crossorum de decem uncijs et tercia de bono argento et purificato, sicut est argentum venetorum crossorum, et de pondere in marcha ad marcham bononinorum de tredecim solidis et quatuor denariis. Et ipsa moneta debeat balanzari ad fortes et ad flebiles, ita quod fortes possint esse de tredecim solidis et duobus denariis in marcha et non minus, et flebiles de triginta solidis et sex denariis in marcha et non plus, et de ipsis fortibus et flebilibus non possint esse in unzia ultra duo fortes et duo flebiles; et quod bononini crossi debeant esse forniti, ita quod sint pulcri et albi; et debeat zerchari per suprastantes monete omni vice, qua extrahetur sazum, et sazum fieri debeat ad voluntatem suprastantum monete, qui erunt pro Communi Bononie, vel voluerint in denariis, vel in virgis secundum quod suprastantibus magis videbitur convenire pro maiori utilitate Communis Bononie. ¶ Modus autem monete parve fiat hoc modo, et facere et fieri facere promisit secundum infrascriptum modum, scilicet quod tantum argentum sit in duodecim bononinis parvis quantum est in uno bononino crosso, et debeant esse de quinquaginta duobus et quarta in unzia albi et forniti. Et debeat ipsa moneta balanzari ad fortes et flebiles, ita quod in unzia non possint esse ultra tres fortes et tres flebiles, videlicet quod flebiles non possint esse plus quinquaginta quinque et quarta, et fortes minus de quadraginta novem et quarta, et exeant de zecha pro libra ad rationem quinquaginta duorum solidorum et trium denariorum, albi et forniti. Promisit etiam dictus dominus Bettus et coniata moneta parva taliter, quod ipsi denarii sint forniti et albi, et sint quinquaginta duo soldi et tres denarii in libra ponderata, si reducerentur ad ignem, quod possint et debeant extrahi pro sazo due unzie et quarta de argento venicianj crossi in libra, vel pro libra. ¶ Item quod faciet dictus Bettus reduci in scriptis totum argentum et bolzonem, quod emerit; ita quod extrahatur de moneta tantum arzentum et bolzonem in moneta facta, quantum sibi erit datum dicta de causa, salvo callamento. ¶ Item quod non expendet dictus dominus Bittus Bolganus, nec expendi faciet de dicta moneta aliquem denarium parvum vel crossum per se, vel alium, nisi primo fuerit approbata et laudata per suprastantes monete. ¶ Et totum argentum et bolzonem sibi datum pro dicta moneta facienda, faciet de ipso argento et bolzone monetam

crossam et parvam, et non aliud aliquo modo. ℂ Et promisit dictus dominus Bittus Bolganus pro taglatore et assagatore suo, quod bene et legaliter facient, et quod presentabit eos in forcia Communis Bononie quociens placuerit domino Potestati ad voluntatem suprastantum. ℂ Et dictam monetam faciet et fieri faciet a die contractus in antea ad duos annos continue, secundum modum monete, laborando quando moneta poterit laborari sine dampno usque ad capitale, omnibus suis expensis tam de domo quam massaraticis et omnibus alijs pro dicta moneta facienda oportunis. ℂ Item quod aliquis civis vel commitatinus in dicta moneta facienda, vel fieri facienda non possit nec debeat habere partem aliquo modo vel ingenio, et non intelligatur quod illi sint cives Bononie qui sunt originarii civitatis Florentie, silicet Blanchus Begnaminj Glandonis, Spinellus Flachi Bonacursij, et Massus Rustici Clariti, in pena et banno quingentarum librarum bononinorum; et quod aliqua alia persona non possit nec debeat habere partem in dicta moneta facienda vel fieri facienda, nec aliquis civis vel comitatinus possit habere partem in ipsa moneta in dicta pena et banno quingentarum librarum bononinorum, auferendo tam dicto conductori monete, quam aliis omnibus, qui haberent partem in dicta moneta contra predictam formam. ℂ Et quod suprastantes elligantur ad voluntatem domini Potestatis et domini Capitanei, expensis tamen monete; ita quod quilibet habere non possit ultra triginta solidos bononinorum, et mutentur singulis duobus mensibus sicut videbitur domino Potestati et domino Capitaneo. ℂ Et quod illi qui erunt electi in suprastantes ad predicta laudanda et approbanda debeant iurare de novo coram domino Potestate et domino Capitaneo et coram Bulgano predicto vel conductore monete laudare et approbare monetam secundum supradictum modum, bona fide, tam pro communi Bononie, quam pro ipso Bulgano vel conductore monete.

ℂ Item quod suprastantes, qui electi fuerint, teneantur venire levare et levari facere sazum, et approbare ipsam monetam, secundum modum supradictum, quociens fuerint requisiti per ipsum Bulganum, vel aliquem de socijs ejusdem; et dominus Potestas, si fuerit requisitus, teneatur dictos suprastantes cogere venire ad predicta facienda, in banno centum solidorum bononinorum auferendo cuilibet suprastanti, qui venire differet vel recusaret venire, pro qualibet vice. Et si dicti suprastantes, qui erunt super dicta moneta approbanda, essent in discordia cum dicto domino Bitto Bulgano, conductore monete, vel aliquo de socijs ejusdem de approbanda dicta moneta, quod dominus Potestas et Capitaneus teneantur ad voluntatem dicti domini Bitti Bulgani vel suorum sociorum et ad ipsorum requisitionem accipere Fratres regulares, qui debeant preesse sazis faciendis et tenendis. Et elligantur eo casu per Potestatem et Capitaneum viginti boni homines et legales de sapientioribus et utilioribus cambii civitatis Bononie, etatis quinquaginta annorum, vel ab inde supra; et quod dicti sapientes vel major pars eorum laudaverint et approbaverint, id servetur. ℂ Item quod predictus dominus Bittus Bulganus, et ejus socij qui sunt originarii civitatis Florentie, possint libere venire, stare et redire in civitate et de civitate Bononie et ejus districtu et defferre et defferri facere bolzonem, argentum, vel ramum ad civitatem Bononie pro moneta facienda, et e[o]rum nuncii possint similiter venire, stare et redire sine fraude, portando tamen bolzonem, argentum, vel ramum pro predicta moneta facienda et non possit iniuriari, molestari, vel intradici in personis et rebus modo aliquo, vel ingenio, vel occasione alicujus represalie vel bannj. ℂ Item quod predicto domino Bitto Bulgano vel sociis non possit imponi aliquod tolloneum, vel dacium, vel passadium, aut tolli pro argento vel bolzone aut ramo, quod haberent vel differrent in civitate Bononie, vel districtu pro moneta facienda. ℂ Et quod possit dictus dominus Bittus Bulganus et ejus socij habere operarios et monetarios pro dicta moneta facienda undecumque voluerint ad eorum voluntatem, ita quod non possint impediri aliquo modo per aliquem vel aliquos; et specialiter occasione alicuius represalie vel banni dati alicuj universitati, vel domino alicuius loci, nisi essent in banno communis Bononie aliis occasionibus. ℂ Item quod si civitas Bononie esset in aliquo rumore, quod Deus avertat, et tunc ipsi domino Bitto Bulgano vel suis socijs vel nuncijs per forciam esset aliquid acceptum, quod Commune Bononie debeat ei vel eis satisfacere de omni eo, quod probaverit, vel probatum fuerit per vim sibi acceptum fore, ipsum vel ipsos conservare indempnem vel indempnes. Et predicta omnia debeant reformari in Consilio communis Bononie et poni in libris statutorum Communis Bononie, absolvendo omnia statuta, capitula statutorum et reformationes populi et Communis Bononie, que contradicerent aliquid in predictis vel in aliquo predictorum, et poni debeat hoc pactum in libro statutorum Communis Bononie. Promittens dictus syndicus nomine et vice com-

munis Bononie dicto domino Bitto stipulantj predicta omnia et singula attendere et observare et adimplere et non contrafacere, vel venire aliqua ratione vel causa. Et versa vice dictus dominus Bittus promisit per stipulationem pro se et suis heredibus dicto syndico, recipientj et stipulanti vice et nomine Communis Bononie, predictam monetam secundum supradictum modum legaliter facere et fieri facere bona fide, et attendere et observare omnia et singula suprascripta. Que omnia et singula promiserunt intra se vicissim alter alteri attendere et observare et non contrafacere, vel venire aliqua ratione vel causa, sub pena mille marcharum argentj bonj et finj, stipulatione promissa, et obligatione bonorum Communis Bononie et dicti domini Bitti, et sub reffectione dampnorum et expensarum ac interesse litis et extra; que promisit unus alteri resarcire integraliter, pena tociens commitatur et exigi possit quociens contrafactum fuerit vel ventum in quolibet et pro quolibet capitulo supradicto. Et ea soluta, exacta, vel non, predicta omnia et singula firma et rata consistant.

Et predicta omnia et singula integraliter observentur ad bonum et sanum intellectum recte et legaliter, secundum quod scripta sunt supra in pactis et conventionibus supradictis.

Et insuper:

ℭ dominus Ribaldus de Foscardis
ℭ dominus Uguitio de Auxellettis
ℭ dominus Riccardinus de Artinexijs
ℭ dominus Albizus de Duliolo
ℭ dominus Benvenutus Melonus
ℭ dominus Cazanimicus Cazetta
ℭ dominus Zeveninus de Zovenzonibus
ℭ dominus Petrizolus quondam domini Aymericj Zohenis
ℭ dominus Ugolinus de Sabatinis iudex
ℭ dominus Johannes domini Lanbertinj Zovenzonis

omnes predicti et quilibet predictorum principaliter et insolidum se obligando realiter et personaliter in omnibus et singulis capitulis hujus contractus, constituentes se principales, renunciantes beneficiis novarum constitutionum de fideiussoribus et de pluribus reis debendi, epistole divi Adrianj, fori privilegio, doli mali, condictioni indebiti, sine causa et in factum actioni et omni alij exceptioni et iuris et legum auxilio, promiserunt per stipulationem solempnem per se suosque heredes, omni exceptione, occasione juris vel facti remota, dicto Jacobo syndico Communis Bononie recipienti et stipulanti nomine et vice Communis Bononie et pro ipso Communi, se facturos et curaturos quod dictus dominus Bittus, conductor dicte monete, omnia et singula suprascripta et infrascripta attendet et observabit et integre adimplebit et dictum commune Bononie indempnem conservabit. Et si non attenderet et observaret, ipsi per se et de eorum proprio attendent et observabunt et adimplebunt, sub dicta pena mille marcharum argenti, stipulatione promissa, eidem syndico nomine et vice Communis Bononie recipienti et stipulanti, et ea soluta, exacta, vel non, predicta omnia et singula nichillominus semper rata sint et firma et observare integre promiserunt. Item reficere ac restituere omnia et singula dampna, expensas, ac interesse litis et extra, pro quibus omnibus et singulis attendendis, observandis et integraliter adimplendis obligaverunt dicto syndico, nomine et vice Communis Bononie recipienti et stipulanti, omnia eorum bona tam habita quam habenda.

Preterea dictus dominus Bettus iuravit ad sancta Dei Evangelia corporaliter predicta omnia et singula, ut supra scripta sunt, sic attendere, observare et adimplere in omnibus et per omnia.

Quod quidem pactum approbatum fuit per sapientes viros dominum Rolandinum de Romancijs, Ugolinum quondam domini Zambonj, Thomaxium domini Peverarij et Guillelmum de Rombodevino, doctores Legum, acceptos per dominum Potestatem Bononie.

Qui Jacobus Caxottus, syndicus Communis Bononie, iuravit super animam Potestatis, qui nunc est vel pro tempore fuerit, et omnium de Conscilio, et de ipsorum licencia et mandato omnia et singula supradicta firma et rata tenere et habere et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto.

Acta et celebrata fuerunt predicta omnia in Conscilio speciali et generali Communis Bononie, ad sonum campanarum in palatio veteri Communis predicti more solito congregato, in presentia domini Alberti de Fontana, Potestatis Bononie et Ymole, et domini Rizardi de Villa, Capitanei populi et Ancianorum et Consulum populi; presentibus domino Gaudino judice, domino Zenzore quondam Milche notario, domino Bonaventura de Prunarola, notario, domino Nigro de Quercis notario, Johanne domini Benvignai notario, Ricardino, Jacobino Auxellittj bannitoribus Communis Bononie et aliis pluribus testibus in dicto Conscilio existentibus, vocatis, rogatis.

XXXIII.

1269, 15 iunii.

Ex archivo sancti Stephani, nunc in Tabulario Maximo bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{24}{960}$, lib. XXIV.

In Christi nomine, amen. Super questione, que vertitur inter Venturam, sindicum monasterii sancti Sthephani, nomine et vice dicti monnasterij et ipsum monasterium ex una parte, et dominum Brandalisium de Gozadinis ex alia; dicit enim dictus dominus Brandalisius, quod ipse est in possessione dictarum rerum et possessionum de quibus est questio et fuisse, et antequam res ipsas et fructus habuisset, et retro percepit. Item negat dictum monasterium possidere; quare dicit quod fructus ad monasterium non pertinent, et quod sequestrari non debent, [sed] sibi dari; et ex habundanti voluit cavere de dictis fructibus salvandis et custodiendis. E contra [predictus] Ventura sindicus monasterii sancti Stephani, qui negat dictum Brandalisium habere aliquam pos-[sessi]onem in supradictis possessionibus, imo dicit monasterium possidere et possedisse, et naturalem possessionem retinuisse per dominam Marriam. Quare dicit fructus monasterio tradi debere, cum possessiones sint predicti monasterii, et ipsum monasterium esse in possessione; et ex habundanti dicit se parratum sati[s]dare de predictis fructibus exsibendis et restituendis, si de iure debuerit, et salvandis et non barratandis, ut hec omnia et alia in postis per utramque partem scriptis apparet.

Consilium domini Basacomatris de Basacomatribus legum doctoris, et mei Cervoti domini Acursii legum doctoris est [tale], quod predicti fructus tradantur Venture sindico monasterij sancti Stephani nomine et vice [dicti] monasterii. Hoc addito, quod dictus sindicus satisdet de dictis fructibus parere iuri coram suo judice cum domino Brandalisio, et de eis exsibendis et restituendis prout de iure debuerit. Que fieri debeant, non obstantibus testibus, ex. officio receptis, cum recepti fuerint lite non contestata, et partibus non presentibus nec citatis, et cum sibi invicem contra dicere videantur.

Lata et pronuntiata fuit hec sententia in palatio veteri Communis Bononie per dominum Stephanum doctore[m] legum, judicem Potestatis, pro tribunali sedente[m], partibus presentibus, sub anno Domini millesimo ducentesimo sexsegesimo nono, indictione duodecima, die quintodecimo intrante junio, presentibus domino Ysinardo domini Bonioanini Rubei, et Jacobo Parisii notario, testibus.

Ego Vitorrius Jacobi, imperiali auctoritate notarius, et nunc ad discum domini Potestatis, scripsi, subscripsi.

XXXIV.

1270, 19 iulii.

Ex Archivo Max. bonon., in Memorialibus Laurentii Bonacatti, an. 1270, car. 8 r. e v.

Die sabati xiij exeunte julio [Mcclxx, jndictione xiij] . . . .

Eodem die.

¢ Dominus Francischus condam domini Accurxij,
¢ dominus Albertinus de Cararijs,
¢ dominus Rufinus de Principibus,
¢ dominus Baxacomatre,
¢ dominus Lambertinus Ramponus,

doctores legum, quilibet eorum in solidum volentes satisfacere de iniuriis et violentiis factis per eos vel eorum sequaces die lune xiiij intrante presente mense julij in ecclesia beati Petri Bononie et in canonicam et domus eiusdem ecclesie et in dominum Bononie Episcopum et dominum Archidiaconum Bononie et eorum familiares et in canonicos eiusdem ecclesie et in turbatione divini officii, quod tunc in

ipsa ecclesia celebrabatur, sponte et libere subiecerunt se stare omnibus mandatis, moderationi et iurisdictioni et dispositioni dicti domini Episcopi spiritualiter et temporaliter, et omnia alia fecerunt et promiserunt ac iuraverunt, que in instrumento continentur inde facto hodie manu Ugolini Gualcheri notarii, in palatio dicti domini Episcopi, presentibus dominis Foligno, Jacobino, Paulo de Galutiis, Zambertino canonico bononiensi, magistro Deolacora de Mantua, Bertoldo canonico Vulterano, Gerardo archipresbitero de Campo Paganello, priore sancti Apolenaris florentini presbitero, Rolando de Serenico, et Laurentio Bonacatti notario, testibus ut predicti dixerunt et scribi fecerunt.

Eodem die sabati xiij exeunte julio.

ℭ Dominus Rogerius Archidiaconus bononiensis ex una parte,
ℭ dominus Francischus quondam domini Accurxij,
ℭ dominus Albertinus de Cararijs,
ℭ dominus Rufinus de Principibus,
ℭ dominus Baxacomatre,
ℭ dominus Federicus de Scala,
ℭ dominus Lambertinus Ramponus,
legum doctores, ex alia parte, in solidum promiserunt et compromiserunt in dominum Octavianum bononiensem Episcopum, tamquam in arbitratorem et amicabilem compositorem, moderatorem et bonum virum, super discordia que vertebatur inter eos, scilicet quod predicti doctores dicunt se jus habere in examinationibus faciendis promovendorum ad honorem magisterii in Jure Civili, tam in scrutiniis et presentationibus, ac exignationibus puntorum, quam in aliis, que in examinationibus et promotionibus requiruntur tam de iure, quam de consuetudine dudum obtenta, hec ad se spectare dicentes; que omnia dictus dominus Rogerius adnegat, dicens ad se solum et ad officium et dignitatem Archidiaconatus spectare, et alia fecisse que continentur in instrumento dicti compromisi, scripto manu dicti Ugolini Gualcherii, hodie facto in dicto loco, et presentibus dictis testibus ut predicti dixerunt et scribi fecerunt.

XXXV.

1270, 3 septembris.

Ex Archivo Max. bonon. Memor. Petri Bonincontri Cazalune, an. 1270, a c. 91 v.

Nota de la vescontaria dargenta.

Millesimo ducentesimo septuagesimo, indicione terciadecima, die tercio intrante setembri. Cum venerabilis pater dominus Phylippus, miseracione divina sancte Ecclesie ravennatis Archiepiscopus, sit corporea infirmitate gravatus, et pro sui salute intendat eum quod oporteat ad partes Tuscie, in quibus ortum assumpsit, personaliter se conferre, eo quia earum parcium aerem et situm ejus egritudo requirit, in hunc modum curavit felici, securo et tranquillo statui providere archiepiscopatus et ecclesie ravennatis, maxime super cura, protectione et conservacione Argente, Cavalii et omnium terrarum et locorum spectancium, subiacencium et pertinencium quoquomodo vicecomitarie Argente, et super tolenda omni materia discordie, scandali, disscensionis et litis iam orta, vel que posset oriri inter ipsam Ecclesiam ravennatem et subiectos vicecomitarie Argente, qui eidem domino tamquam rebelles denegant respondere, eum sencientes infirmum, ob quod parcatur eciam omni discrimini personarum et rerum, quod accidere posset obinde. Nam cum vir nobilis dominus Opizo, Estensis marchio, sit precipuus princeps filius et defensor devotus in omnibus sancte romane Ecclesie et ejus subiectorum ubilibet, ad quam archiepiscopatus et ecclesia ravennas immediate spectant et pertinent, qui ejusdem archiepiscopatus et ecclesie Ravennatis, jurium jurisdictionum, locorumve curam et protecionem, salubrius, potencius habere valet et apcius exercere, in honore Dei et Ecclesie romane pro bono et pacifico statu dicti archiepiscopatus curam, protecionem et administracionem Argente, Cavalii et omnium terrarum et locorum spectancium et subiacencium vicecomitarie Argente, eidem domino marchioni sub hac forma commisit, videlicet quod idem dominus Archiepiscopus sponte et ex certa scientia per se et suos successores concessit, locavit et dedit Brunello, notario de Ferraria, recipienti vice et nomine dicti domini Opizonis marchionis, omnes et integros fructus obvenciones et redditus Argente et ejus pertinencie,

Cavalii et omnium terrarum et locorum, spectancium, subiaciencium vel pertinentium quoquomodo vicecomitarie Argente. Qui dominus Archiepiscopus dixit quod iste sunt terre subiecte vicecomitarie Argente: Argenta, Cavalii, Portus Major, Portus Vedrarie, Grasallum, Bochaleonum, Bandum, Consandalum, Ripa Persici, Sandalum et Maderium, in blavis, vino, introitu catene, daciis, condempnacionibus et banis; pensionibus, jurisdicionibus realibus et personalibus, usu et exercitio jurisdictionum, fructibus decimarum et omnibus racionibus spectantibus ad jurisdicionem vicecomitarie, officio et omnibus juribus ad ipsum officium spectantibus vicecomitarie, et omnibus aliis reditibus cujuscumque generis, manerie[i], et condicionis ad ipsum dominum Archiepiscopum et ravennatem Ecclesiam spectantibus, vel que spectare possent, a festo sancti Petri, nuper elapso, usque ad festum sancti Petri de junio proxime venturo collectis, exceptis illis qui non sunt nunc in vicecomitaria Argente, et colligendis, exactis et exigendis, fructibus terrarum seminandis dumtaxat exclusis; ita tamen quod dicte jurisdicionis concessio, ipsiusque usus et exercicii et vicecomitarie officium extendantur et durent hinc ad unum annum proxime venturum: concedens idem dominus Archiepiscopus predicto Brunello notario recipienti vice et nomine dicti domini Marchionis, licenciam et liberam potestatem ipsos fructus, obventiones et redditus, ut dictum est, colligendi, percipiendi, exigendi, habendi, tenendi et recuperandi, et dictam jurisdicionem, usum et esercicium ipsius jurisdicionis et vicecomitarie officium exercendi, habendi et utendi et omnia faciendi usque ad terminos supradictos, prout eidem domino Archiepiscopo vel ejus nuntiis licebat, liceret et licet; et ponens eum in locum suum, ipsum suum procuratorem constituit in predictis; sibi liberam et generalem administracionem, quam plenius conferendo usque ad terminos supradictos, sibique licentiam intrandi et standi tenutam et possessionem predictorum sua auctoritate. Pro qua quidem locacione, concessione et dacione reddituum et predictorum omnium et singulorum idem dominus Archiepiscopus fuit contentus et confessus, et in plena concordia cum dicto Brunello notario dante et solvente vice et nomine dicti domini Marchionis, et pro ipso domino Marchione, habuisse et recepisse ab eo et in veritate habet duo millia quingentas libras bononenorum, datas et solutas per dominos Albizum Tomaxinum de Duglolo, Lambertinum de Zovenzonibus, Petrizolum de Fuscarariis et Petrizolum de Zohene (1) de strata Castilionis civitatis Bononie, campsores idoneos et legales civitatis Bononie, dominis Philippo et Francisco nepotibus dicti domini Archiepiscopi ejus voluntate et mandato. Qui campsores dederunt et se obligaverunt eisdem ex causa depositi ipso domino Archiepiscopo mandante et volente ut aparet de ipso deposito ex instrumento publice scripto manu Bertholomei notarii quondam Cambij de Bononia. Et renunciavit ipse dominus Archiepiscopus exceptioni non date, solute, tradite et habite pecunie spei fucture numerationis et doli mali, condicionis sine causa, in factum, pacto speciali, omnique alij legum et canonum auxilio sibi in hoc competenti vel conpetituro, protestans insuper idem dominus Archiepiscopus ad postulationem dicti Brunellj, qui non alienavit in toto vel in parte nec concessionem alicui fecit nec faciet in toto vel jn parte de predictis vel aliquo predictorum nec iurisdicionem alicui concessit, nec alicuius protetioni comisit, nec concedet, subiciet vel comitet usque et inter terminum supradictum nec impetrabit contra predictam concessionem et hunc contractum, impetrandis et impetratis renuntiavit ex nunc sponte, et promisit per se et suos sucesores dicto Brunello, stipulanti vice et nomine dicti domini Marchionis, dictas res locatas et concesas ab omni persona ecclesiastica et seculari autorizare et defensare, excepto quam ab universitatibus, colegiis et singularibus personis comitatus Ferrarie, districtus Argente et Porti maioris et eius plebatus Maderij et Cavagli et Bandi in iudicio et extra, et ei reficere omne dampnum et dispendium quod faceret vel haberet in iudicio vel extra pro dictis rebus defendendis et pro faciendo observari predicta. Que omnia predicta et singula jdem dominus Archiepiscopus per se et suos successores per solemplem stipulationem promisit dicto Brunello, stipulanti et recipienti vice et nomine dicti domini Marchionis et pro eius heredibus, atendere et observare, firma habere et tenere et non contrafacere vel venire. Et si contrafaceret vel veniret, aut predicta et quodlibet predictorum non observaret, promisit per stipulationem dicto Brunello, stipulante vice et nomine dicti domini Marchionis, dare et solvere nomine pene mille libras bononenorum; que pena tociens comitatur et posit exigi cum effectu semel et

(1) *De Zolino* in apographo ravennate. Sed certe *Petrizolus domini Aymerici Zohenis,* descriptus in Matricula Campsorum anni 1294 (c. 2) in Archivo Max. bononiensi.

pluries, nihilominus ratis manentibus singulis predictorum cocies fuerit contrafactum; pro quibus omnibus et singulis observandis et penis solvendis obligavit eidem Brunello, recipienti vice et nomine dicti domini Marchionis, omnia sua bona et Archiepiscopatus Ravene presencia et fuctura; que comisa, soluta vel non, jste contractus in quolibet capitulo suam obtineat firmitatem.

Et insuper predictus Brunellus promisit per stipulationem solempnem dicto venerabilli patri domino Phylippo archiepiscopo Ravenati, se facturum et curatorem(1) quod dictus dominus Marchio acetabit dictum contractum conductionis, concessionis et dationis facte in dictum Brunellum, recipientem nomine dicti domini Marchionis et aprobabit et ratificabit omnia et singula que in ipso contractu continentur; et confitebitur quod dictus Brunellus de eius mandato et voluntate dictum contractum conducionis et concessionis et omnia et singula que continentur in eo celebravit, fecit et egit et quod perinde ex eo contractu vult teneri ac si per se ipsum contractum celebrasset et quod super hiis solempnes obligaciones et promisiones personales, reales et penales ad penam mille librarum bononenorum pro quolibet capitulo faciet et imponet dictus dominus Marchio, et omnia et singula suprascripta infra unum mensem cum solempnitatibus que requiruntur a jure. Que omnia et singula suprascripta predictus Brunellus promisit atendere et observare et facere curare, et adimplere sub pena mille librarum bononenorum et obligacione bonorum suorum et refecione dampnorum et expensarum; et pena soluta, vel non, predicta omnia et singula in sua remaneant firmitate.

Actum Bononie in quadam camera ecllesie sancti Ysaie in qua persistebat dictus dominus Archiepiscopus, presentibus dominis Drudone preposito Ecclesie Ravenatis, Azolino cantore eiusdem Eccllesie, Johanne abbate monasterii sancti Stephani de Bononia, fratre Guilielmo de Cozo de ordine Minorum, Galvano de Alegralcore legum doctore, Negrobono judice de Ferraria, Ugolino de Medicis judice de Ferraria, Octonello notario dicti domini Marchionis, Petricino de Casi et Bartholomeo Cambij notario, testibus ad hec rogatis et vocatis; qui dominus Azolinus dixit se cognoscere contrahentes.

Et de hiis omnibus ego Petrus Bonincontri Cazalune, notarius, condidi publicum instrumentum, et Petrus notarius de Manzo de Ferraria fecit simile istrumentum, et Ugo notarius dominj Archiepiscopi rogatus fuit facere aliud instrumentum eiusdem tenoris.

Actum Bononie in quadam Camera ecclesie sancte Isaye, in qua persistebat dictus dominus Archiepiscopus, presentibus domino Drudone preposito Ecclesie ravennatensis, Azolino cantore ejusdem Ecclesie, Joanne abbate monasteri sancti Stephani de Bononia, fratre Guglielmo de Cozo de Ordine Minorum, Galvano de Alegralcore legum doctore, Negrobono judice de Ferraria, Ugolino de Medicis judice Ferrarie, Octonello notario dicti marchionis, Petricino de Cati et Bartolomeo Cambii notario, testibus ad hec rogatis et vocatis; qui dominus Azolinus dixit se cognoscere contrahentes; et de his omnibus ego Petrus Bonincontri Cazalune notarius, condidi publicum instrumentum, et Petrus notarius de Manzo de Ferraria, simile instrumentum. Et Ugo, notarius domini Archiepiscopi, rogatus fui facere aliud instrumentum ejusdem tenoris.

XXXVI.

1274, 4 augusti.

Ex Archivo publico Bononiae. In membrana veteri (2).

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno a nativitate ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo, die sabbati octavo mensis octubris, indictione quarta. In palatio novo Communis Me-

(1) *Sic.*

(2) Ad 1290 documentum hoc transposuit Sarti; quo anno exemplum sententiae confectum fuit. Notae chronologicae huic transcriptioni affixae inter se pugnare videntur. Savioli, exordio omisso (II., II., 478), sententiam ipsam sub an. 1274 in appendice Annalium collocavit. Dolendum sane veterem membranam, iam in archivo bononiensi asservatam, deperditam fuisse, quod coniicere licet accidisse saeculo elapso; nam Savioli, qui documenta supparia de hac eadem re huic sententiae adnectit ex authenticis archivi membranis, hoc maioris momenti ex fide Sarti tantum retulisse declarat. Sed non pauca ex iis quae Sarti mendose edidit, corrigi nunc potuerunt ex opere Georgii Giulini (*Memorie ecc. di Milano,* P. VIII., 277-281); ipse enim de hac ipsa sententia documentum quamvis mutilum eruditissime exponit.

diolani, in presentia dominorum Leonardi Longi de Viridono porte Ucelline, et Prioris Antianorum Populi Mediolani, et Zanni de Birizago jurisperiti; et Alberti de Osenago porte Romane, qui sunt de Anzianis Populi Mediolani, et Guasparri Selle porte Ticinensis, omnium civitatis Mediolani, testium rogatorum et vocatorum, dominus Bernardinus de Pollenta, Potestas Mediolani, et dominus Johannes de Pergolinis eius judex et assessor, preceperunt mihi Manfredo de Somagia, notario infrascripto civitatis Mediolani, ut deberem autenticare et insinuare et in publicam et authenticam formam redigere infrascriptam sententiam et infrascripta omnia, ita ut perpetuo valeant . . . . ; tenor cujus sententie et quorum omnium talis est:

In nomine Domini. Super petitione, cujus tenor talis est: In nomine Domini, coram vobis Guillelmo Advocato honorabili Potestate Mediolani et dominis Napoleone et Francisco de la Turre comitibus Venafrii et Sapientibus et Consilio Mediolani, proponit querimoniose Guilielmus de Pusterla civis vester, qualiter, ipso existente Potestate civitatum Bononie et Ymole simul, et regimen ipsum debite et fideliter exercente, sicut per menses proxime elapsos gesserat, terrarum illarum cives, ortis seditionibus intestinis, sibi regimen ipsum nequiter turbaverunt, impedierunt furiose, et de eo ipsum violenter et vituperabiliter ejecerunt; ac detento sibi salario suo, quod erat librarum tria milia centum quinquaginta a Comuni Bononie, et libre quingente a Comuni Ymole monete bononiensis, de quo tantum jam a Comuni Bononie libras mille quinquaginta et a Comuni Ymole libras trecentum triginta tres et soldos sex et denarios octo receperat, ac lesis et vulneratis equis suis per cives illos in bellis, ad que dividenda et sedanda miserat, de quo ad restitutionem librarum triginta quinque tenentur eidem, ac prestito per Anzianos sive Ministr[ale]s Populi Bononie, juramento coram domino Anselmo de Alzate, et ipso ordinante de salvando ipso domino Guilielmo ac rebus suis, ac eum cum rebus suis secure conducendo usque ad civitatem Regii, ipso juramento neglecto, cives ipsi interposite et presumptuose contra Deum et justitiam et meritum irruentes, cum lectis, vestibus, utensilibus, vasis argenteis, equis, armis, pecunia et rebus innumerabilibus crudelissime spoliarunt. In qua spoliatione abstulerunt sibi res inferius denotatas, postque oportuit ipsum Guilielmum equos et res plurimas mendicare, et ad propria cum laboribus et expensis plurimis obbrobriose remeare. Et cum Comunia terrarum illarum, seu Comune et homines Bononie pro se et dicto Comuni Ymole, quibus Comuni et hominibus Bononie subest Comune Ymole, per vos et ambaxiatores vestros amicabiliter requisita fuerint super iis providere, et restitutionem et emendationem debitam facere procurarent, ipsi, obstinatis animis et contemptis precibus vestris, ea facere tirannice denegarunt. Quare memoratus Guilielmus ad Dei justitiam et vestrum subsidium humiliter declinans, a vobis suppliciter requirit, ut eidem Guilielmo, civi vestro, super tantis damnis, obrobriis et injuriis, compassionis animum exhibentes et tam iniqua et horribilia et inhumana scelera patienter sustinere non valentes, saltim sibi concedere solemniter velitis, ut ubicumque de personis et rebus civitatum illarum et districtuum earum invenire poterit, capiat et detineat sua auctoritate et cum nuntio et sine nuntio Comunis usque ad satisfactionem dicti salarii sui et extimationis lesionis equorum suorum et rerum ablatarum eidem et familie sue, seu extimationum et redemptionis earum et damnorum et interesse et usurarum et expensis preteriti temporis et futuri, sicut inferius est notatum ac usque ad satisfactionem decem milium librarum monete mediolanensis, in quibus injurias suas propter res amissas extimat et damna sua. Et qui quidem dominus Guilielmus mutuo accepit libras octocentum bononenorum pro redimendis quibusdam ex rebus suis a domino Alberto Cazanimico, ad computum denariorum trium pro libra in mense, pro parte. Res vero sunt iste:

In primis brachia octuaginta de stamforte pro vestibus militum, valoris librarum sexaginta bononenorum (1). Item unum copertorium de vermegio et blaveto, listatum, fodratum de zanetis valoris librarum sexaginta. Item unum matarazium de samito valoris librarum quinquaginta. Item cultra una de zendato usmegio valoris librarum sexaginta. Item copertorium unum de scarlata et murato, listatum, fodratum de vario, valoris librarum centum viginti octo. Item duo paria robarum pro domicellis de grisello et viride brachiorum viginti quinque, valoris librarum viginti sex et soldorum quinque. Item duo capitalia unum de samito et unum de gasu valoris librarum octo. Item una sarza rubea valoris librarum duodecim. Item due bragonere complete et una falda

(1) Giulini addit « *tertiolorum* »; deinceps semper hasce monetas loco *librarum bononenorum* ponit.

perlameris, et unum collare ferri, et una te[stera] et una cropara valoris librarum sexaginta. Item una falda perlameris et due gambere valoris librarum duodecim. Item tres coppe cum pede argenteo superaurato, et una cum pede et cov[er]gio (1) argenteo superaurato. Item quatuordecim coppe plane argentee, et viginti sex coclearii valoris librarum quatuorcentum. Que omnia derobata fuerunt per dominum Albertum Cazanimicum in civitate Bononie et que redempta sunt per dominum Guillielmum pro libris octocentum bononenorum, sive per Ambaxatores Comunis Mediolani pro ipso domino Guilielmo, qui iverunt in civitate Bononie pro predictis. Item pancere due, que derobate fuerunt et vel amisse in civitate Bononie vel districtu, valoris librarum decem. Item sella una de palafreno valoris librarum quatuor.

Hec est memoria rerum domini Guillielmi de Pusterla amissarum in civitate et districtu civitatis Ymole: in primis palafrenus unus ferrandus cum sella dorata et freno, valoris librarum septuaginta. Item scutus unus et capellinus unus ferri dorati, valoris librarum quatuor. Item maronum unum et tapedum et bastum unum, bolze due, valoris librarum undecim. Item mula una de somerio, valoris librarum quinquaginta. Item libre centumquinquaginta bononenorum que erant de parte feudi domini Guillielmi civitatis Ymole. Item deficiebat de ipso feudo ad solvendum tertia pars ipsius feudi, que ascendit [ad summam] librarum centum sexaginta sex et soldorum tredecim et denariorum quatuor bononenorum. Item toalie quinque et malle (2) due, valoris librarum sexdecim. Item bragonere due complete valoris librarum decem. Item bandere due valoris librarum decem. Item sopravestes due pro domicellis de armis ipsius domini Guillielmi valoris librarum quinque.

Infrascripte res derobate fuerunt in civitate sive districtu Ymole de Guidoni de Perazo (3), sotio suo, que res erant suprascripti domini Guillielmi de Pusterla: in primis pallafrenus unus albus cum sella et freno, valoris librarum quinquaginta. Item cavallus unus sorus maltengius de somerio, valoris librarum quadraginta. Item bastus unus valoris librarum quatuor. Item maronus unus et tapetus unus valoris librarum sex. Item capironus unus valoris librarum tres. Item guanti duo [ferri] valoris soldorum quadraginta. Item capellus unus ferri doratus, valoris soldorum quadraginta. Item scutus unus doratus valoris librarum quatuor.

Consilium dominorum Ubertini de Niguarda et Guidonis Stamphei jurisperitorum, qui viderunt predictam petitionem et tenorem literarum directarum predicto domino Guillielmo ex parte nobilium virorum dominorum Guidesti de Pontecarali tunc Potestatis Bononie et Ymole, et Jacobi Amoroti Lanzavegne, Capitanei Populi, et Anzianorum et Consulum et Consilii et Comunis Bononie, in quibus continetur sicut elegerunt ipsum dominum Guillielmum in Rectorem suum usque ad annum unum, et rogarunt eundem ut acceptaret electionem eandem predictam; et quod pro suo salario pro se et sua familia, scilicet quatuor judicibus et duobus militibus et sex notariis, habere deberet libras tria milia bononenorum; et sicut facere tenebatur regimen civitatis Ymole tenendo ad ipsum unum suum vicarium, unum judicem et unum notarium; et quod habere debebat ultra feudum Potestarie Bononie libras quinque centum bononenorum; et sicut debebat secum habere unum bonum hominem, qui sciret scribere et legere pro faciendis purgari viis et stratis et plateis, pro quo homine ultra predictum salarium habere debebat libras quinquaginta bononenorum; et sicut debebat ducere prudentem virum, qui debebat stare ad castrum de Loselino pro colligendo pedagio, et quod debebat habere pro suo salario libras centum bononenorum pro toto anno; et quod viderunt instrumentum, in quo continetur sicut ipse dominus Guilielmus ipsum regimen acceptavit et recepit; et quod viderunt formam ambaxarie injuncte per dominum Potestatem Mediolani, et per dominos Napaleonem de la Turre, Anzianum perpetuum Populi Mediolani et Franciscum germanos comites Venafrii, sapientes et conscilium Mediolani, dominis Girardo (4) de Castiliono, Anselmo de Alzate (5), Alcherio de Concorezio et Oldoni de Birago, ambaxatoribus tunc ituris et qui iverunt ad civitatem Bononie ad petitionem dicti domini Guilielmi, que continet quod deberent rogare et inducere Potestates universos

(1) *Cougio*, Sarti.

(2) Savioli et Giulini: « *mare* ». *Malla*, ut iterum ulterius legitur, pro ital. *fardello* occurrit in *Stat. del Com. di Bologna* ed. A. Frati (III., 671*).

(3) Giulini: « *Palazzo* ».

(4) Giulini: « *Conrado* ».

(5) Adhuc extat in Archivo Maximo bononiensi *Denuntiatio facta per dominum Anselmum de Alzate et sotios, Ambaxatores Comuni Bononie,* sub diebus primo et secundo mensis iulii a. MCCLXXIV., pro facto de quo supra (*Miscell. fragm.*, vol. V., n. 29) quam edidit Savioli noster.

et singulos Bononie et Ymole, quod deberent satisfactionem et solutionem salarii et rerum ablatarum facere eidem domino Guilielmo, et restitutionem pignorum et restitutionem cautionum, et satisfactionem damnorum et injuriarum, alioquin Comune Mediolani provideret dicto domino Guillielmo contra eos; et quod viderunt denuntiationes factas per predictos ambaxatores Vicario, Conscilio et Comuni Bononie suo nomine, et Comuni Ymole ex parte predictorum Potestatis et Comunis Mediolani et dominorum Napaleonis et Francischi, ad petitionem dicti domini Guillielmi super solutionibus, satisfactionibus et restitutionibus faciendis eidem domino Guillielmo de predictis comminando, quod nisi facerent, Comune Mediolani et dicti domini de la Turre tot et tantas injurias et damna tolerare non valentes, studerent in predictis omnibus dicto domino Guillielmo, prout poterunt, providere; de quibus denuntiationibus extat instrumentum factum MCCLXXIIII., primo die mensis julii per Guifredum Caniollum notarium; et quod viderunt testes ab eo domino Guillielmo productos, et audiverunt allegationes ipsius domini Guillielmi, et deliberationem habuerunt diligentem super predictis; et consideraverunt, quod Comune et homines Ymole subsunt Comuni et hominibus Bononie et quod denuntiatio facta Comuni et hominibus Bononie tantundem prestat, vel quasi, ac si facta esset hominibus Ymole; et quod ipse dominus Guillielmus secum duxit et tenuit sex judices, scilicet dominum Albertum de Derenzago, legum doctorem, Guidonem Nadinum, Grimaldum Anzimondi, Jacobum de Surexina, Franciscum de Sexto, et Gasparrum de Garbagniate, et quatuor milites de magnis et nobilibus et discretis Mediolani, tale est: videlicet,

Quod detur sacramentum dicto domino Guillielmo, ut juret ad sancta Dei evangelia corporaliter tacta, quod ipse dominus Guillielmus ivit ad ipsum regimen sive regimina predictarum civitatum Bononie et Ymole bene et honorifice et decenter, cum judicibus, militibus et notariis, berrueriis, domicellis, scutiferis, ut debebat secundum formam literarum ei presentatarum de dicto regimine seu regiminibus; et etiam secum habuit plus unum judicem et unum militem, quam debebat; et quod stetit in dicto regimine; et ipsum regimen ipsarum civitatum fecit per mensem unum, duos, tres, quatuor et etiam circa quinque; et quod, ortis contentionibus et seditionibus inter partes de Zeremiis et Lambertaciis de Bononia et ipsis partibus insimul preliantibus, misit de militibus suis, notariis et berrueriis, domicellis et scutiferis ad dividendum dicta bella et discordias pluries; et quod homines predicte civitatis Bononie erant ei et eis inobedientes; et quod in ejus obprobrium et contumeliam et injuriam percusserunt et vulneraverunt plures de militibus, berrueriis, notariis, domicellis et aliis de familia ipsius domini Guillielmi, et plures equos dicti domini Guillielmi, non obtemperantes nec obedientes eisdem, et quod sensit damnum per vulnerationem dictorum equorum suorum in quantitate librarum trigintaquinque; et quod, existentibus predictis discordiis, Comune et homines civitatis Bononie recusabant attendere et observare precepta ipsius domini Guillielmi, preliando eum ad domum et apponendo scalas ad muros, volentes intrare ipsam domum et eum capere, et exclamantes: — moriatur, moriatur — et etiam volentes ponere ignem et accendere portam habitationis dicti domini Guillielmi tunc Potestatis; et quod dictum Comune et homines Bononie, ipso domino Guillielmo existente in dicto regimine, contra voluntatem ipsius domini Guillielmi apprehenderunt palatium et turres Comunis Bononie et maxime populus Bononie et pars de Gereminis (1); et quod acceperunt balistas dicti Comunis sua auctoritate, que erant super palatio; et quod intantum turbaverunt regimen ejus et ipsum impediverunt, quod non potuit vel non poterat exercere dictum regimen; et quod dixerunt ipsi domino Guillielmo quod nolebant quod regeret nisi ad voluntatem partis de Gereminis, alioquin abstineret de dicto regimine; et quod pars de Lambertaciis expulsa fuit de civitate Bononie per partem de Gereminis, et quod pars de Gereminis elegit alterum Potestatem, videlicet dominum Rolandum Putagium, ipso domino Guillielmo existente in civitate Bononie; et quod propter predicta ipse dominus Guillielmus necesse habuit discedere et discessit ab ipso regimine; et quod, etiam ipso domino Guillielmo existente in hospitio in quo solebat exercere regimen suum, ante quam iret ad domum Fratrum Minorum per quatuor dies vel tres, elegerunt illi de parte de Gereminis quatuor homines de parte de Gereminis ad faciendum, et qui faciebant, regimen illius civitatis; et quod ille dominus Guillielmus discessit a domo Comunis Bononie et ivit ad domum Fratrum Minorum cum equis et armis

(1) *Sic.*

suis, relictis tamen in ea domo pro majori parte aliis rebus suis et ceteris custodibus de familia sua; et quod dominus Albertus [de] Cazainimiciis cum quibusdam hominibus armatis ivit ad ipsam domum Fratrum Minorum, et minatus fuit quod ipsum interficeret et spoliaret ipsum dominum Guillielmum omnibus suis bonis que habebat in ipsa civitate et in ipsa domo, nisi haberet libras octocentum, de quibus eum condempnaverat; et quod imposuit cuidam suo filio naturali quod iret pro maxima quantitate hominum armatorum occaxione offendendi dictum dominum Guilliel-mum et robandi et auferendi omnia que habebat, et quod etiam dictus dominus Albertus Ca-zainimicus semper habebat custodes ad dictam domum Fratrum Minorum et ad domum ubi consueverat habitare, ad hoc ne aliquid posset removeri et exportari; et quod timore mortis, et ne offenderetur et spoliaretur per ipsum dominum Albertum et illos qui secum erant, Guardianus dicte domus et frater Guido, prior Hospitalis Cruciferorum Mediolani contulerunt et dederunt dicto domino Alberto coppas argenti ipsius domini Guillielmi, que valebant libre trecentum, et brachia octoginta stamfortis pro vestibus militum suorum, valentes libras sexaginta bononenorum, et copertorium unum de v[er]megio et blaveto listatum, fodratum de zanetis, valens libras sexa-ginta, et matarasium unum de samito, valens libras quinquaginta circiter, cultram unam de zendato vermegio, valoris librarum sexaginta circiter, copertorium unum de scarleto et moreto fode-ratum de varis, valoris librarum centumtriginta octo, duo paria robarum pro domicellis de grixello et de viride brachiorum vigintiquinque, valoris librarum sedecim et soldorum quinque, duo capi-talia unum de samito et aliud de gaxia, valoris librarum octo circiter, unam sarzam rubeam va-loris librarum duodecim circiter, duas bragoneras completas, et unam faldam perlameris, et unum collare ferri, et unam testeram, et unam croperam valoris librarum sexaginta circiter. Item unam aliam faldam perlameris et duas gamberas valoris librarum duodecim circiter; et quod dictus dominus Albertus fecit conduci et portari dictas res et argenta ad domum habita-tionis sue; et quod predicte res redempte fuerunt per ipsum dominum Guillielmum, seu per pre-dictos ambaxatores nomine ipsius domini Guillielmi libris octocentum bononenorum, et quod ipse dominus Guillielmus easdem mutuo accepit sub usuris ad computum denariorum trium pro libra in mense; et quod derobate et accepte fuerunt dicto domino Guillielmo, seu familie sue, in civitate vel districtu Bononie due pancere ipsius domini Guillielmi, valoris librarum decem circiter, et sella una de pallafreno valoris librarum quatuor circiter, et quod derobate et ablate fuerunt ipsi do-mino Guillielmo, sive domino Bariano de Pusterla, socio et vicario suo in civitate Ymole, infra-dicte res ipsius domini Guillielmi in districtu civitatis Ymole prope villam de Muzeta per homines civitatis Ymole et Bononie et earum districtus, quando ipse vicarius et dominus Guido de P[al]azo ejus miles veniebant de civitate Ymole ad propria. Res autem sunt ipse, videlicet pallafrenus unus ferrandus cum sella dorata et freno valoris librarum septuaginta circiter, scutus unus et capellus unus ferri doratus, valoris librarum quatuor, mallonum unum et tapedum et bastum et bulze due valoris librarum undecim, mula una de somerio, valoris librarum quinquaginta. Item libre centum quinquaginta bononenorum in pecunia numerata. Item toalie quinque et mantiles quinque, et malle due, valoris librarum sedecim, bragonere due complete, valoris librarum decem circiter, bandere due, valoris librarum decem circiter, supravestes due pro domicellis, de armis ipsius domini Guillielmi, valoris librarum quinque circiter. Et similiter tunc accepte et robate fuerunt dicto domino Guidoni de P[er]azo he res, videlicet ipsius domini Guillielmi, videlicet pallafrenus unus albus cum sella et freno, valoris librarum quinquaginta circiter, equus unus sorus maltengus de somerio, valoris librarum quadraginta circiter, bastum unum valoris librarum quatuor circiter, maronum unum et tapedus unus valoris librarum sex, capironus unus ferri, valoris librarum tres circiter, guanti duo ferri, valoris soldorum quadraginta circiter, capellus unus ferri doratus, valoris soldorum quadraginta circiter, scutus unus doratus, valoris librarum quatuor circiter; et quod pre-dicti equi et res amisse valebant secundum quod superius continetur; et quod de feudo suo non habuit a Comuni Bononie ultra libras mille quinquaginta bononenorum et a Comuni Ymole ultra libras tercentum triginta tres et soldos sex et denarios octo; et quod expendidit usque ad libras vigintitres circiter, et quod nolet predictas injurias passum fuisse pro predictis libris decem milibus. Quo sacramento prestito, dicunt et consulunt quod per Potestatem et Comune et Consilium Medio-lani concedatur (1) eidem domino Guilielmo [quod] ubicumque de personis et rebus predictarum

(1) Sarti legit « *concorditer* », Savioli emendavit « *concesserunt ut* »; sed sintaxis orationis, qua petitioni annuendum esse consulitur, modum requirit coniunctivum.

civitatum Bononie et Ymole et districtuum earum, et cuilibet earum poterit invenire, possit capere et detinere sua auctoritate, et cum nuntio et sine nuntio Comunis, usque ad satisfactionem residui dicti salarii, quod residuum est quod a Comuni Bononie recipere debebat libras duomilia centum bononenorum, et residuum quod recipere debebat a Comuni Ymole est librarum centum sexaginta sex et soldorum tredecim et denariorum quatuor bononenorum, et usque ad satisfactionem et restitutionem predictarum librarum triginta quinqne pro damno equorum suorum vulneratorum, et usque ad satisfactionem predictarum librarum octocentum bononenorum et usurarum preteriti temporis et futuri ad computum soldorum trium pro libra in anno; quas dedit, seu dare fecit, pro dicto domino Alberto Cazainimico pro recuperatione et redemptione predictarum cupparum argenti et oclariorum (1), et rerum quas habuit dictus dominus Albertus ut superius tactum est; et usque ad satisfactionem predictarum duarum pancerarum robatarum in civitate Bononie vel districtu et usque ad satisfactionem librarum decem milium monete Mediolani pro menda injuriarum suarum; et usque ad satisfactionem librarum viginti trium tertiolorum pro expensis nunc factis, [secundum] quod in scriptis, petitionibus et capitulis et testibus et in consciliatam et scriptam hujus questionis et conscilii et usque ad satisfactionem damnorum et interesse et expensarum futuri temporis omnium predictorum. Salvo si de minori quantitate iurare voluerit, quod quatenus minus iuraverit, concessio predicta minorificetur.

Millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, die sabbati quarto augusti. Dominus Julianus Quinterius, judex et vicarius dicti domini Potestatis Mediolani, pronuntiavit propter ejus absentiam, secundum quod superius continetur et scriptum est.

Actum in palatio magno Comunis Mediolani, presentibus etc. Petro Epirono et Benacorto Pagriano et Arderico a Villano et Girardo Guartamaco et Bertravo de Osenago et pluribus aliis etc.

Ibique incontinenti coram ipsis Vicario et testibus, predictus dominus Guillielmus prestitit et fecit predictum sacramentum seu sacramenta, in omnibus et per omnia; excepto quod minorificavit et detraxit libras centumquinquaginta tertiolorum de extimationibus predictarum rerum.

Ego Ubertus de Arviavo, notarius et scriba Camere palatii Comunis Mediolani, scripsi.

XXXVII.

1278, 29 iulii.

Ex Archivo Max. bonon., in *Registro grosso.* lib. I., car. 484 r.

In nomine Domini, amen. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, indictione sexta, die veneris quarto kalendas augusti, pontificatus domini Nicolai pape tercii anno primo. Pateat universis per hoc publicum instrumentum quod providi viri Antholinus de Manzolino, doctor legum, et Liazarinus de Liazarinis, sindici Potestatis, Capitanei, Consillii et Communis civitatis Bononie, in presentia mei Pauli notarii et testium subscriptorum, coram sanctissimo patre et domino Nicholao divina providentia summo Pontifice, et venerabilibus patribus dominis Cardinalibus, silicet domino Ordonio tusculanensi, et domino B[entivegna] albanensi episcopis, domino A[ncherio] tituli sancti Prasedis, domino G[uillielmo], tituli sancti Marci, domino Gerardo basilice duodecim Apostolorum presbiteris, domino I[acobo] sancte Marie in Cosmidin, domino G[otifredo] sancti Georgij ad Vellum aureum, domino M[attheo] sancte Marie in Porticu, et domino Jor[dano] sancti Eustachii, diaconis Cardinalibus constituti, fecerunt quamdam protestacionem in hec verba: In nomine Domini, amen. Nos Antholinus de Manzolino, doctor legum, et Liazarinus de Liazarinis, sindici Potestatis, Capitanei, Consilij et Communis civitatis Bononiensis, protestamur quod per recognicionem dominii, dicionis, juris, jurisdicionis, potestatis ac principatus, quam faciemus nomine Potestatis, Capitanei, Consilij et Communis eorumdem pro ipsa civitate, territorio ac districtu ipsius, et universis et singulis predictorum civitatis, territorii et districtus, videlicet quod civitas bononiensis et ejus territorium ac districtus ad beatum Petrum, celesti regni clavigerum, et ad vos, sanctissime Pater, domine Nichole papa III., ac ad successores vestros romanos Pon-

(1) *Sic.*

tifices et ad ipsam romanam Ecclesiam, pleno jure ac integre pertineant, et vestri, sanctissime Pater et domine, Nichole papa III., et successorum eorumdem et ipsius Ecclesie pleni dominii, iuris, dicionis, iurisdicionis, potestatis ac principatus existant, nec non et per iuramentum fidelitatis quod vobis prestabimus, non intendimus quod per predicta vel aliquod predictorum in aliquo derogetur iuri, si quod ex privilegiis, consuetudinibus, pacionibus et convencionibus ipsis civitati bononiensi, territorio ac districtui esset legitime acquisitum. Consentimur tamen et volumus, quod per hanc protestacionem iuri vestro et sucesorum ac Ecclesie predictorum in civitate, teritorio et districtu prefatis nulum preiudicium generetur, nec defensionibus competentibus ipsi romane Ecclesie vel aliis contra privilegia, consuetudines, pactiones vel convenciones predicta ullum obstaculum vel impedimentum possit obici vel opponi; que defensiones legitime competant, et de iure, dicte romane Ecclesie contra privilegia, consuetudines, pactiones vel convenciones supradicta, ex quibus obstaculum vel inpedimentum posset obici vel opponi; nec predictis recognicioni et iuramento fidelitatis, quas simpliciter et absolute pretestabimus, per hec in aliquo detrahatur. Volumus tamen et protestamur, ut dictum est, ut iura predictorum civitatis, territorii et districtus sibi serventur illesa.

Actum Viterbij in episcopali palacio in camara domini Pape, coram his testibus, silicet venerabilibus patribus domino Orlando episcopo narniensi, domino Gaufrido episcopo taurinensi, domino Orlando episcopo massanensi, domino Ugone episcopo troiano, domino Fidesnudo episcopo fanensi, domino Philipo electo mantuano, honorabilibus viris magistro Petro de Mediolano sancte Ecclesie romane vizecancellario, magistro Benedicto de Anagnia, notario domini pape, fratre Uguicione et fratre Jacobo Pocapalea, cubiculariis domini pape, Rolando de Romanziis, Thomaxino Guidonis Ubaldini et Pace de Pacibus, juris civilis professoribus, Galaoto de Lambertinis, Guidone de Calbulo, Thoma de Gisileriis et Nicholao de Lastignano nunciis et ambaxatoribus Communis Bononie.

Ego Paulus de Reate, apostolica auctoritate et nunc Camare domini pape notarius, predictis interfui et, ut supra legitur rogatus, scripsi, publicavi et signum feci.

Ego Bernardinus Uguicionis de Bambaglolis, imperiali auctoritate notarius, ut in autentico dicti Pauli inveni, ita bona fide exemplavi et scripsi.

XXXVIII.

1279, 1 iunii.

Ex Tabulario Max. Bonon., in Memorialibus Communis (Memor. Zacharelli quondam Guidottini de Banzis, an. MCCLXXVIIII., car. 222 r.).

Die jovis primo junij. ℭ Dominus Paganinus de Pizo, procurator domini Guidonis de Suzaria doctoris legum, promisit domino Nathali Raynerij et domino Liberio chanonico Aquitano, Rectoribus scolarium civitatis Bononie, quod dictus dominus Guido veniet ad civitatem Bononie infra quindecim dies post festum beati Michaelis et leget Digestum novum extraordinarie et complebit librum, et hoc pro precio trecentarum librarum bononenorum promissarum predicto procuratori per scolares Bononie, et hoc sub pena trecentarum librarum bononenorum, cum omnibus pactis, condicionibus, instrumento Mathei Cambij notarij hodie facto in stacione domini Ardicionis, presentibus domino Alberto de Picigotis, domino Gerardo Figaboza, domino Ubaldo de Altenminellis de Lucha et Nicolao domini Vigilii testibus; et insuper dominus Rodaldus de Lamandinis et dominus Petrus condam domini Coradini, precibus et mandato dicti procuratoris et domini Galaocti de Lambertinis, promiserunt se faturos et curaturos quod dictus dominus Guido servabit et faciet predicta, sub pena trecentarum librarum bononenorum; et dictus dominus Galaoctus promisit predictos dominos Rodaldum et Petrum indempnes conservare; et dictus procurator, procuratorio nomine dicti domini Guidonis, dictum dominum Galaoctum indempnem conservare a dicta promissione et obligatione, ex instrumento dicti Mathei Cambij notarij facto dicta die, loco, et presentibus dictis testibus, et sicut predicti venerunt (1) et scribi fecerunt.

(1) *Sic.*

XXXIX.

1281, 1 octobris.

Ex opere T. Rymeri « *Foedera, conventiones* etc. », tom. I., pars I. et II., pag. 196 (1).

[Litera, qua Franciscus Accursii iuravit fidelitatem Regi Angliae].

Universis Christi fidelibus hoc presens scriptum visuris et audituris Franciscus Accursii de Bononia, doctor legum, salutem in Domino.

Noverit Universitas vestra quod, cum serenissimus Princeps et dominus meus karissimus dominus Edwardus, Dei gratia rex Anglie illustris, pro servitio meo sibi hactenus impenso et inposterum inpendendo, dederit mihi quadringintas marcas sterlingorum pre manibus, et ulterius concesserit mihi quadraginta marcas singulis annis ad totam vitam meam, ego, pro tanta curialitate mihi impensa, feci fidelitatem eidem domino meo regi, et sacramentum corporale prestiti quod omnibus diebus vite mee ero ei fidelis, et omnia consilia et secreta sua michi revelata et revelanda, fideliter celabo; et quotiescumque et quantumcumque servitio meo indiguerit in partibus transmarinis et per ipsum, vel ex parte sua, super hoc fuero premunitus, circa ea fideliter et diligenter laborabo toto posse omnibus sumptibus et expensis domini regis, et omnimoda indempnitate mihi servata; et nichilominus satisfaciet michi integre de feudo predicto, ita quod nichil mihi inde decidet occasione sumptuum predictorum.

Et ad omnia et singula premissa facienda obligo me et omnia bona mea mobilia et immobilia, ubicumque fuerint constituta.

In cujus rei testimonium huic scripto apposui sigillum meum.

Datum apud Lindhurst, primo die octobris, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo primo.

XL.

1282, 11 septembris.

Ex tomo LXXXIII. *Codicis Diplomatici Gymnasii Bononiensis*, num. XXXIII (2).

Martinus Papa IV., Priori Predicatorum et Guardiano Minorum fratrum Ordinum bononiensi.

Nuper ad nostrum pervenit auditum, quod olim Scolares in civitate bononiensi morantes Potestati, Capitaneo, Antianis, Consulibus, Consilio et Communi bononiensibus quasdam petitiones, respicientes favorem dictorum Scolarium, porrexerunt, et prestito juramento firmarunt quod, nisi infra certum temporis spatium a predicto Comumni petitiones admitterentur prefate, Scolares ipsi usque ad festum beati Michaelis proxime venturum de civitate ipsa recederent, ad eam ex tunc infra quinquennium causa Studii minime redituri; et inter alias petitiones hujusmodi continebant ut privilegia, Universitati predictorum Scolarium concessa et inposterum concedenda, integre ipsis Scolaribus conserventur; ita quod, si contingat dicta Privilegia in totum vel in aliqua sui parte infringi, promittat et teneatur dictum Commune mille libras imperialium nomine pene solvere, romane Ecclesie applicande. Quodque Potestas vel Capitaneus, seu aliquis vices eorum gerens, non possit bononiense Studium impedire, prohibendo doctoribus ne legant, vel precipiendo ut legant contra voluntatem Scolarium predictorum, vel alio quoquo modo. Verum quia, sicut accepimus, prefati Potestas, Capitaneus et Commune se ad predictam penam teneri

(1) *Foedera, conventiones, literae .... inter reges Angliae et alios quosvis imperatores, reges, pontifices, principes, vel communitates ab ineunte saeculo duodecimo .... accurante Thoma Rymer. — Editio tertia ad originales chartas in Turri Londinensi denuo summa fide collata et emendata studio Georgii Holmes. — Hagae Comitis, apud J. Neaulme, M DCC XXXIX.*

(2) Ex reg. primo Martini IV., ep. 96, fol. 73.

nolle, ac doctores ipsos cives bononienses pro negotiis dicti Communis velle destinare quoties expedit, responderunt, quamquam in ceteris eedem petitiones ab eis admisse fuisse dicantur; predictis scolaribus formidantibus se hujusmodi juramento teneri, fuit Nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc de benignitate Sedis apostolice curaremus. Nos autem tanto incommodo dictorum scolarium, deformationi sic famosi Studii, efferentis propagatione fertili viros industrios et scientiarum claros radios diffundentes, ac prefate civitatis discrimini quo inde posset affici, predictorum quoque omnium dispendiis obviare sollicitius intendentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si id ad commune commodum scolarium eorumdem, ad evidentem utilitatem Studii predicti, ad quietem quoque civitatis predicte, ac plenum profectum omnium predictorum et alias etiam secundum Deum expedire videritis, eos de prefata Universitate, quos super hoc contigerit absolutionis vel provisionis beneficium implorare, nostra auctoritate a vinculo seu observatione hujus juramenti absolvatis, et nihilominus eisdem, prout expedire videritis, providere salubriter studeatis, ne hujusmodi juramenti pretextu vel transgressionis seu violationis excessu, ipsorum status integritas alicujus inventionis astutia inposterum feriatur; non obstante indulgentia, qua vobis vel ordinibus vestris a Sede Apostolica dicitur esse concessum, quod non teneamini vos intromittere de hiis, que vobis per literas apostolicas committuntur, nisi in eis de indulto hujusmodi plena et expressa mentio habeatur. Datum apud Montem Flasconem tertio idus septembris, pontificatus nostri anno secundo.

XLI.

1286, 11 septembris.

Ex Archivo Max. bon., in Memorialibus Communis; Memor. Matthei de Saliceto, an. MCCLXXXVI., c. 100 r.

[Die xj septembris millesimo ducentesimo octuagesimo sexto].

Dominus Raynaldus de Concorigio, juris peritus, promisit domino Leoni Ingignadro et Oldrato de Mucago, civibus et notariis laudensibus, sindicis et procuratoribus Communis Laude ex instrumento Petri Salena notarii, ut dixerunt, recipientibus eorum nomine et vice dicti Communis, ire in civitatem Laudi et legere in sequenti anno inforciatum vel allium librum extraordinarium ad voluntatem dicti Communis et scolarium, et ire ibi in festo sancti Michaelis vel infra quartum diem mensis octubris proxime venturi; et promiserunt eidem dare et solvere pro suo salario XL. libras imperialium; et si contingeret eum doctorari infra festum sancti Michaelis proximum, promiseruut eidem dare ultra dictam quantitatem decem libras imperialium, scilicet medietatem in festo Nativitatis, et alia[m] medietatem in festo Pasquate Resurresionis ex instrumento domini Mathey Cambii notarii, hodie facto Bononie in statione domini Ardicionis domini Guidonis de Milano, presentibus domino Guillelmo de Lamoralo de Mediolano, domino Ardicione domini Guidonis de Milano et Nicholao domini Virgilii, testibus, et sic dicti contraentes, presenti dicto notario, dixerunt et scribi fecerunt.

XLII.

1287, 14 februarii.

Ex Archivo Max. bon., in Memorialibus Communis,
Memorial. domini Aegidii Bartolomaei Gilii de Argellata, c. 80 v. et 81 r. et v. (1)

[Die xiiij februarii millesimo ducentesimo octuagesimo septimo].

Dominus Franciscus Legum doctor, filius quondam domini Accursij Legum doctoris pro tribus partibus, et dominus Martinus quondam domini Bologniti Meroline pro quarta parte infra-

(1) Cfr. *Gozzadini — Delle torri gentilizie di Bologna e delle famiglie alle quali prima appartennero — Bologna, N. Zanichelli, 1880,* pag. 647, doc. 156.

scriptarum domorum et turris, quam emit et ex permutatione accepit a Cursino, filio quondam dicti domini Accursij, jure proprio et in perpetuum asserentes infrascriptas res a[d] se pertinere jure directi dominii, dederunt et vendiderunt et tradiderunt domino Bonino de Sardellis, notario, syndico et procuratore partis et Universitatis Germiensium civitatis Bononie ex instrumento syndicatus scripto manu Jacobuccij de Bagno notarii, quandam domum et turrim cum dicta domo constructam, positam in civitate Bononie super platea Communis in parochia sancte Tecle, quarum esse tales dixerunt et convenerunt confines: a latere anteriori seu parte vel plaga orientali est platea Communis Bononie et via publica platee majoris; a latere vero inferiori seu plaga aquilonali sunt domus et turris filiorum et heredum quondam domini Nevi Raynerij, a meridie vero seu latere superiori est via publica, qua itur in Portam Novam, seu que dicitur Porta Nova; a parte vero posteriori seu occidentali possidet ecclesia sancte Tecle de Porta Nova, sive sunt quedam domus dicte ecclesie cum solo et hedificiis omnibus, et cum omnibus et singulis que infra predictos continentur confines, vel alios si qui fuerint veriores, et cum omnibus et singulis, que ipsi domui et turri intra vel extra edificie (1) perpetui usus cause habentur, et que eis coererent, vel coerere deberent, et quarum debet de jure ad emptoris comodum pertinere, et que habent supra vel infra seu intra se in integrum, et cum omni jure et actione, et omnia ea que ad vendictores etiam durante vendictione ceperat pertinere occasione rerum predictarum, pro precio quarum, et nomine precii dicte vendictionis domus et rerum predictarum, dictus procurator et syndicus procuratorio nomine dicte partis Jermiensium et Universitatis ejus, et de pecunia dicte Universitatis et partis, dedit et solvit coram notario infrascripto et testibus infrascriptis tria millia et septem centenaria monete bon., sive tot bononinos grossos, qui ad usum et verum cambium de utriusque partis consensu valent quantitatem predictam, prout dictus dominus Francischus et dictus Martinus venditores pecuniam ipsam ibidem et in presenti recipientes a procuratore predicto, confessi et contenti fuerunt utque asseruerunt pecuniam ipsam tantam esse ut dictum est, et eam sibi in veritate datam et numeratam esse a procuratore predicto, exceptioni eis non dati, non soluti et non numerati precii, seu quantitatis predicte omnino renunciantes.

Volentes autem ipsi vendictores dictarum rerum venditarum in ipsum emptorem, nomine dicte partis, possessionem transferre, constituerunt se res predictas venditas, ejus et partis predicte nomine possidere, uti ex nunc sua auctoritate earumdem rerum possessionem quandocumque libuerit appreendat. Quam quidem possessionem pacti fuerunt et convenerunt eidem vacuam esse et ipsam et partem predictam facere ita comuni pociorem. Preterea venditores supradicti promiserunt per se et suos heredes dicto domino Bonino procuratori partis Jermiensium supradictorum, procuratorio nomine dicte partis stipulanti et recipienti, quod in perpetuum de dictis rebus vel aliqua, seu parte ipsarum, litem vel controversiam, iniuriam vel molestiam de jure vel de facto, in judicio sive extra dicte parti vel dicto procuratori non inferre, nec inferrenti consencient; sed ipsas res tam in proprietate, quam in possessione dicto procuratori et parti contra omnem personam et universitatem legitime deffendent, auctorabunt; convenientes et obligantes se de evictione rerum predictarum, cum infrascripta duple sortis proinde eciam et convenerunt, quod nulli alteri actenus de dictis rebus venditis, aut aliqua earum fecerunt venditionem, donationem, aut alicuius alterius actus vel contrachtus, allienaccionem in fraudem presentis alienationis et contrachtus, vel per quam dicto emptori, et parti preiudicium aliquod generetur vel generari possint; quod si apparuerit aliquo tempore contrafactum, et ex hoc dictus emptor et pars vel eorum heredes et succesores dampnum aliquod paterentur, conservabunt ipsos et eorum heredes et successores eorum indempnes. Insuper, precibus et mandatis dicti domini Martini, se principalem constituens, promiserunt dicto domino Bonino recipienti ut dictum est, predictam partem domus et turris predicte, ab ipso Martino venditam ipsi procuratori et parti, legitime defendere et auctorari, et se facturum et curaturum, omni exceptione remota, quod dictus Martinus predictam venditionem a se factam et omnia et singula supra scripta perpetuo firma et rata habebit et tenebit et non contraveniet de iure vel de facto ex instrumento domini Juani de Benteugli notarii, heri facto Bononie in scholis Fratrum Predicatorum, presentibus fratre Gerardo de Tuschis, fratre Brandano de Saliceto de Ordine Predicatorum, domino et magistro Rolandino

(1) *Sic.*

Passagerio, domino Rambertino de Osilittis, domino Petro domini Osilitti de Aliottis, domino Guidone de Sanctogeorgio, domino Maiolino de Sardellis, domino Baldo Francischini de Pistorio, domino Giberto Guidolini notario, domino Juliano de Sardellis, notario, domino Vincentio filio quondam domini Jacobini Benciguenis et domino Conte quondam domini Alberti Sachacii, testibus ad hec rogatis et vochatis; et sic dixerunt et scribi fecerunt, presente dicto notario.

XLIII.

1290, 1 decembris.

Ex Archivo Max. bon., in *Libro literarum missarum* tempore Antonii de Fussiraga, c. 29 r. n. n. (Ex Miscell. fragm. vol. VI., 32).

Magnificis et potentibus viris, dominis eorum precipuis, domino Bernardino de Scotis de Placentia, honorabili potestati bononiensis civitatis, domino Alberto domini Odofredi, domino Paxio de Paxiis legum professoribus, domino Alberto de Asenellis, domino Johanni de Baxacomatribus, domino Bonavolte de Malavoltis, domino Bonifacio de Samaritanis, domino Taurello de Taurellis, et aliis Sapientibus de civitate Bononie, qui pro Communi Bononie fuerunt ad colloquium inter Imolam et Rivum Sanguinarium cum infrascriptis de Faventia die primo mensis decembris, Maghinardus Paganus de Susinana, defensor civitatis et districtus Faventie, Guido Raulis de Zambraxiis, Raynerius, Bernardinus fratres, comites de Cunio et Righetus de Regatis cum recommendatione se ipsos.

Cupientes mandatis vestris in omnibus totaliter obedire pro constanti responsione dominationi vestre scribimus et firmamus quod non intendimus aliqua ratione vel causa per nos vel nostros sequaces rellevare seu rellevari facere foveas vel vallum civitatis Faventie, vel ibidem alias munitiones seu fortilicias facere, nisi quatenus de vestro et Communis et populi Bononie mandato expresso procederet. Et quod omnem fortiliciam factam in Burgo Porte Pontis, seu Durbeco, incontinenti cum effectu in ruinam convertimus et splanamus, et quod civitatem Imole et homines habitantes in ea, que et qui sunt in protectione Communis et populi Bononie diligenter custodiemus et s[a]lvabimus ab omni violentia et inquietudine personarum et rerum per nos et nostros sequaces omnes. Precamur tamen ut taliter providere velitis, quod amici et sequaces nostri comitatus Imole possint libere et secure ad nos venire cum personis et rebus pro omnibus agendis, que spectarent ad bonum statum, honorem et magnitudinem Communis et populi Bononie absque inquietudine vel molestia illorum qui habitant in civitate, districtu et comitatu Imole, qui sunt in protectione Communis et populi Bononie, et quod abstineant ab omnibus offensis et inquietationibus nobis vel nostris sequacibus, inferendis in personis vel rebus; et quod vobis placeat pacificare omnes discordias, que vertuntur inter amicos civitatis et comitatus Imole; et profitemur pro nobis et nostris sequacibus et amicis adimplere omnia mandata, que per vos, Commune et populum Bononie nobis alte et basse fient, tam in pacificando nos cum quibuscumque personis, quam in aliis omnibus, preter quam cum dominis domus Manfredorum de Faventia, quod ipsam non crederemus bonam vel utilem pro Communi vel populo Bononie nec pro nobis. Civitatem autem Faventie et homines nunc habitantes in ea sub protectione vestre dominationis, Communis et populi civitatis Bononie recomendationis vinculo duximus applicandam. In cujus rei testimonium propriis sigillis hanc paginam duximus muniendam.

Datum in palatio Communis Faventie sub anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, indictione tertia, die primo decembris; presentibus testibus Fulcerio et Joanne fratribus de Calbulo, Liucio de Balbi de Ravenna, Petrizolo Petri Taurelli de Forlivio, et aliis ad hec vocatis et rogatis.

Ego Ugolus quondam Alberti de Casali, imperiali auctoritate notarius, mandato dictorum dominorum Maghinardi, Guidonis, Raynerii et Bernardini et Righeti scripsi et publicavi.

(L. † S.) Ego Yvanus quondam Bentevogli auctoritate imperiali Notarius, ut in authentico sigillato quatuor sigillis scripto manu prescripti Ugoli notarii inveni, nichil addens vel minuens quod intellectum vel sensum mutet, fideliter exemplavi et scripsi, scripsi, subscribsi, signavi, scripsi, sigillavi, sigillato quatuor sigillis.

XLIV.

1291, 31 augusti.

Ex tom. LXXXIII. Codic. Diplom. Gymn. Bon., num. XXXVII. (1)

Nicolaus Papa IV. Francisco Juris Civilis Doctori, civi bononiensi.

Gratum est nobis et placidum, quod ad illum, qui te fecit variisque dotavit muneribus, eius humiliter ut convenit, recognoscendo beneficia sincere devotionis dirigens affectum, que sua sunt queris, ac dimittere intendis nocitura, ut ex hoc per consequens saluti proprie efficacius consulere, iuxta tuum laudabile desiderium valeas; in quo tanto libentius tibi adesse benigne volumus, quanto circa id dignus es favoris gratia plenioris. In nostra sane constitutus presentia retulisti, quod tu et quondam Accursius, Legum doctor, pater tuus, cuius heres existis, scolaribus vestris, quos auditores pro tempore habuistis, diversas pecuniarum summas mutuo exhibentes ab ipsis, talis pretexu mutui, fuistis assecuti majores collectas etiam a nonnullis ex pacto, quam alias ab eisdem consecuti scolaribus fuissetis, quas collectas majores, etiam cum hoc fiebat mutuum, licet nulla super hoc interveniret pactio, consequi sperabatis. Super quo, ac super eo preterea, quia tu, ac idem pater pro examinationibus scolarium qui licentiandi erant in facultate legali, quandoque munera recepistis; tibi ob ista conscientiam habenti, ut asseris, remordentem, necnon et saluti anime patris predicti apostolica subveniri providentia suppliciter postulasti. Tuis igitur precibus favorabiliter annuentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut ea que per te vel ipsum patrem a scolaribus illis, qui clerici existebant de bonis ecclesiasticis predictis modis obtenta fuisse noscuntur, retinere libere valeas, nec ad illorum restitutionem quam de apostolica potestate, qua ipsis presumus clericis, totaliter tibi remittimus, tenearis aliquatenus faciendam, ita tamen quod a scolaribus laicis per te vel dictum patrem, dum viveret, taliter habita et percepta, si videlicet iidem sciri aut inveniri poterunt, restituere procures; alioquin illa in pios usus alios, juxta confessorum tuorum consilium et sue dispositionis arbitrium convertas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et remissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum apud Urbemveterem, secundo kalendas septembris, pontificatus nostri anno quarto.

XLV.

1293, 31 maii.

Ex archivio sancti Francisci Bonon., nunc in Tabulario Max. bononiensi, sect. « *Demaniale* », num. $\frac{342}{5085}$, lib. H, doc. 74.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, indictione sexta, die ultima mensis madij. ¶ Cum dominus Franciscus legum doctor, filius quondam domini Acurxii legum doctoris, qui nunc moratur Bononie in capella sancti Mami, suum, ut dixit, in scritis condiderit testamentum, quod depositum est apud sacristiam fratrum Predicatorum sancti Dominici de Bononia, in quo, infra cetera que in ipso testamento continentur, dixit contineri in hunc modum:

¶ Item relinquo pro anima mea mille libras bononenorum distribuendas per religiosum virum fratrem Petrum de Trento Ordinis fratrum Predicatorum de Bononia, et per dominum Julianum domini Cambii Graciadey de strata sancti Vitalis, quos in dicto suo testamento suos elegit et statuit Comisarios, secundum quod in quadam cedula sigilata sigillo meo per me et eis tradita

(1) Ex Regist. tertio Nicolai IV., ep. 454, fol. 89.

vel tradenda continetur vel continebatur, vel equipolentia. ℂ Item dixit contineri in dicto testamento infrascriptum legatum, in hunc modum:

ℂ Item relinquo trecentas libras bon. de avere meo pro male quesitis, incertis, secundum quod continetur vel continebitur in cedula data seu danda predictis fratri Petro et domino Juliano, sigilata sigillo meo, vel equipolentia. ℂ Preterea dixit contineri in dicto suo testamento in hunc modum:

ℂ Item Bartholomeo meo nepoti et heredi tutorem et administratorem omnium bonorum meorum relinquo dominum Julianum domini Cambii Graciadey de strata sancti Vitalis. Sed quoniam usque ad exitum vite recedere licet a cuiuscumque lege ultime voluntatis et etiam disposita declarare, et propter conditionum et rerum successus varios oporteat eum remutare consilium; idcirco idem dominus Francischus, infirmus corpore, sanus tamen sensu et mente, presentes post ipsum testamentum suos disposuit codicillos in hunc modum, in quibus quedam per eum disposita declaravit et quedam alia adidit. ℂ Primo quidem dictum legatum mille librarum bononenorum in dicta ejus ultima voluntate conscriptum, non obstante eo quod dixit in dicto suo testamento, quod deberent distribui secundum quod in quadam cedula sigilata sigilo ejus et tradita, seu tradenda predicti[s] fratri Petro et domino Juliano prout in dicto legato continetur, quod verbum, quod dixerat de cedula predicta, quod deberent distribui secundum quod in dicta cedula continetur vel continebitur, espresse revocavit per presentes codicillos, et declarare volens formam solvendi dictas mille libras bononenorum pro ejus anima in dicto suo testamento relictas, et quibus et per quas partes declaravit et disposuit solvi in hunc modum:

ℂ In primis quidem voluit et mandavit solvi et dari debere pro anima sua de dictis mille libris bononenorum filis Gandulfi de Scarechaglaxini sui famuli decem libras bononenorum dandis eisdem in duobus annis in furmento. ℂ Item filiis Paparonis viginti libras bononenorum, quas solvi voluit eisdem in duobus annis in frumento et vino. ℂ Item uxori Cavalcantis viginti libras bononenorum, quas solvi voluit eidem in duobus annis in frumento et vino. ℂ Item domine Lambertine, nutrici olim Castelani sui filii, octo libras bononerum compensando id quod uxor olim ipsius domini Francischi eidem reliquid. ℂ Item Petro Feranti decem libras bononenorum, quas eum habere voluit in furmento et vino. ℂ Item hospitali Beate Marie de Senis vigintiquinque libras bononenorum. ℂ Item hospitali sancti Gali de F[l]orentia decem libras bononenorum. ℂ Item hospitali stanti in alpibus de Florentia viginti soldos bononenorum. ℂ Item hospitali stanti in alpibus montis sancti Bernardi decem libras bononenorum. ℂ Item hospitali Domus dei, que est Parixius iusta domum nostre Domine, decem libras bononenorum. ℂ Item hospitali sancti Anthonij de Vienna posito in Burgundia quinquaginta libras bononenorum. ℂ Item hospitali posito in Anglia ultra Cantauriam, in Villa que vocatur Ospizi, quinque libras bononenorum. ℂ Item hospitali posito in Anglia in Londonijs, quasi in introitu civitatis quando venitur de Francia et itur in Anglia, quinque libras bononenorum. ℂ Item hospitali sive Domus, que vocatur sanctus Thomax de Acri, posito in Anglia in civitate Londoniis in contrata que dicitur Guazapa quinquaginta libras bononenorum. ℂ Item hospitali posito cum venitur de Alamania versus Lombardiam in monte sancti Gutardi quadraginta soldos bononenorum. ℂ Item Malgarite, nutrici Bartholomey sui nepotis, ultra salarium quod habere debet, sex libras bononenorum. ℂ Item domine Ghisiline uxori quondam domini Bonacurxii, quinque libras bononenorum. Item Richildine servienti dicte domine Ghisiline, quadraginta soldos bononenorum. ℂ Item domine Pelegrine filie domini Nevi Rainery, vel ejus filie nundum nupte, cum nubet vel religionem seu monasterium intrabit, viginti libras bononenorum. ℂ Item fratribus et conventui fratrum de Servis Sancte Marie comorantium Bononie, pro laborerio domus viginti libras bononenorum. ℂ Item voluit et mandavit quod omni anno usque ad quadriennium induantur centum pauperes, silicet vigintiquinque pro quolibet quarterio, espen[den]do et dando in vestibus cujuslibet pauperis viginti soldos bononenorum. ℂ Item domui misellorum de Mutina quadraginta soldos bononenorum. ℂ Item, pro anniversario suo faciendo, fratribus minoribus de Bononia viginti quinque libras bononenorum, in quibus computetur panis et vinum de suo dando. ℂ Item carceratis de camara superiori et de Turri de subtus Communis Bononie usque ad decem annos omni anno, solvendo particulariter omni anno decem corbes furmenti in pane et decem vini. ℂ Item infrascriptis fratribus ordinis Predicatorum de Bononia, videlicet fratri Bertholdo de Ferara, priori dictorum fratrum predicatorum de Bononia, ℂ fratri Simoni de Fracta Superiori

¶ fratri Pagano Pergamensi, ¶ fratri Bonifacio lectori de Bononia, ¶ fratri Prindiparti bononiensi, fratri Petro de Trento, fratri Ghabrieli regino, fratri Johanni faventino, et fratri Johanni Rocho cuilibet eorum unam capam estimationis et pretii quelibet trium librarum bononenorum. ¶ Item dixit, rogavit et voluit quod fratres Predicatores et conventus ipsorum honorent eum in die sepulture ipsius, relinquens eisdem fratribus et conventui pro missis canendis pro anima sua vigintiquinque libras bononenorum. ¶ Item fratribus et conventui fratrum Minorum de Richardina centum libras bon. pro tribus trunis faciendis in dicta Ecclesia fratrum Minorum de Richardina, scilicet unam ad honorem Beate Marie et aliam ad honorem beati Francischi et aliam ad honorem beati Jacobi, et pro uno altari superius faciendo in aseribus in dicta Ecclesia, ubi cantentur mise et celebretur divinum Officium ad honorem beati Dominici; residuum voluit exspendi in uno chalice, qui servire debeat altari Beate Marie de Richardina, quando dicta truna erit completa, que fieri debet. ¶ Item legatum trecentarum librarum bononenorum, quas relinquerat solvi de avere suo pro male quesitis, incertis, expendendas secundum quod continebatur, vel debebat contineri in cedula data seu danda dictis fratri Petro et domino Juliano, et sigilata sigilo ipsius, dictam cedulam et formam restituendi secundum quod in ipsa cedula continetur presentibus codicillis, quod dixerat de dicta cedula et forma restituendi secundum quod in ipsa cedula continetur, revocavit et ademit et declaravit formam restituendi dictas trecentas libras bononenorum, in quibus debeant solvi et per quas partes dicte trecente libre bononenorum per dictos suos comisarios pro animabus illorum quorum interest vel interesset, ex licentia et auctoritate sibi concessa a venerabili patre domino Octaviano, Bononie Episcopo, in hunc modum:

¶ In primis hospitali de Batutis de Bononia pro lectis et paramentis laicorum decem libras bononenorum. ¶ Item hospitali de Barbaria de Bononia decem libras bononenorum. ¶ Item hospitali sancti Stephani centum soldos bononenorum. ¶ Item hospitali sancti Procholi tres libras bononenorum. ¶ Item hospitali sancti Felicis quinque libras bononenorum. ¶ Item hospitali sancti Petri decem libras bononenorum. ¶ Item hospitali sancti Juliani tres libras bononenorum. ¶ Item hospitali sancti Lazari de Bononia, pro pannis lineis emendis, viginti libras bononenorum. ¶ Item hospitali Cruciferorum quinque libras bononenorum. ¶ Item hospitali sancti Guilielmi tres libras bononenorum. ¶ Item cuilibet heremitorio civitatis Bononie et burgorum viginti soldos bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sororum sancte Marie Madalene sex libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancte Mathie decem libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui de sancto Laurentio quinque libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancte Crucis quinque libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancte Anne decem libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancte Marie de Virginibus decem libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancti Augustini quinque libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancti Petri Martiris decem libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancti Johannis Batiste quinque libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancte Chaterine decem libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancte Christine quinque libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sororum de Convertitis decem libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancti Salvatoris decem libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui Dominarum de Ponte Majori quinque libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui de Valverde sex libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui sancti Guillielmi tres libras bononenorum. ¶ Item fratribus et conventui de Castro Britonum quinque libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui de Misericordia tres libras bononenorum. ¶ Item sororibus et conventui de Carpeneta viginti soldos bononenorum. ¶ Item fratribus et conventui fratrum Predicatorum de Bononia vigintiquinque libras bononenorum. ¶ Item fratribus et conventui fratrum Minorum de Bononia vigintiquinque libras bononenorum. ¶ Item fratribus et conventui fratrum de Carmello quinque libras bononenorum. ¶ Item Gerardo Pecorario pro filia sua, cum nubserit, quinque libras bononenorum. ¶ Item Johanni Sacho de Butrio tres libras bononenorum. ¶ Item Rolando Speciali quadraginta soldos bononenorum, si dixerit in anima sua quod habere debeat. ¶ Item sorori Zulitine nepti sue, que est in monasterio sancte Agnetis, pro una tunica tres libras bononenorum. Residuum vero quod superest exspendi et distribui voluit et mandavit in pauperibus verecundiosis arbitrio dictorum suorum comissariorum. ¶ Item presentibus codicilis domino Juliano domini

Cambii Gratiadey, quem in dicto suo testamento dicto Bartholomeo suo nepoti et heredi tutorem et administratorem omnium bonorum suorum reliquid, expresse remisit sacramentum tutele et inventarii confecionem, et absolvit et liberavit eum ab omni ratione administrationis redenda et henologistam (1) eum esse voluit, dampnans heredem suum predictum ne aliquid ab eo petat, vel exigat et ne adversus eum pro dictis actionibus suas exerceat actiones; et si dictus Bartholomeus ejus nepos et heres aut eius heredes, occasione predictorum vel alicuius eorum, sive etiam occasione dicte tutele bene vel male geste, obmise vel neglete, sive doli, culpe, vel negligentie in aliquo vexaret, vel conveniret ipsum tutorem, vel ejus heredes ratione aliqua de predictis, et in aliquo ipse tutor videretur eidem Bartholomeo teneri ratione aliqua de predictis, illud totum vel tantumdem de suo eidem domino Juliano tutori iure legati reliquid. ¶ Item dictum dominum Julianum reliquid in tutorem neptibus suis Helene et Chechole, remitens eidem sacramentum tutele et inventarii confecionem, et absolvens eum ab omni ratione administrationis reddenda, in omnibus et per omnia ut supra remisit, absolvit et liberavit a tutela dicti sui nepotis. ¶ Item reliquid, voluit et mandavit, quod de vigintis libris bononenorum, quas lucratus fuit de consiliis fratrum, fieri debeat capitulum fratrum Minorum de Richardina et ipsas expendi in dicto capitulo tum in fenestris ferreis et de ligno, tum in sedibus, tum pro aliis fenestris, pro quibus emet marmera, que sunt ibidem, tum pro picturis faciendis ibidem. ¶ Item reliquid presbitero sancti Mami quadraginta soldos bon., ex quibus emi debeant duo duplerij deputandi ad Corpus Christi. ¶ Item presbitero Ecclesie sancti Jacobi de Carbonensibus viginti soldos bononenorum pro uno duplerio emendo, deputando ad Corpus Christi. ¶ Item reliquid, voluit et mandavit restitui, dari, et solvi de bonis suis per dictos suos commissarios omnia et singula, que ad eum pervenerint ex aliqua iniusta vel indebita aquisitione vel exactione omnibus et singulis personis et Universitatibus, a quibus aparuerit ipsum, vel alterum ejus nomine, habuisse vel percepisse. ¶ Item reliquid et voluit quod de bonis suis ematur et detur, ad voluntatem et arbitrium dicti domini Juliani, Alianorie sue filie, sponse et future uxori Francischi filii quondam domini Galaoti de Lambertinis, unum lectum coredatum, exstimationis octuaginta librarum bononenorum. ¶ Item reliquid dicte sue filie de bonis suis vestes intextas de scarleto cum variis, dandas eidem et emendas per dictum dominum Julianum cum dictus Franciscus ejus sponsus erit nubilis, scilicet etatis quatuordecim annorum et contrahet matrimonium cum dicta sua filia, dum tamen ponantur in dotem dicte sue filie, extimate id quod constitere dicte vestes. ¶ Item voluit quod compleantur eidem vestes, que sunt inchoate pro ea. ¶ Item reliquid domine Agnexine uxori olim dicti domini Galaoti unam robam de bruna, que emi et dari debeat eidem domine arbitrio dicti domini Juliani exstimationis et precii treginta sex librarum bononenorum. ¶ Item reliquid dicto domino Juliano pro labore tutelle centum libras bononenorum. ¶ Item reliquid et voluit, quod si relicta per eum pro male quesitis, incertis et pro animabus eorum a quibus quesivit iniuste, non essent bene relicta ad utilitatem animarum eorum, quod de illis quas pro anima sua reliquid magis pie compensentur loco predictorum. ¶ Item reliquid quod pro animabus scolarium, a quibus aliquid iniuste percepit tam laicorum quam clericorum dantium de bonis eorum propriis eidem non secundum debitum, emantur duo calices valoris quinquaginta librarum bononenorum, et dentur fratribus et conventui fratrum Minorum de Richardina; unus quorum serviat et servire debeat altari beati Jacobi et alius altari beati Dominici facendis in Ecclesia predicta sancti Francischi de Richardina. ¶ Item reliquid emi de bonis suis unam petiam terre vineate pretii ducentarum librarum bononenorum, ubi videbitur dicto domino Juliano, que deputetur in perpetuum ad usum fratrum Minorum de Richardina, prout melius videbitur dicto domino Juliano, que vendi vel alienari non possit, et hoc pro animabus dictorum scholarium. ¶ Item voluit et mandavit quod cum ipse habuerit in Curia Romana a quodam clerico, nomen cujus ignorat, octuaginta florinos aureos pro quodam servitio, quod impetravit a domino Papa pro eo, et predicta pecunia deposita fuerit in magna tabula illorum de Senis et postea soluta fuerit Lando de Societate Amanatorum, recipienti pro eo stanti in Curia Romana, et quidam clericus Capelle regis Anglie eum cognoscat, qui tunc erat in dicta Curia, quod inquiri debeat de nomine illius clerici, qui dedit pecuniam predictam in tabulis mercatorum, et de nomine clerici, qui eum cognoscit in capella regis, et quod dicta pecunia detur dicto clerico capelle regis, ut det eam dicto clerico, qui dedit ipsam pecuniam,

(1) Lege: *homologistam*, ab *homologare*.

vel ipsi clerico, qui dedit pecuniam; et si non inveniretur ille qui dedit dictam pecuniam, voluit et reliquid dari pro male quesitis, incertis pro anima sua in vinea emenda pro fratribus de Richardina ultra quantitatem contentam in dicto legato. ℂ Item reliquid, voluit et mandavit quod Franciscbus filius quondam domini Galaoti de Lambertinis predictus, a festo sancti Michaelis proxime venturi in antea, habeat et habere debeat usufructum et reditus tante possessionis de podere ipsius domini Francischi posito in terra et curia Ulmetule, quod valeat nonigentas libras bon. pro parte dotis dicte sue filie Alianorie donec compleverit quatuordecimum annum sue etatis, et matrimonium fiet inter predictos, et voluit et mandavit quod, completo quatuordecimo anno etatis dicti Francischi, et matrimonio contracto inter dictum Francischum et dictam Alianoriam, debere emi unum podere vel de suis dari in solutum inexstimatum pretii mille quingentarum librarum bon., quod debeat remanere pro dote dicte sue filie inextimatum, ita quod vendi non possit, et dicto matrimonio completo, et dicto podere enpto ut supra dictum est, dicta pars poderis de Ulmetula libere redeat ad dictum Bartholomeum suum nepotem et heredem, et quod dictus Francischus domini Galaoti dicto Bartholomeo in predicto casu libere debeat relaxare et teneatur, et hoc debeat fieri arbitrio dicti domini Juliani. Et si matrimonium non compleretur, vel quia nolet predictus Franciscus, vel morte preventus, vel premoriente dicta Lianoria, omnia predicta redeant ad predictam Lianoriam si viveret, alias si non viveret ad dictum Bartholomeum vel ejus heredes. ℂ Item domino Guilielmo fratri suo reliquid anullum suum. ℂ Item dominis Bandino et Jacobo de Amanatis voluit satisfieri de laboratura denariorum suorum, quos eidem dederant ad eorum arbitrium, et eodem modo illis de Societate Bardorum. ℂ Item reliquid dicto domino Juliano unam ex possessionibus suis positis in Richardina exstimationis quingentarum librarum bon. et unam domum de parvulis meliorem positam in cappella sancti Mami, que debeat actari, ita quod possit congrue habitari. ℂ Item voluit et mandavit quod predicta legata incerta primo solvantur, que autem certa per eum relicta filiabus suis, exceptis his, que solvi debent quando passadium fiet ultra mare. In ceteris autem in ipso testamento contentis ipsum testamentum plenissime confimavit, et hanc suam ultimam voluntatem asseruit esse velle, quam valere voluit iure codicillorum, vel cujuscumque alterius ultime voluntatis, et omni modo et iure quibus melius potest, et qua[m] melius valere poterit et tenetur, et ea ab herede suo firmiter et inviolabiliter observari. Quos codicillos mandavit et voluit dictus dominus Francischus secretos esse, et deponi debere in sacristia fratrum Predicatorum, vel Minorum de Bononia et sigilari sigilo conventus dictorum fratrum, vel alterius ipsorum, sive Prioris dictorum fratrum, vel guardiani, vel alterius ipsorum. Actum Bononie in domo dicti domini Francischi in capella sancti Mami, presentibus fratre Petro de Trento sacristano, et fratre Joanne Rocho ordinis fratrum Predicatorum de Bononia, asserentibus se cognoscere dictum dominnm Francischum, domino Juliano domini Cambii Graciadey, fratre Alberto de Chaziptis ordinis dictorum fratrum Predicatorum, et fratre Nicholao domini Bernardi ordinis dictorum fratrum, et fratribus Petro de Tuvata et Aymerico de Rodaldis fratribus dicti ordinis, testibus vocatis et a dicto domino Francischo rogatis.

(L. † S.) Et ego Jacobinus filius quondam Guidonis Francholi notarii, imperiali auctoritate notarius, predictis interfui, et predicta omnia mandato dicti domini Francischi rogatus scripbere publice scripsi et subscripsi, et dictum dominum Francischum cognovi et signavi superius et fratribus Petro de Tuvata et Aymerico de Redaldis fratribus dicti ordinis.

Eodem anno, indictione die, loco et presentibus supradictis testibus in predictis codicilis conscriptis, dictus dominus Francischus infirmus fecit, constituit et ordinavit, denuntiavit dominum Julianum testem, presentem suum procuratorem et nuncium specialem ad presentandum et deponendum in sacristia fratrum predicatorum sive Minorum de Bononia dictos codicilos, sigilandos sigilo conventus dictorum fratrum vel alterius ipsorum conventus sive prioris vel guardiani dictorum fratrum vel alterius ipsorum secundum formam statutorum Communis Bononie, et generaliter ad omnia et singula facienda et exercenda in predictis et quolibet predictorum, que necessaria fuerint et que per verum et legitimum procuratorem fieri possent et que ipsemet facere et exercere posset; dans et concedens dicto suo procuratori in predictis et quolibet predictorum plenum, liberum et generale mandatum cum libera et generali administratione, promittens dicto domino Juliano et mihi notario infrascripto, stipulanti vice et nomine omnium quorum interest vel interesse posset, se firmum et ratum habiturum quicquid dictus procurator faceret in predictis, sub obligatione bonorum suorum.

Et ego idem Jacobinus Guidonis Francholi, notarius predictus, interfui et predicta rogatus publice scripsi et subscripsi, et constitutum et constituentem cognovi.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, indictione sexta, die primo iunii ₵ dictus dominus Julianus, procurator dicti domini Francischi, procuratorio nomine pro eo ad infrascripta est constitutus ex instrumento mei notarii; coram me notario et testibus infrascriptis presentavit, dedit et deposuit dictos codicillos fratri Ugolino de Castello, sacristano fratrum Minorum de Bononia, sigilandos sigilo dicti conventus sive guardiani, secundum formam statutorum.

Actum Bononie in sacristia dictorum fratrum, presentibus fratre Alixandro de sancto Joanne, qui aseruit se cognoscere dictum dominum Julianum et sacristanum predictum, et fratre Zuliano de Britenorio, testibus. Qui frater Ugolinus incontinenter recepit et illius sigillo cere sigilavit dictos codicilos. Et ego idem Jacobinus Guidonis Francholi, notarius, predictis interfui et predicta publicavi et scripsi et signavi.

[A tergo]:

Codicilli domini Francisci quondam domini Accursij doctoris legum.

Lectum et plubicatum.

Factum est.

Lectum et plubicatum.

Publicatum quia mortuus.

Factum est.

XLVI.

1293.

Ex archivo publico, in libro *Diversorum Consiliorum* et aliarum rerum populi et Communis Bononie (1).

In Christi nomine, amen. Infrascripti sunt qui esse debent de Consilio duorum millium pro anno futuro millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, indictione septima.

De quarterio porte ravennatis:

Dominus Baxacomater de Baxacomatribus, doctor legum,

Dominus Gardinus de Gardinis, doctor legum,

Dominus Tadeus domini Ubaldi de Castro sancti Petri, doctor legum (2).

. . . .

Dominus Zordanus domini Bologniti de Flagnano, positus loco dicti domini Tadei, qui se vult de civitate Bononie ascentare, ex instrumento Bologniti de Flagnano notarii (3).

XLVII.

1294, 4 septembris.

Ex archivo Max. Bonon., in Memorialibus Communis (Mem. Nicolai Michaelis Aimerii, c. 14 r.).

Millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, indictione septima, die sabati quarto mensis setenbris.

₵ Dominus Chabrinus de Seregnanis de Cremona promisit domino magistro Petro de Boateriis legere librum Institutionum in testu et glossis melius quam siverit et poterit Bononie in anno in scholis dicti magistri Petri, inchoando legere dictum librum in festo sancti Luche

(1) Ne hunc librum quidem in Archivo maximo invenire potui. (C. M.)

(2) Deletum nomen super inducta linea, et, ad latus paginae, quae sequuntur eadem manu notantur. (C. M.)

(3) Sequuntur deinde nomina eorum, qui erant in Consilio. (C. M.)

proxime venturi [1] et finiendo ipsum ante Pascha Resuresionis Dominice proxime instanti per oto dies. Et reincipiendo legere dictum librum infra oto dies post dictum Pascha, et terminando ipsum quam melius poterit, nisi infirmitate fuerit impeditus. Promittens eciam dictus dominus Chabrinus eidem magistro Petro non legere dictum librum Institucionum infra dictum terminum in aliquibus scholis vel locis civitatis Bononie quam in predictis, et non recedere de civitate Bononie; si recedet [2], tunc possit stare et morari extra civitatem Bononie per oto dies, et non ultra, chonstituendo sibi, cum recesserit, ydoneum substitutum, excepto quam in festo Nativitatis, vel Resuresionis Dominice. Versavice dictus dominus magister Petrus promisit dicto domino Chabrino dare eidem scholas libere et semel in die hinc ad dictum terminum. Non recipere aliquem legentem dictum librum in dictis scholis hora, quam ipse dominus Chabrinus sibi elegerit pro dicto libro legendo, dum modo non possit ipse dominus Chabrinus horam sibi per eum elleta[m] mutare. Item quod permittet ipse magister Petrus eidem domino Chabrino facere choletam pro ejus salario a scholaribus ab eo audientibus dictum librum tocies quocies sibi placuerit, dumodo non esigat nisi semel choletam ab aliquo scholarium ab eo audiencium dictum librum pro unaquaque letura, et quod permittet ei portare librum seu libros scholarium sibi volencium satisfacere de ipsius salario et labore, et ilos tenere donec eidem fuerit ab ipsis integre satisfatum. Facta vero eidem solucione ab ipsis, teneatur eis restituere ipsos libros. Preterea hoc actum estitit inter eis, quod dictus dominus Gabrinus non posit compellere aliquem ex scholaribus intrinsecis abitantibus in dictis scholis cum dicto magistro Petro, et ab eo audientibus dictum librum ad solucionem sibi ab eis faciendam ultra quantitatem oto solidorum bononenorum pro qualibet letura. Que omnia et singula suprascripta promisit unus alteri ad invicem solenibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, firma et rata habere, sub pena quinquaginta librarum bononenorum ex instrumento Anthonii Rolandini Bonaventure notarii, hodie facto Bononie in curtili Pavanensium, presentibus domino magistro Isolano de Tridento, Bertoloto de Ghiroldis de Cremona, Pasquale de Chariola de Trivisio, Buto de Florencia, et Johanne Bompare testibus. Sic dicti contraentes una cum dicto notario venerunt, dixerunt et scribi fecerunt.

XLVIII.

1297, 21 iunii.

Ex Tabulario Max. bon., *Reformationum* lib. A †, c. 313 r. et 315 v.

Millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, indictione decima, die vigesimo primo mensis iunij.

Consilium populi et Masse populi civitatis Bononie fecit dominus Johannes de Bolsena, Judex et Vicarius Nobilis viri domini Berardi de Camarino honorabilis Capitanei popullj Bononie in pallatio novo Communis Bononie ad sonum campane et voce preconum ut moris est congregari: in quo quidem Consilio de voluntate duarum partium Antianorum et Consullum et in ipsorum presentia proposuit et legi fecit infrascripta ordinamenta, super quibus omnibus et singulis sibi petiit consilium exhiberi:

. . . .

. . . .

De hiis qui excusantur ab exercitibus et cavalcatis.

. . . .

. . . .

Item excusentur Doctores ordinarie regentes et Bachalarij regentes extraordinarie nominati per Rectores scholarium, dati in scriptis ex parte Universitatis scholarium domino Capitaneo et Antianis et Consulibus Populi bononiensis et etiam stacionarii et bidellus Universitatis predicte infra descriptis. Nomina quorum sunt hec:

(1 et 2) *Sic.*

ℂ Dominus Marsilius de Mantighellis doctor decretorum, ℂ Dominus Martinus Sulimanni doctor legum, ℂ Dominus Albertus domini Oddofredi doctor legum, ℂ Dominus Bertholutius de Pretis doctor legum, ℂ Dominus Phillipus de Foscarariis legum doctor, ℂ Dominus Paulus domini Martini doctor legum, ℂ Dominus Franciscus Sasollini doctor legum,	isti sunt doctores legum qui ordinarie legunt.
ℂ Dominus Palmerius doctor decretorum, ℂ Dominus Jacobus Belvixij, ℂ Dominus Bertholomeus de Manzolino, ℂ Dominus Vianixius domini Pasipauperij, ℂ Dominus Thomax de Marzalolio,	isti sunt qui legunt extraordinarie et vulgariter Bachalarij nominantur.

ℂ Nicolaus, stationarius Universitatis.
ℂ Minghinus, stationarius Petiarum.
ℂ Unus Bidellus generalis Universitatis.
ℂ Johannes Cambij, stationarius librorum.
ℂ Dominus Lambertinus Rampone doctor legum, } qui debeant remanere tempore exercituum
ℂ Dominus Ubaldinus de Malavoltis doctor legum, } et cavalcatarum ad consulendum Vicarios dominorum Potestatis et Capitanei et Antianorum et Consullum populi bononiensis et Commune Bononie, sicut et quando ipsis Antianis et Consullibus videbitur expedire, salvo quod, si habebunt equum in Communi, teneantur et debeant venire vel mittere sufficientem rescont[r]um loco suo, cum equo quem ipse vel ipsi habent vel habebunt in Communi bononiensi, asignatum vel asignandum, etc.

XLIX.

1298, 20 iulii.

Ex Tabulario Maximo bononiensi,
in *Memorialibus Milanitti de Milanittis, anno MCCXCVIII., die XXVII. iulii* (1).

Discretus vir dominus Ugolinus de Montezanico, procurator sapientis viri domini Dini de Muxello legum doctoris, habens ad infrascripta plenum mandatum, prout de ipso mandato et procuratione patet ex instrumento scripto manu Blanchi notarij a me notario viso et lecto, nomine dicti domini Dini promisit per stipulationem, sine aliqua exceptione juris vel facti se obligando Arnulfo quondam Johannini notario, dare et solvere ac restituere eidem, aut suo certo nuncio vel ejus heredibus, CL. libras bononenorum hinc ad duos menses proxime venturos in civitate Bononie; quam pecunie quantitatem dictus dominus Ugolinus, procurator dicti domini Dini, ut dictum est, confessus et contentus fuit habuisse et recepisse, ac sibi nomine dicti domini Dini integre datum, solutum et numeratum fuisse ab eodem Arnulfo ex causa mutui de pura sorte et gratia speciali, scilicet centum libras pro dando et offerendo super altare monasterii sancti Columbani de Bononia, et quas centum libras ipse dominus Ugolinus de ipsius domini Dino mandato, dedit abbatisse et monialibus dicti monasterii sancti Culumbani de Bononia, ponendo et dimittendo eas supra dictum altare in presentia abbatisse et monialium nomine oblationis, ratione et occasione domine Bice, uxoris dicti domini Dini, que tunc temporis ipsius oblationis assumpsit habitum religionis in monasterio prelibato ante dictum altare, et alias quinquaginta libras, quas ipse dominus Ugolinus ipsius domini Dini mandato, solvit ac dedit in vestimentis et aliis pannis necessariis ipsi domine Bice in dicto monasterio, cum pactis, penis, promissionibus, obligationibus in ipso instrumento appositis, ex instrumentis Johannis magistri Petri Barberii de Unzola notarii, hodie facto Bononie in palatio Episcopali, presentibus Vandino quondam domini Alberti de Piccigottis, Matthiolo domini Benvenuti de Rognatico, Ugone Borghexani notario officii memorialium, Petronio Petri Belicti notario, Princivalle de Piccigottis testibus, et sic dicti contrahentes dixerunt et scribi fecerunt una cum dicto notario; et partes cognite fuerunt a dicto notario.

(1) Sic Sarti. Sed in *Memorialibus Milanitti* hoc actum, anno quo supra, non inveni. (C. M.)

L.

1299, 22 februarii.

Ex archivo s. Dominici bonon. nunc in Tabulario Max. bononiensi, sect. « *Demaniale* », n. $\frac{181}{7515}$.

In Christi nomine, amen. Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, indictione duodecima, die vigesimo secundo mensis februarii. ℭ Dominus Albertus legum doctor, quondam domini Oddofredi legum doctoris, per gratiam Jesu Christi sanus mente et corpore, timens futurum judicium mortis, nolens decedere intestatus, per presens nuncupativum sine scriptis testamentum, in secreto tamen, secundum infrascriptam formam, condidit in hunc modum, et dictum suum testamentum iussit et voluit deponi et conservari in sacristia fratrum Predicatorum de Bononia, iuxta iuris conscilium habeat unusquisque licentiam testandi et disponendi de rebus suis precipue et ad pias causas, et non sint cassa iudicia, set liber sit stillus et licitum quod iterum non reddit arbitrium. In primis quidem reliquid de bonis suis iure legati domino Rugerio de Marmagnone vel suis heredibus decem libras bononenorum.

Item reliquid iure legati domino Anfonso Grisie, Yspano, vel suis heredibus quindecim libras bononenorum, et si non invenirentur predicti vel heredes eorum, voluit predictas quantitates pecunie pauperibus Christi erogari arbitrio fideicommissariorum predicti domini Alberti.

Item reliquid iure legati domino Barbato de Machalone, qui est de Terra Laboris in Regno Apulie prope civitatem Capue per duodecim vel quindecim milliaria, decem florenos auri.

Item reliquid iure legati pro anima domini Johannis de Giuncio, Canonici quondam de Lodio, qui fuit sepultus ad domum fratrum Minorum de Bononia, septem libras et decem soldos bononenorum.

Item reliquid dompno [Petro] presbitero [de] Tortona, qui moratur cum ipso domino Alberto, alimenta [omn]i tempore vite ipsius dompni Petri, que eidem debeatur prestari in domo sua ab heredibus ipsius testatoris, videlicet comedendo et bibendo ad tabulam heredum ipsius domini Alberti, et insuper reliquid eidem dompno Petro pro vestimentis et calciamentis ipsius omni anno decem libras bononenorum, donec steterit cum heredibus ipsius testatoris, dandas, prestandas et solvendas eidem in festo nativitatis Domini nostri Jesu Christi.

Item reliquid domine Clare uxori sue, filie quondam domini Fulchi de Pacibus, dotem suam, scilicet mille ducenta[s] libras bononenorum, de quibus mille ducente libris predictus dominus Albertus habuit nongentas sexaginta libras bononenorum, et cum fuerit factum instrumentum dotale, vult quod ipsa domina Clara habeat solidas et in totum mille ducentas libras bononenorum; set si non fieret instrumentum dotale, vult quod ipsa habeat tantum nongentas sexaginta libras bononenorum. Insuper reliquid eidem domine omnes vestes suas, tam de scarleto quam de viridi et de cendato, et etiam scrineum suum, quod deportavit in domo ipsius domini Alberti, et cassam novam, ubi retinet pannos suos et zonas suas de argento, que sunt due, et omnes anullos suos, quas ipsa habet, sive cum quibus fuit desponsata; et etiam reliquid eidem domine omnes alias suas vestes, quas ipsa habet vel ipsa habebit tempore mortis ipsius domini Alberti. Item reliquid eidem omnes res quas detulit in domo ipsius domini Alberti. Et omnes predictas res eidem domine legat, si que estabunt tempore mortis ipsius domini Alberti. Item reliquid eidem omne[m] mobiliam, quam ipsa fecit postquam fuit nupta predicto domino Alberto, et etiam quam faciet usque ad mortem ipsius domini Alberti. Item reliquid eidem domine lectum suum, in quo ipse iacet, scilicet duas culcitras et duos capizales et cultram et omnia linteamina ad usum ipsius lecti et omnes origlerios. Item reliquid, iussit et voluit eam esse dominam et usufructuariam in domo ipsius domini Alberti, donec morari voluerit in domo ipsius domini Alberti. Si autem in domo dicti domini Alberti morari non vellet, tunc et in eo casu, eidem domine reliquid usumfructum totius poderis sui, quod habet in burgo sive curia Burgi Panicalis, scilicet un[ius bra]yne que est quinquaginta tres tornature, et dimidiam partem alterius tornature, de subtus et de super sunt vie publice, a sero possident Pavanenses, et unius predii quod est undecim tor-

naturas (1), et a mane et de subtus sunt vie publice, et unius casamenti quod est duarum tornaturarum de subtus est via publica et via que venit de Sancto Johanne in Persiceto, et est affictatum pro quatuor libris et duobus paribus caponum, et unius alterius casamenti quod est una tornatura et dimidia, de super est via publica, de subtus est via que vadit ad Sanctum Johannem in Persiceto, et est affictatum pro quatuor libris bononenorum duabus paribus caponum, et unius petie terre pusticij vineate, que est decem et novem tornaturis et dimidia tornatura, de super possidet Johannes Petri Sichi, de subtus dominus Martinellus de Guastavillanis, a sero via publica. Et usumfructum dictarum possessionum eidem domine reliquid in eum casum, donec vitam vidualem, castam et honestam servare voluerit, et non convolaverit ad secunda vota, sive nuptias. Si autem convolaret ad secunda vota, sive nuptias, omnia alia legata supradicta rerum mobilium eidem reliquid, et insuper de suo centum libras bononenorum, set ei usufructum dictarum possessionum adymit.

Item reliquid iure institutionis Benedicto filio suo, et Johanni filii Benedicti, et omnibus filiis nascituris ex ipso Benedicto, ex presenti matrimonio vel futuro nascantur filii, vivo ipso domino Alberto, vel post mortem ipsius domini Alberti, domum suam quam habet in curia sancti Ambrosij, que fuit domini Honesti et heredum ejus, scilicet Oddoffredi et Richardini. Confines cujus domus sunt: a sero curia sancti Ambrosij de super, et de suptus vie publice, a mane posside[n]t heredes Ugolini Noti. Item reliquid etiam iure institutionis predictis Benedicto et Johanni et aliis filiis nascituris ex dicto Benedicto, domum cum tumba quam habet in curia Vetrane et etiam omnes alias suas possessiones quas habet nunc in dicta curia Vetrane, sive sint casamenta, sive sint brayne, sive sint clusure, sive sint terre aratorie, sive prative. Item reliquid iure institutionis predictis omnes libros, quos ipse dominus Albertus dedit eidem Benedicto, scilicet unum Digestum vetus de litera antiqua, et unum Codicem, et unum Infortiatum, et unam Istitutam cum Lombarda. Item reliquid dicto Benedicto et Johanni lectum, quod habet dictus Benedictus, et omnes vestes, quas habet domina Bona uxor sua, et omnes pannos laneos et lineos, et zonam suam de argento, et omnes anullos dicte domine Bone, et omnia supperletilia et utensilia, quibus utitur ipse Benedictus sive predicta uxor sua, et etiam totam chamaram dicti Benedicti et uxoris sue predicte. Et rogat dictum Benedictum et Johannem quod curent et faciant heredes ipsius testatoris liberari ab obligatione trecentarum librarum dotis, in quibus est ipse testator obligatus pro dote domine Bone, uxoris dicti Benedicti et matris dicti Johannis, quam confessus fuit se recipisse a domino Ugolino de Montumbrario sive a domino Lombardo suo filio, vel a quocumque alio, cui ipse testator teneretur ad dotem restituendam de iure. Quod si non fecerint et curaverint heredes predicti testatoris liberari ab obligatione dicte dotis trecentarum librarum bononenorum, tunc, et eo casu, legatum predicte domus que est in curia sancti Ambrosij, que fuit domini Honesti, vult non deberi et predictum legatum eis adymit.

Item precipit, mandat et rogat Johannem filium Benedicti, et alios filios dicti Benedicti nascituros, ut si decedat, vel decedant post mortem Benedicti sine liberis vel sine fratribus consanguineis, quod debeat vel debeant restituere heredibus ipsius domini Alberti quicquid ad eum vel ad eos pervenisset vel pervenissent de predictis bonis relicto (2) predicto Benedicto et ipsi Johanni, et aliis nascituris ex dicto Benedicto.

Item reliquid iure institutionis Luzie, sue filie, quingentas libras bononenorum, quam morari, ali et nutriri iussit et voluit penes dominam Claram uxorem suam, donec pervenerit ad pubertatem et nupserit, et tunc fiat de consensu domini Francisci et Benedicti; et si dicta Luzia decederet in pupillari etate, ei substituit heredes suos natos vel nascituros, quos in testamento suo sibi heredes instituit; vel si dicta Luzia decederet post pupillarem etatem, quamdocumque sine liberis, eidem Luzie predictos suos heredes substituit. Et eum rogat ex causa fideicomissi quod restituat predictis suis heredibus predictas quingentas libras bononenorum.

Item precipit et voluit quod infra sex menses dicte quingente libre a die mortis ipsius testatoris dentur et solvantur tutoribus dicte Luzie, que pecunia deponatur ad tabulam domini Gardini de Pegolotis, ut de licito lucro dicte pecunie ipsa alatur, et cum nupserit dicte quingente libre dentur in dote pro ea. Tutores autem dicte Luzie, ejus filie, esse voluit Bonaventuram de Paganellis de Argellata, et me Andream Petrizoli Albertini de Badalo, notarium.

(1) *Sic.*

(2) *Sic.*

Item reliquid iure legati Bonavanture de Argellata de Paganellis centum libras bononenorum. Item reliquid iure legati mihi Andree Petrizoli Albertini de Badalo, notario infrascripto, quinqueginta libras bononenorum. Item reliquid iure legati conventui Fratrum Predicatorum de Bononia quingentas libras bononenorum, et vult et mandat quod de predictis quingentis libris bononenorum fiat una truna desuper et supra voltas altare s. Jacobi et s. Laurentii in ecclesia s. Dominici, et ibi fiant duo altaria unum ad honorem beati Matthey Apostoli, et alterum ad honorem beate Katheline, ut ibi perpetuo celebrentur misse pro anima sua, et patri sui domini Oddoffredi, et matri sue, et filie, et omnium suorum aliorum mortuorum.

Item reliquid iure legati conventui fratrum Minorum de Bononia quingentas libras bononenorum, et mandat quod de dictis quingentis libris bononenorum debeant fieri in ecclesia fratrum Minorum iuxta altare s. Clare tria altaria: primum altare ad honorem beati Petri Apostoli, secundum altare ad honorem beati Pauli Apostoli, tercium altare ad honorem beati Johannis Evangeliste, et ibi perpetuo celebrentur misse pro anima sua, et patri sui domini Oddoffredi, et matris sue, et filie, et omnium aliorum suorum mortuorum.

Item reliquid pro paramentis altariorum predicto conventui fratrum Predicatorum centum libras bononenorum, et conventui fratrum Minorum pro paramentis dictorum altariorum alias centum libras bononenorum. Et si dicti fratres Predicatores, vel fratres Minores dicta altaria et opera supradicta facere recusarent, tunc et eo casu facere recusantibus supradicta, adymit et cassat in totum predicta legata, et precipit et mandat quod dicta opera et altaria debeant fieri infra annum a die mortis ipsius domini Alberti.

Item precipit et mandat quod heredes sui non debeant molestare, inquietare Benedictum, Iohannem et Luziam de legatis eisdem relictis aliqua ratione vel causa, de jure vel de facto; et si predictos molestarent vel inquietarent, vel alterum eorum, aliqua ratione vel causa, tunc et eo casu privat eos hereditate, et ad eum qui non molestaret vel inquietaret predictos in predictis legatis vult in totum hereditatem pertinere et ad eam hereditatem devenire. Et si omnes heredes predicti domini Alberti inquietarent, vel molestarent predictos in predictis legatis vel alterum eorum, tunc et eo casu vult hereditatem suam pervenire ad hospitale sancti Iohannis Zerosolomitani, et ad domum Templariorum Zerosolomitani; et eo casu dictum hospitale et domum Templariorum sibi heredes instituit, et heredes sibi institutos in dicto suo testamento privat a dicta sua hereditate et illam hereditatem transfert ad predictum hospitale et domum Templariorum jure institutionis.

Item reliquid Egidio de Ugiano septuaginta libras bononenorum.

Item mandavit et voluit quod dentur ducente libre bononenorum uno militi, qui vadat, cum fiet transitus generalis ultra mare, in subsidium Terre Sancte ex Indulgentia Papali ad standum per unum annum pro anima ipsius domini Alberti.

Item precipit et mandat quod omnia que non apparerent soluta ex testamento domini Oddoffredi patris sui, quod secundum formam dicti testamenti solvantur.

Item precipit et mandat quod in die sepulture sue molantur quinquaginta corbe frumenti, et fiant panes de sex uncijs coti, et cuilibet pauperi detur unus panis, et si dicti panes non sufficerent, quod detur cuilibet pauperi unus denarius.

Item reliquid fratribus Predicatoribus, et fratribus Minoribus de Bononia quolibet anno de meliori et pulchriori frumento, quod colligetur in possessionibus ipsius domini Alberti pro oblatis et corpore Christi faciendo, quantum est necessarium predictis fratribus Predicatoribus et Minoribus, et omnibus aliis conventibus Fratrum de Bononia, et comitatu et aliorum omnium presbiterorum de civitate et comitatu Bononie. Et ipsi fratres Predicatores et Minores teneantur dare oblata sive oblaticias pro corpore Christi sacrificando omnibus fratribus et presbiteris de civitate et comitatu Bononie.

Item reliquid conventui Fratrum Predicatorum de Bononia quolibet anno quindecim corbas vini de albana de meliori, quod colligitur de vineis ipsius domini Alberti de Castenaxe pro corpore Christi sacrificando.

Item reliquid fratribus Minoribus de Bononia quolibet anno decem corbas vini de albana, quod colligitur de eadem vinea de meliori.

Item reliquid conventui fratrum Heremitanorum ordinis sancti Iacobi strate sancti Donati de Bononia quinque corbas vini de albana de meliori quolibet anno pro corpore Christi sacrificando.

Item reliquid conventui fratrum de Carmine de Bononia quatuor corbas vini quolibet anno pro sacrificio faciendo de eodem vino et vinea.

Item reliquid conventui fratrum Servorum de sancta Maria de Bononia quolibet anno tres corbas vini de eadem vinea pro sacrificio faciendo.

Item reliquid conventui fratrum Predicatorum de Bononia quolibet anno quindecim libras bononenorum pro mille missis dicendis quolibet anno pro anima ipsius domini Alberti.

Item reliquid conventui fratrum Minorum de Bononia quolibet anno septem libras et decem soldos bononenorum pro quingentis missis cantandis parvis pro anima ipsius domini Alberti quolibet anno.

Item reliquid conventui fratrum Heremitanorum sancti Iacobi strate sancti Donati de Bononia quolibet anno quinque libras bononenorum pro trecentis et triginta quatuor missis cantandis parvis pro anima ipsius domini Alberti pro quolibet anno.

Item reliquid conventui fratrum de Carmine de civitate Bononie quolibet anno triginta soldos bononenorum pro centum missis cantandis parvis pro anima ipsius domini Alberti.

Item reliquid conventui fratrum Servorum sancte Marie de Bononia triginta soldos bononenorum quolibet anno pro centum missis cantandis parvis pro anima ipsius domini Alberti.

Item reliquid pro anima domini Oddoffredi patris sui, et domine Iuliane matris sue, et fratris Ricardini sui fratris, et Nichole filie sue et sororis Lazarine sororis sue, et domine Azoline, quondam uxoris sue, pro missis parvis cantandis, scilicet pro trecentis triginta quatuor missis cantandis quolibet anno fratribus Predicatoribus de Bononia centum soldos bononenorum, fratribus Minoribus pro trecentis triginta quatuor missis parvis cantandis reliquid quolibet anno centum soldos bononenorum quolibet anno, fratribus Heremitanis civitatis Bononie pro ducentis missis parvis cantandis reliquid quinqueginta soldos bononenorum quolibet anno, fratribus de Carmine de Bononia pro centum missis cantandis parvis reliquid vigintiquinque soldos bononenorum. Et predicta legata pro missis dicendis tam pro anima ipsius domini Alberti, quam pro anima patris et matris et aliorum suorum mortuorum, que relicta sunt conventibus Religiosorum suprascriptorum, voluit et precipit quod debeant solvi de pensionibus quolibet anno domorum suarum que habet juxta curiam Comunis Bononie, et habent becharij ab eo ad pensionem; et mandat etiam et voluit, quod becharij quolibet anno illam quantitatem pecunie, quam reliquid conventibus supradictis pro missis dicendis, non debeant solvere heredibus suis, set debeant solvere perpetuo sine temporis prefinitione quolibet anno in kalendis februarij Procuratoribus fratrum Predicatorum et Minorum, qui sunt vel pro tempore erunt, quos suos facit Commissarios tantum circa predicta legata solvenda et exequenda, dans et concedens predictis Procuratoribus liberam licentiam et potestatem petendi exigendi a becharijs tantam pecunie quantitatem, quantum sufficit a[d] dicta legata solvenda. Reliqua pars pensionis solvatur heredibus suis.

Item reliquid domine Clare ducentas libras bononenorum ultra centum libras bononenorum, quas supra ei reliquid.

Item reliquid iure institutionis Francisce neptis (1) sue, filie quondam domine Nichole sue filie decem libras bononenorum.

Item Saraceno nepoti suo, filio predicte domine Nichole sue filie, jure institutionis reliquid viginti soldos bononenorum.

Item rogat heredes suos ut Vandino, cui dicitur Dinus, filio Gasdiole, qui moratur in domo cum ipso domino Alberto, ut debeant eidem dare quolibet anno usque quo habuerit vigintiquinque annos, pro alimentis octo corbas frumenti, octo corbas vini et decem libras bononenorum in pecunia pro vestimentis et chalciamentis et habitatione ipsius Vandini.

Item Paulo filio domini Francisci sui filii prelegavit omnes libros suos legales, scilicet Digestum vetus, quod est in duobus voluminibus cum Apparatu domini Accursij, Infortiatum, quod est in tribus voluminibus, scilicet Infortiatum in duobus voluminibus, et tres partes in alio volumine, et omnes cum Apparatu domini Accursij. Item Digestum Novum, quod est in duobus voluminibus et cum Apparatu domini Accursij. Item Codicem quod est in duobus voluminibus cum Apparatu domini Accursij. Item Institutam, et tres libros Codicis, qui sunt in uno volumine. Item Sumam Azonis. Item Lecturam Codicis. Item Lecturam Digesti Veteris, Lecturam Infor-

(1) *Sic.*

tiati, que Lecture nuncupantur Lecture domini Oddoffredi. Et hoc si ipse Paulus voluerit profisci in jure civili. Set si ipse Paulus noluerit profisci in jure civili, et aliam vitam elegerit, tunc et eo casu privat eum dicto legato librorum, et voluit dictos libros remanere penes heredes suos. Et precipit et mandavit predictos libros non alienari, quia eos voluit permanere in familia sua. Set si aliquis liberorum ipsius testatoris proficiscatur in jure civili, ille liberorum habeat libros, qui primo pervenerit ad doctoratus honorem in jure civili.

Item precipit et mandat dictus dominus Albertus, quod domus, quas habet dictus testator in curia sancti Ambrosii et in platea majori, et domus que fuerunt Guidoni Zenzarasonis et heredum dicti Guidonis, et nunc sunt ipsius domini Alberti, et domus quas habet ipse dominus Albertus juxta curiam Communis Bononie a latere sero curie, et sunt ibi becharie, et alie domus que sunt juxta becharias ex parte inferiori, que sunt ipsius domini Alberti, et totum poderem suum de Castenaxe, scilicet motam et turrim et alie domus, et omnes vinee sue, et omnia pusticia vinearum, et etiam omne id quod habet in curia Chastenaxe, sive sit terra aratoria, sive prativa, et pallacium cum omnibus domibus quas habet in curia Varegnane, sive in loco ubi dicitur Villa Francha, sive Blanchafarina, sive Bellovidere, cum toto terreno et territorio, quo consuevit dici Lectus de Quaterna, et cum toto alio terreno cum territorio, quod extenditur usque ad rivum Rossolo, quod totum terrenum est in curia Varegnane juxta nemus Communis Varegnane, et juxta locum ubi dicitur Bandita, et juxta terrenum ubi dicitur Sablonaria, heredes predicti domini Alberti non possint vendere, alienare modo aliquo vel ingenio, in totum vel in parte, in extraneas personas, ideo quia dictus testator voluit quod dicte domus, sive sint in civitate sive in rure, et dicte vinee et terre aratorie et prative debeant semper et perpetuo sine temporis prefinitione inter suos filios masculos sive liberos masculos permanere; nec voluit quod de suis descendentibus masculis predicte res debeant exire, et si aliquis filiorum suorum, vel liberorum vel descendentium, partem suam de dictis rebus alienaret, vel sine masculis liberis decederet, mandat et voluit partem illius alienantis, vel sine liberis masculis decedentis, debeat ad alios non alienantes pervenire.

Commissarios autem suos, et hujus testamenti executores esse voluit dominam Claram uxorem suam, et Priorem fratrum Predicatorum de Bononia et Guardianum fratrum Minorum de Bononia, qui sunt vel pro tempore erunt, et Bonaventuram de Paganellis de Argellata, et me Andream Petrizoli Albertini de Badalo, notarium infrascriptum; dans et concedens dictis suis Commissariis plenam potestatem, cum libera amministratione, et speciale mandatum vendendi, alienandi de bonis ipsius testatoris, exceptis rebus quas supra prohibuit alienari, de quibus voluerint, usque ad integram satisfactionem omnium et singulorum que continentur in testamento ipsius domini Alberti sine aliqua contraditione heredum suorum vel cujuscumque alterius persone. Et si predictis Commissariis contradiceretur per heredem vel heredes suos quominus predicta explicarentur et effectui mandarentur, tunc et eo casu contravenientem sive venientes, privat eum vel eos, et quemlibet eorum a sua portione hereditatis predicte, et de bonis ipsius testatoris non possint habere ex testamento vel ab intestato, vel alio quocumque modo vel causa. Et portio vero prohibentis perveniat pleno iure ad non prohibentem. Et si omnes prohiberent, tunc voluit quod deveniat ad hospitale sancti Johannis Zerosolomitani et ad dictam Domum Templariorum.

Sepulturam vero suam sibi elegit apud ecclesiam fratrum Minorum de Bononia et in tumulo, seu sepultura quondam patris sui domini Oddoffredi sepelliri voluit et mandavit. Tutores autem Nicholay filii sui, et Johanne filie sue, et aliorum filiorum vel filiarum, si sibi nascentur, esse voluit dominam Claram uxorem suam, si erit legittime etatis vigintiquinque annorum tempore mortis ipsius domini Alberti, vel si non esset legittime etatis eo tempore, voluit quod ipsa sit tutrix cum pervenerit ad legitimam etatem vigintiquinque annorum, si eo tempore non convolasset ad secundas nuptias. Item dicto Nicholao et dicte Johanne, et aliis filiis, sive filiabus sibi nascituris, suos esse voluit tutores dominum Bonaventuram de Paganellis de Argellata, et me Andream Petrizoli Albertini de Badalo, notarium infrascriptum.

Item voluit, jussit et mandavit quod Nicholaus filius suus et Johanna filia sua, et alii filii qui ei nascentur ex domina Clara, debeant morari, ali et nutriri penes dominam Claram donec pervenerit sive pervenerint ad pubertatem, et sint sive fuerint in pupillari etate. Et hoc si dicta domina Clara non convolaverit ad secunda vota, tunc et eo casu debeat sive debeant

morari, ali et nutriri apud eum quem ipsa domina Clara elegerit, dumodo tamen in domo vitrici, scilicet mariti domine Clare, vel conjuncti ipsi marito non moretur sive morentur.

Item precipit et mandat dictis tutoribus, scilicet Bonaventure et mihi Andree, quod dicte domine Clare de pensionibus domorum, frumenti et bladi debeant redere rationem quolibet anno in festo beati Petri mensis junii. Et de vino et redditibus vini, scilicet quantum fuerit perceptum in vindemiis de vino, et quantum corbes vini fuerit vendita, similiter debeant reddere rationem in festo sancti Michaelis mensis septembris, et etiam de predictis et omnibus aliis redditibus quolibet anno tempore congruo debeant reddere rationem prefate domine Clare. Et quod supererit alimentis Nicholai pupilli, sive pupillorum, debeat converti in emptionem prediorum prout melius et utilius videbitur convenire ipsi domine Clare et dictis tutoribus.

Item reliquit jure institutionis Johanne ejus filie podere suum et omnes possessiones quas habet ad Sablonariam et emit a domino Enrico de Mezzovillanis et a filio comuniter cum domino Jacobo de Ursis, et rogat predictam Johannam filiam suam, quod si heredes sui dederint et solverint dicte Johanne mille libras bononenorum, teneatur dicta Johanna restituere dictum podere et dictas possessiones heredibus suis universalibus, et jussit et voluit quod fructus illius anni, quando facta fuerit dicta solutio mille librarum bononenorum, habeat ipsa Johanna.

Item reliquit jure institutionis cuilibet filie sibi nasciture mille libras bononenorum. Item si Johanna filia sua vel postuma, vel aliqua postumarum decedat, vel decedant in pupillari etate sine fratre vel fratribus consanguineis et uterinis, una alteri sit heres. In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus et immobilibus, juribus et actionibus presentibus et futuris dominum Franciscum filium suum, Petrum, Paulum, Oddoffredum et Raynerium et omnes filios legitimos et naturales nascituros ex dicto domino Francisco ex presenti matrimonio vel futuro sibi heredes instituit pro una dimidia. Item Nicholaum filium suum pupillum, natum ex domina Clara, in alia dimidia sibi heredem instituit. Item si ei nascatur vel nascantur filius vel filii masculi, unus vel plures, eum, vel eos sibi heredem instituit quemlibet pro virili, ita quod dominus Franciscus cum filiis habeant unam virilem tantum, Nicholaus aliam virilem, et quilibet qui nascatur habeat suam virilem. Item si Nicholaus filius suus decedat in pupillari etate, quod Deus advertat, alium vel alios sibi nascituros voluit dicto Nicholao esse heredes. Et si aliquis filiorum, qui nascerentur, decederent in pupillari etate, Nicholaum (1) et alii filii nascituri morienti et decedenti sint heredes. Et hanc suam ultimam voluntatem asseruit esse velle, quam valere voluit et tenere jure testamenti. Quod si jure testamenti non valeret, saltem valere voluit jure codicillorum, vel omni alio jure et modo quibus melius valere et tenere potest, non obstante eo quod si appareret se dixisse in aliqua sua ultima voluntate, sive testamento, sive codicillo, sive codicillis, quod ipse non faceret aliud testamentum vel codicillum sive codicillos, et si faceret, quod non valeret vel non valerent, et eciam si aliqua alia verba derogatoria posuisset in aliqua sua ultima voluntate hinc retro facta, que presenti testamento seu ultime voluntati in aliquo derogaret vel obviare posset in totum vel in parte, illa verba derogatoria specialiter revocat et penitet se dixisse; et proinde habeatur ac si illa verba derogatoria fuissent specialiter hic scripta, et specialiter et expressim revocata.

Actum in capella Infirmorum fratrum Predicatorum de Bononia, presentibus fratre Manfredo de Dovaria, fratre Landulfo bononiensi, fratre Petro tridentino, fratre Petro vincentino, fratre Dominico de sancto Ambrosio, fratre Aymerico placentino Lectore Bononie, fratre Herasmo mediolanensi, fratre Jacobo regino, et fratre Dominico bononiensi sacrista, omnibus de Ordine fratrum Predicatorum, et dompno Petro presbitero de Tortona, qui asseruit cognoscere dictum dominum Albertum testatorem sane mentis, testibus a dicto testatore rogatis et vocatis.

(L. † S.) Et ego Andreas sive Andreolus Petrizoli Albertini de Badalo imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui et rogatus a dicto testatore scripsi et publicavi, et scripsi, subscripsi, sigillavi, et ipsum cognovi sane mentis.

Ego Albertus testator, legatum quod sibi ascrisit Andreas me jubente fecit et sicut illud scrisit, ita do ei et lego (2).

M.° cccc.° xxx.°, indictione VIII., die quarto maij Registratum.

(1) *Sic.*

(2) Manu propria testatoris.

LI.

1303, 1 decembris.

Ex tomo LXXXIII. *Codicis Diplomatici Gymn. Bon.*, doc. num. XLV.

Benedictus Papa XI. (1) Magistro Guillelmo Accursii de Bononia, legum doctori, Archidiacono Gualdafaiarie in Ecclesia toletana, Capellano nostro.

Provenit ex devotionis et probitatis tue meritis ut, te favoris apostolici plenitudine prosequentes, tibi in iis que digne postulas, reddamur ad gratiam liberales. Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut quamdiu in romana Curia, vel alibi obsequiis apostolice Sedis de ipsius Sedis speciali mandato duxeris insistendum, fructus, redditus et proventus prebendarum et aliorum beneficiorum tuorum ecclesiasticorum, que nunc obtines, et te obtinere contigerit in futurum, etiam si dignitates et personatus existant et curam habeant animarum, possis cum ea integritate percipere, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes si personaliter in ipsis ecclesiis resideres; et interim ad faciendum in eisdem ecclesiis personalem residentiam minime tenearis, neque ad id a quoquam valeas coarctari, non obstantibus si tu in eisdem ecclesiis primam et consuetam non feceris residentiam personalem, seu quibuscumque statutis contrariis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum juramento, confirmatione Sedis apostolice, vel alia quamvis firmitate vallatis, etiam si tu, vel procurator tuus tuo nomine, de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo prestiteris, vel prestare contigerit juramentum, seu si locorum Ordinariis sit ab eadem Sede concessum ut canonicos et prebendatos ecclesiarum suarum, civitatum et diecesum compellere valeant ad faciendum personalem residentiam in eisdem, seu si Capitulis earumdem ecclesiarum, vel aliquibus aliis ab eadem sit Sede indultum quod canonicis vel aliis in dignitatibus seu personatibus constitutis, aut rectoribus ecclesiarum ipsarum fructus, redditus et proventus prebendarum, dignitatum, personatuum, ecclesiarum et beneficiorum suorum ecclesiasticorum ministrare in absentia minime teneantur; quodque ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, quorumcumque tenorum existant, perque presentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus plenam et expressam ac de verbo ad verbum oporteat in presentibus fieri mentionem. Proviso quod personatus, dignitates, ecclesie, ac beneficia hujusmodi debitis interim obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis Dei hac (2) beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, kalendis decembris, Pontificatus nostri anno primo.

LII.

1303, 1 decembris.

Ex *Cod. dipl. Studii bon.*, tomo LXXXIII., num. XLVI.

Benedictus Papa XI. (3) Magistro Guillelmo Accursii de Bononia, legum doctori, Archidiacono Gualdafaiarie in Ecclesia toletana, Capellano nostro.

Cum nostris et apostolice Sedis obsequiis immoreris, propter quod monasteria, prioratus, ecclesias, clericos, personas et loca ecclesiastica, archidiaconatus tui Gualdafaiarie in ecclesia

(1) Ex Reg. anni primi Benedicti XI., ep. 228.
(2) *Sic.*
(3) Ex Reg. anni primi Benedicti XI., ep. 239.

toletana non potes, prout ad te de antiqua approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, personaliter visitare, nos volentes in hac parte tam tibi quam monasteriis, prioratibus, ecclesiis, clericis, personis et locis predictis de opportuno remedio providere, tuamquam personam nobis ob tuorum exigentiam meritorum acceptam, alias favore prosequi gratie specialis, tuis supplicationibus inclinati, ut quamdiu apud Sedem eamdem, vel alibi de ipsius Sedis mandato obsequiis institeris antedictis, monasteria, prioratus, ecclesias, personas et loca predicta per aliquam seu aliquas personas idoneas visitare, ac ratione visitationis hujusmodi procurationes in pecunia numerata moderatas recipere et exigere ab eisdem monasteriis, prioratibus, ecclesiis, clericis, personis et locis taliter visitatis, nec non per easdem personas beneficia ecclesiastica, que ad tuam collationem ratione dicti archidiaconatus pertinere noscuntur, conferre, et cetera que ratione sepedicti archidiaconatus ad tuum spectant officium, exercere libere valeas, quibuscumque contrariis constitutionibns nequaquam obstantibus, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Laterani, kalendis decembris, pontificatus nostri anno primo.

LIII.

1305, 30 decembris.

Ex Archivo Max. bon., in Memorialibus Aymerici Orandi, an. MCCCV., car. 31 v.

Millesimo trecentesimo sexto, indictione quarta, die trigesimo decembris.

☞ Dominus Martinus de Sullimanis doctor legum, de capella sancti Geminianj, civis bononiensis, sanus per Christi gratiam mente, et sensu, quamvis eger corpore, nolens decedere intestatus super dispositione omnium suorum bonorum, presens nuncupativum testamentum sine scriptis condidit in hunc modum: Primo quidem reliquit de bonis suis pro anima sua, et patris et matris sue, et quondam domine Bolnixie uxoris sue trecentas libras bononenorum, de quibus dari voluit, et mandavit Johannj de Solomona, vel ejus heredibus, aut pro anima sua, si heres non appareret, duodecim libras bononenorum. Item dari voluit Aymerico filio quondam Alberti Speciarij de Regio decem libras bononenorum, quas ei debebat ultra id, quod Dominicus Thebaldi reliquit sibi in suo testamento. Item dari voluit ecclesie sancti Prosperi de Argellata quatuor libras bononenorum, quas dixit se debere dicte ecclesie, ut credebat, tamen non erat bene certus. Item dari voluit Thomaxio filio quondam fratris Gerardi triginta libras bononenorum, includendo in eis quicquid sibj deberet ex quacumque causa. Item dari voluit Francischo filio fratris Gerardi quinque libras bononenorum, includendo in eis quicquid sibj deberet ex quacumque causa. Item dari voluit sorori Jacobe, filie quondam fratris Gerardj, quinque libras bononenorum, includendo in eis quicquid sibi deberet ex quacumque causa. Item dari voluit fratri Homobono de Ordine Fratrum Predicatorum quinque libras bononenorum. Item dari voluit ecclesie sancti Geminianj predicte quinque libras bononenorum in auxilium unius calicis emendi. Item dari et satisfieri voluit de dicta summa omnibus, quorum eum esse debitorem probabiliter apparebit. Residuum vero voluit et iussit distribui in pios usus et circha funus et sepulturam suam, quam ellegit penes ecclesiam Fratrum Predicatorum de Bononia, iubens eam fieri, et in ea inpendi sine aliqua superfluitate innanis glorie. Item relliquit iure prelegati domino Paulo doctori legum, ejus filio, libros legales, quos habet, scilicet Codicem, Digestum vetus, Digestum novum, Infortiatum, Autenticum et tres libros codicis, et quicquid mobile vel immobile sibi acquisivit et tenet. Jubens ei, ut suscipiat pro eo honus legendj in scolis usque ad proximum vestum (1) sancti Michaelis. Item reliquit ei doctes uxoris sue, que fuerunt centum quinquaginta librarum bononenorum. Et si apparerent aliqua instrumenta, quorum occasione videretur eum vel uxorem suam aut aliam personam jus habere in podere, quod fuit Petri Maranisij et est juxta Sapinam, occasione dictarum

(1) *Sic.*

doctium, iussit eum sic facere et curare, quod illis instrumentis nemo utatur, cum fuerint fiticia et symulata. Item iussit dictum dominum Paulum facere et curare taliter, quod Bartholomeus magistri Bonj, vel quicumque haberet iura cessa ab eo, non utatur quodam instrumento debiti centum quatraginta quinque librarum bononenorum facto per dictum testatorem dicto Bartholomeo, quum dictum instrumentum factum est innane per solutionem factam dicto domino Paulo per dictum testatorem. Item relliquit predicto domino Paulo cameram suam, scilicet lectum et omnes pannos laneos et lineos. Item relliquit jure prelegati Jacobo, filio suo, doctem domine Beatrixie prime sue uxoris, que est in rebus immobilibus, quas dictus Jacobus tenet et possidet. Item relliquit eidem quicquid mobile vel immobile sibi aquisivit et tenet, excepta ea particula domus, in qua morantur equi, quos equos tenet et possidet; quos equos etiam relliquit eidem. Item relliquit eidem dimidiam stationis, scilicet peciarum, armariorum et instrumentorum stationis. Item relliquit eidem quicquid necessarium fuerit ad acquisitionem iurispatronatus ecclesie sancti Jacobi de Gallixano usque ad quantitatem treginta librarum bononenorum. Item relliquit eidem cameram suam, scilicet lectum et omnes pannos laneos et lineos. Item relliquit jure prelegati Henrico filio suo libros suos legales, in quibus dictus testator studuit, scilicet Codicem, Digestum vetus, Infortiatum, Summam Azzonis, Apparatum Digesti veteris et Infortiati, librum Institutionum et Usus feudorum; Digestum vero vetus, et Codes (1) pro eo parati remaneant in comuni. Item relliquid eidem doctem uxoris sue, que fuit sexcente librarum bononenorum, salvo quod sexaginta octo libras bononenorum eo minus percipiat de comuni, quas Jacobus de Matuglano ejus socer sibj debet adhuc, quum totam doctem non percepit. Item relliquid eidem cameram suam, scilicet lectum et omnes pannos laneos et lineos. Item relliquit jure prelegati Charatio suo filio relliquam dimidiam stationis, scilicet petiarum, armariorum et instrumentorum stationis. Item relliquit eidem septuaginta quinque libras bononenorum, solvendas ei [si] contraxerit, et quando contraxerit matrimonium, vel cameram dicti testatoris, scilicet lectum, et omnes pannos laneos et lineos. Item relliquit iure institutionis Johanne sue filie alimenta decentia ex bonis suis, usquequo nupserit, vel relligionem intraverit. Item relliquit eidem quadringentas libras bononenorum cum nupserit, vel trecentas cum relligionem intraverit. Et eo amplius relliquit eidem quicquid eodem tempore sponsaliorum vel matrimonij contrahendi in eam rem errogari consuevit, secundum probabilem usum et consuetudinem civitatis Bononie. Item relliquit iure institutionis Egidie sue filie terram, quam meruit insolutum pro doctibus suis, positam in curia Funi. Et eo amplius relliquit eidem tres tornaturas terre positas in dicta Curia, quas meruit insolutum tanquam de bonis Philixinj Ardicionis, ut credit, iubens quod heredes sui dent et solvant dicte Egidie vigintiquinque libras bononenorum, si fuerint secure exhonerati a prestatione collectarum solvendarum nomine dicte terre. Item relliquit jure institutionis Bartholomee, Phylippe et Buvalelle suis filiabus id quod eis, sive pro eis, dedit in doctem tempore quo nupserunt, et eo amplius cuilibet earum viginti solidos bononenorum, et de hoc sint tacite et contente. Item relliquit iure institutionis Blancholino, Azzoline et Besole filijs domini Bonifatij de Galuziis et Tomaxine quondam filie sue, doctem matris eorum, et eo amplius cuilibet eorum viginti soldos bononenorum, et de hoc sint taciti et contenti. Item relliquit Fratri Sullimanno de Ordine Fratrum Minorum annuas quinque libras bononenorum, incluso in hiis annuis quinque libris bononenorum, id quod sibj debet annatim ex conventione innita inter dictum Fratrem ex parte una, ipsum testatorem, magistrum Maglum et Sullimanum ex altera. Item dixit, asseruit et confessus fuit, quod quedam domus, que est in contrata sancte Marie de Claviga iuxta vias publicas, et iuxta illos de Doctis, quam tenet et possidet Sullimannus filius quondam Iohannis, fratris sui, est dicti Sullimannj, et quod precium sibj solvit ex ea. Et ideo iussit eum non molestari ab heredibus suis. Item iussit et voluit quod omnia instrumenta, ex quibus appareret eum dedisse ad affictum podere de Galixano, sive terram et vineam de Misericordia, sint cassa et vana ac nullius valoris, et ea occasione nichil posse peti ab aliqua persona. Commissarios autem suos et huius testamenti executores esse iussit et voluit dominum Paulum et Jacobum, suos filios, et fratrem Homobonum de Ordine Fratrum Predicatorum, quibus dedit licentiam et liberam potestatem alienandj et obbligandj de bonis suis sic et taliter, ut omnia in presenti testamento inserta effectuj demandentur. In omnibus vero aliis suis bonis, mobilibus et immobilibus, juribus et actio-

(1) *Sic.*

nibus, presentibus et futuris, dominum Paulum legum doctorem, Jacobum, Henricum et Charatium, suos filios, equis porcionibus sibj universales heredes instituit, videlicet dictum dominum Paulum in medietate totius poderis sui, positi in terra Medesanj, que medietas est centumquinquaginta tornaturarum, item in parte domorum, quas emit Acizillus, scilicet in ea parte que fuit Jacobj de Ulmo, item in podere suo, quod habet in terra sancti Johannis in Triario, item in domo cum terra, que est supra portam Castiglioni; iubens eum de hac parte esse contentum. Et dictum Jacobum in toto podere suo, quod est in terra Galixanj cum Castellario et iuribus omnibus spectantibus ad dictum podere, item in terra, quam emit a domino Pasipovero Baioli, posita in curia sancte Hellene, item in parte domorum, quas emit Acizillus, scilicet in ea parte, que fuit filiorum quondam domini Bartholomej; et ea parte iussit eum esse contentum. Et Henricum predictum in quodam suo podere sito in curia sancti Johannis in Triario juxta Sapinam, quod fuit Soldanj de Galuciis, item in domibus, quas emit ab heredibus quondam Bonrecupri Speciarij, item in quadam pecia terre aratorie et vineate posita in guardia civitatis in contratis Misericordie, item in quadam pecia terre vineate posita in curia sancti Rophilli; et ea parte iussit eum esse contentum. Charatium vero in alia medietate totius dicti poderis de Medesano, que medietas est centumquinquaginta tornaturarum, item in toto podere, quod est in curia Argellate, sive Venezani, item in quadam pecia terre vineate, posita in contractis Ceddalonghe, item in quadam domo posita in platea maiori iuxta domum Societatis notariorum, et ea parte iussit eum esse contentum. Quas res omnes dedit predictis suis filiis in premium emancipationis, ut constat ex instrumento scripto manu Petrizoli Henrice notarij, volens et mandans quod podere, quod fuit Petri Maranisij et est iuxta Sapinam, remaneat in communi pro satisfaciendo doctibus uxoris dicti domini Pauli et uxoris dicti Henrici, de quo podere habeat tantum dictus dominus Paulus, quod valeat centumquinquaginta libras bononenorum ad ractionem octo librarum bononenorum pro tornatura. Et dictus Henricus habeat tantum quingentas treginta duas libras bononenorum ad dictam rationem pro doctibus supradictis. Ressiduum vero dicti poderis sit et remaneat in communi. Item voluit et mandavit quod si pars alicuius dictorum suorum filiorum eviceretur ab eo in totum vel in partem, quod periculum evictionis sit comune omnium dictorum fratrum; preterea si aliquis eorum decesserit eo vivente, in partem eius sustituit ei filios eius masculos natos et nascituros. Et hanc suam ultimam voluntatem asseruit esse velle, quam valere voluit iure testamenti; quod si jure testamenti eam non valere contingeret, valeat saltem iure Codicillorum, vel iure cuiuslibet alicuius ultime voluntatis, quo melius valere potuit, cum omnibus aliis in dicto testamento insertis ex instrumento Petrizoli Johannini Henrice notarij hodie facto Bononie in camera dicti testatoris, presentibus presbitero Bartholomeo rectore ecclesie sancti Geminianj, qui asseruit cognoscere dictum testatorem, et eum esse sane mentis, fratre Nicolao de Pritonibus Ordinis Militie Beate Marie, domino Egidio quondam domini Jacobinj de Ugiano, Francisco eius filio, domino Thomaze magistri Magli de Sillimanis, Guidone domini Ardiconis, Martino quondam Guidonij, Michaele quondam Bonaventure, Filippo quondam domini Lanfranchi et Sillimanno quondam Johannis de Sillimanis procuratore dicti testatoris ad faciendum poni predicta in memorialibus, testibus a dicto testatore rogatis; et sic dictus presbiter Bartholomeus et Sillimannus procurator una cum dicto notario venerunt, dixerunt et scribj fecerunt. Retulit Michilinus Jacobinj, nuntius Communis Bononie missus per me Aymericum Orandi notarium ad Memorialia, se alta et preconia voce cridasse in contrata et ante domum dicti testatoris, dicendo quod dominus Martinus de Sullimannis, testator predictus, suam condidit ultimam voluntatem in presentia dicti presbiteri rectoris dicte ecclesie, presentibus Guidone quondam domini Ardizionis et Martino quondam Guidonis testibus et vicinis dicti testatoris, et hoc retulit se fecisse dicta die.

. . . .

(L. † S.) Ego Aymericus Orandi, imperiali auctoritate notarius et nunc notarius Officio memorialium, ut supra legitur, scripsi, subscripsi, signavi.

LIV.

1306, mense augusti.

Ex Tabulario Max. bon., in Registro G. *Reformationum*, c. 119 r. et 122 v.

Anno Domini millesimo trecentesimo sexto indictione quarta de mensibus iulii, augusti et septembri[s]. ℭ Provisiones facte per dominos Bonvilanum de Thederisijs et sot'os, quibus concessum fuit arbitrium generale per Consilium et massam populi Bononie, cedulis premissis per Sotietates populi Bononie, ut constat ex reformatione scripta manu Bonacursij de Rombolinis notarii Ancianorum et Consulum populi Bo[nonie] mensis iunii proxime elapsi, scripto per Matheum fratris Johannis de Devotis notarium dictorum dominorum.

. . . .

. . . .

Item, considerantes quante utilitatis et honoris sunt et fuerunt perpetuo et erunt deinceps, Domino concedente, scolares et Studium scolarium Communi et populo bononiensibus, et nolentes propter modicam gratiam ab eis per Rectores Universitatis scolarium postulatam, indignationem aliquam ipsos scolares assumere posse rationabiliter contra dictum populum et comune, set petitioni ipsorum dominorum Rectorum reverentiam et honorem, qui tot eorum posse, procuraverunt et procurant retinere Studium et scolares in civitate Bononie, cuius petitionis tenor talis est:

« *Coram vobis dominis Octo, quibus generale arbitrium est concessum per populum bononiensem in signum dilectionis, que huc usque fuit semper [per] populum et Commune Bononie circa scolares et studium scolarium civitatis Bononie, et ad hoc ut ipsa dilectio durare hostendatur, et non esse extinctam circa Universitatem scolarium supradictam, suplicant humiliter et devote dominus Thomax Torrellus de Neapoli et dominus Pontius archidiachonus albanensis provintialis, olim rectores Universitatis scolarium civitatis Bononie pro se ipsis et tota Universitate et universis, qui studerunt huc usque et de cetero studere intendunt in iuris civilis sciencia, quia omnes hec gratia tangit et ad hoc, ut omnibus exemplum studendi et proficiendi in jure civili, seu materia de cetero prebeatur, et hec civitas de bono in melius more solito augeatur, et de hoc per universum mundum fama discurat, quatenus vobis placeat providere, quod Bartholomeus Castellani, Johannes et fratres quondam Accursini desendentes venerande memorie domini Accursij et domini Francisci de Accursijs, patrum et dominorum omnium scolarium et studentium in jure civili per universum mundum, qui tantum onorem fecerunt civitati Bononie, glosando in civitate Bononie et illuminando jus civile et scolares de toto mundo ex hoc ad civitatem Bononie convocando, ita quod ipsa civitas honoratur, et divulgatur ejus fama per mundum universum, non agraventur in colectis et aliis oneribus subeundis pro parte Lambertatiorum, set solvant colecte et alia onera subeant ut alij cives partis Ecclesie et Jeremiensium civitatis Bononie, et quod nomina et cognomina cujuslibet predictorum descendentium non ponantur in aliquo libro facto vel fiendo de illis de parte Lambertatiorum, vel aliorum agravandorum occasione dicte partis Lambertatiorum per Commune Bononie; et si scripta reperirentur, tollantur et abradantur per quemlibet notarium deputatum ad scribendum libros predictos sine pena, et quod pro non scriptis intelligantur, et ut veri Jeremienses tractentur et habeantur. cum predicti descendentes semper fuerint ad mandata Communis Bononie et solverint collectas, et alias publicas factiones et cavalchatas fecerint et exercitus ut alij cives civitatis Bononie, et partem Ecclesie et Jeremiensium juraverint civitatis Bononie, et ut tractentur ut Jeremienses, cum mandata Communis Bononie semper fecerint et intendant facere in futurum; et hoc non obstantibus aliquibus statutis etc., unanimiter et concorditer ordinaverunt, providerunt et disposuerunt, quod Bartholomeus Castelani, Joannes et fratres quondam Accursini descendentes venerande memorie domini Acursii et domini Francisci de Acursijs non graventur in collectis et alijs oneribus subeundis pro parte Lambertatiorum, set solvant collectas et alia onera subeant ut alij cives partis Ecclesie et Jeremiensium civitatis Bononie, et quod nomina et cognomina cujuslibet predictorum descendentium non ponantur in aliquo libro facto vel fiendo de illis de parte Lambertatiorum, vel aliorum aggravandorum occasione dicte partis Lambertatiorum per Commune Bononie; et si scripta reperirentur, tollantur, cancellentur et abradantur per quemlibet notarium deputatum vel deputandum*

ad dictos libros scribendum sine pena; et ex nunc pro non scriptis intelligantur, et ut veri Jeremienses tractentur et habeantur, cum predicti descendentes semper fuerint ad mandata Communis Bononie et solverint collectas, et alias publicas factiones et cavalchatas fecerint et exercitus ut alij cives civitatis Bononie, et partem Ecclesie et Jeremiensium civitatis Bononie juraverint; et tractentur ut Jeremienses, cum mandata civitatis Bononie semper fecerint et intendat facere in futurum, et quod supradita petitio in qualibet parte sui effectui integraliter demandetur. Et non obstante etc. Quam voluerunt valere, si placuerit majori parti Consilii populi Bononie, et si in ipsa fuerit confirmata et approbata ad scurtinium (1) *cum fabis albis et nigris* ».

Congregatis dominis Henrico de la Porta, Vicario nobilis militis domini Pini de Rubeis, honorabilis Capitanei populi bononiensis, Ancianis et Consulibus populi mensis augusti in Palatio novo dicti Communis ad sonum campane et voce preconis, ut moris est, lecta fuit supradicta provisio facta per dominos Otto supradictos Defensores et Proconsules juxta formam ipsius provisionis per me Matheum notarium infrascriptum; in quo quidem Consilio et Massa populi facto partito per dictum dominum Henricum Vicarium ad scurtinium cum fabis albis et nigris, datis hominibus existentibus in dicto Consilio per banitores populi Bononie, et postmodum restitutis fratribus Eremitanis sancti Jacobi strate sancti Donati, et numeratis per duos ex Ancianis et Consulibus populi in presentia dictorum fratrum et Consilij, placuit ponentibus fabas albas, qui fuerunt numero centumnonagintaseptem, quod dicta provisio et omnia que continentur in ea sint firma, valeant et teneant, et in omnibus et per omnia effectui demandentur, prout lecta fuerunt in dicto Consilio, et sic approbant. Illi vero quibus disp[l]icuerunt predicta, qui posuerunt fabas nigras in contrarium, fuerunt ciiij. Testibus Simone domini Guillielmi de Spersonaldi et Aymerico Orandi, notario.

LV.

1309, 28 octobris.

Ex tomo LXXXIII. *Codicis diplom. bon.*, num. XLVIII.

Clemens Papa V. (2) Dilecto filio magistro Guillelmo Accursi de Bononia, legum doctori, Archidiacono Gualdafaiarie in Ecclesia toletana, capellano nostro.

Dum literarum scientiam et alia in te ingentia munera gratiarum diligenter attendimus, grataque obsequia, que ab olim Sedi apostolice impendisti diutius et impendis paterna consideratione pensamus, apostolico te favore dignum conspicimus, et prerogativa gratie specialiter attollendum. Dudum siquidem ex tenore tue petitionis accepimus felicis recordationis Benedictus papa XI., predecessor noster, volens tibi gratiam facere specialem, tibi per diversas duxit litteras concedendum, ut quamdiu in romana Curia vel alibi obsequiis dicte Sedis, de ipsius Sedis speciali mandato insisteres, fructus, redditus et proventus prebendarum et aliorum beneficiorum tuorum, que tunc obtinebas et te obtinere contingeret in futurum, etiam si personatus vel dignitates existerent et curam animarum haberent, cum ea posses integritate percipere, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes si in Ecclesiis, in quibus eadem existerent beneficia, personaliter resideres; quodque monasteria, prioratus, ecclesias, clericos, personas et loca ecclesiastica archidiaconatus Gualdafaiarie, quem in toletana, ac abbatie de Lavauga, quam in palentina ecclesiis obtines, per aliquam seu aliquas personas idoneas visitare, ac procurationes, ratione visitationis debitas in pecunia numerata recipere moderatas a monasteriis, prioratibus, ecclesiis, personis, clericis et locis ecclesiasticis taliter visitatis, nec non per easdem personas beneficia ecclesiastica, que ad tuam collationem ratione archidiaconatus et abbatie predictorum pertinent, conferre, ceteraque, que ratione archidiaconatus et abbatie predictorum ad tuum spectant officium, libere exercere valeres; nos autem, volentes personam tuam favore prosequi gratie amplioris, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut apud Sedem

(1) *Sic.*

(2) Ex Reg. anni quinti Clementis V., ep. 754, f. 189.

predictam, vel alibi ubicumque, etiam absque licentia seu speciali mandato Sedis ejusdem morari volueris usque ad triennium, hujusmodi fructus, redditus et proventus, dictis distributionibus dumtaxat exceptis, cum ea integritate percipere, cum qua illos perciperes si in eisdem ecclesiis resideres, et ad residendum in eis interim minime tenearis, nec ad id a quoquam valeas coarctari: predictum insuper officium impendere, procurationes recipere ac beneficia predicta conferre, juxta literarum predictarum tenores, usque ad dictum triennium per hujusmodi personas libere valeas, non obstantibus quibuscumque constitutionibus generalibus aut specialibus super hoc in contrarium editis, seu quibuslibet statutis et consuetudinibus contrariis dictarum ecclesiarum, juramento, confirmatione dicte Sedis vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si locorum Ordinariis ab eadem sit Sede concessum vel interim concedatur quod ipsi personas et canonicos aliosque beneficiatos ecclesiarum suarum civitatum et diocesum compellere possint per subtractionem suorum proventuum, aut alias ad residendum personaliter in eisdem, seu si Capitulis dictarum ecclesiarum ab eadem sit Sede indultum vel interim indulgeri contingat quod personis, canonicis et beneficiatis ipsarum ecclesiarum fructus, redditus et proventus personatuum, prebendarum, dignitatum et beneficiorum, que in eis obtinent, ministrare in absentia minime teneantur et ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris dicte Sedis, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus hujus nostre gratie impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis; proviso quod hujusmodi beneficia debitis interim obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Carpentoracte quinto kalendas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LVI.

1309, 28 octobris.

Ex tomo LXXXIII. *Codicis diplom. bon.*, num. XLVII.

Clemens Papa V. (1) Dilecto Filio Decano Ecclesie Toletane, ac Bononiensis et Caturcensis Archidiaconis.

Dum literarum scientiam et alia in te ingentia munera gratiarum diligenter attendimus, grataque obsequia que ab olim Sedi Apostolice impendisti diutius et impendis paterna consideratione pensamus, Apostolico te favore dignum conspicimus et prerogativa gratie specialiter attollendum. Dudum siquidem ex tenore tue petitionis accepimus, felicis recordationis Benedictus Papa XI., predecessor noster, volens tibi gratiam facere specialem, tibi per diversas duxit literas concedendum, ut quamdiu in Romana Curia, vel alibi obsequiis dicte Sedis de ipsius Sedis speciali mandato insisteres, fructus, redditus et proventus prebendarum et aliorum beneficiorum tuorum, que tunc obtinebas, et te obtinere contigeret in futurum, etiam si personatus, vel dignitates existerent, et curam animarum haberent cum ea posses integritate percipere, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes si in ecclesiis, in quibus eadem existerent beneficia, personaliter resideres; quodque monasteria, prioratus, ecclesias, clericos, personas et loca ecclesiastica, archidiaconatus Gualdafaiarie, quem in toletana, ac abbatie de Lavauga, quam in palentina Ecclesiis obtines, per aliquam seu aliquas personas idoneas visitare, ac procurationes, ratione visitationis debitas, in pecunia numerata recipere moderatas a monasteriis, prioratibus, ecclesiis, personis, clericis et locis ecclesiasticis taliter visitatis, nec non per easdem

(1) Ex Reg. anni quinti Clementis V., ep. 754, fol. 190.

personas, beneficia ecclesiastica, que ad tuam collationem ratione archidiaconatus et abbatie predictorum pertinent, conferrent, ceteraque que ratione archidiaconatus et abbatie predictorum ad tuum spectant officium, libere exercere valeres. Nos autem volentes personam tuam favore prosequi gratie amplioris, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut apud Sedem predictam, vel ubicumque alibi etiam absque licentia seu speciali mandato Sedis ejusdem morari volueris usque ad triennium hujusmodi fructus, redditus et proventus, dictis distributionibus dumtaxat exceptis, cum ea integritate percipere, cum qua illos perciperes si in eisdem ecclesiis resideres, et ad residendum in eis interim minime tenearis, nec ad id a quoquam valeas coarctari, predictum insuper officium visitationis impendere, procurationes recipere, ac beneficia predicta conferre, juxta literarum predictarum tenores, usque ad dictum triennium per hujusmodi personas libere valeas; non obstantibus quibuscumque Constitutionibus generalibus aut specialibus super hoc in contrarium editis, seu quibuslibet statutis et consuetudinibus contrariis dictarum ecclesiarum, juramento, confirmatione dicte Sedis vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si locorum Ordinariis ab eadem sit Sede concessum vel interim concedatur, quod ipsi personas et canonicos aliosque beneficiatos ecclesiarum suarum civitatum et diecesum compellere possint per subtractionem suorum proventuum, aut alias ad residendum personaliter in eisdem, seu si Capitulis dictarum ecclesiarum ab eadem sit Sede indultum quod vel interim indulgeri contingat, quod personis, canonicis et beneficiatis ipsarum ecclesiarum fructus, redditus et proventus personatuum, dignitatum, prebendarum et beneficiorum, que in eis obtinent, ministrare in absentia minime teneantur et ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis et literis dicte Sedis, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujus nostre gratie impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis; proviso quod hujusmodi beneficia debitis interim obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Quocirca mandamus quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, predictos fructus, redditus et proventus faciatis eidem capellano, vel procuratori suo ejus nomine, per idem triennium, juxta hujus nostre concessionis tenorem, integre ministrari, dictasque personas ad exercendum hujusmodi officium visitationis admitti, ac procurationes easdem prefato capellano vel dicto procuratori pro ipso etiam exhiberi, non obstantibus omnibus supradictis, seu si eisdem Ordinariis vel quibusvis aliis ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, contradictores auctoritate nostra apostolica per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo.

Datum Carpentoracte quinto kalendas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

LVII.

1320, 3 februarii.

Ex libro B *Reformationum*, c. 388 r. in Archivo maximo bonon.

Anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo, indictione tertia, die tertio mensis februarii.

Consilium Populi et masse Populi civitatis Bononie fecit nobilis et discretus vir dominus Jacobus de Laquila Capitaneus Populi bononiensis in palatio novo Communis et Populi memorati ad sonum campane, voce preconum more solito congregari. In quo quidem Consilio interfuerunt ultra quam due partes Anzianorum et Consulum presentis mensis et de ipsorum consensu et voluntate dictus dominus Capitaneus proposuit infrascripta, super quibus consilium postulavit.

In primis quid placet dicto Consilio generaliter providere super infrascripta petitione examinata et approbata per dominos Anzianos, cuius tenor talis est:

Cum hoc sit quod dominus Romeus de Pepolis intendat ad promotionem doctoratus domini

Thadei sui filii quodammodo et qualiter debeat honorari generaliter, providere, ordinare et firmare.

In reformatione cujus Consilij, facto partito per dominum Arnaldum Vicarium de sedendo, ad levandum et postmodum ad scruptinium cum fabis albis et nigris datis Consiliariis dicti Consilii per bannitores Populi et postmodum restitutis ab eis Consiliariis fratribus heremitanis Ordinis sancti Jacobi strate sancti Donati, placuit ponentibus fabas albas, qui fuerunt numero quadringenti quadraginta septem, quod per Commune et Populum Bononie fieri debeat magnus honor dicto domino Thadeo benemerito, et quod dominus Potestas et dominus Capitaneus presentes, qui pro tempore fuerint, Antiani et Consules presentes, et qui pro tempore fuerint cum Sapientibus, si quos habere voluerint, habeant ipsi et major pars ipsorum purum, merum, liberum et generale arbitrium et bayliam providendi, ordinandi et disponendi omnia et singula, que eis, vel majori parti eorum videbuntur convenire in honorando et causa honorandi dominum Thadeum prefatum in conventu et circa conventum jam dictum et ejus occasione, et quicquid provisum, ordinatum, dispositum seu mandatum fuerit per eos vel majorem partem ipsorum in predictos, circa predicta et quodlibet predictorum eorum et cujuslibet eorum occasione, valeat et teneat et habeat plenum robur et effectui demandetur in qualibet parte sui, per dominum Potestatem, dominum Capitaneum presentes et futuros et quemlibet eorum et ipsorum et cujuslibet eorum famulos et quoscumque alios officiales Communis et Populi Bononie et quoscumque alios, et quod Berardus de Bombolognis, Massarius et generalis Depositarius averis Communis Bononie et quilibet ejus successor teneatur et debeat facere et solvere omnes expensas et quantitates pecunie, que provise, disposite seu mandate fuerint per predictos dominum Potestatem, Capitaneum, Antianos et Consules, Sapientes vel majorem partem eorum in predictos et predictorum occasione, ac si de eis in presenti reformatione facta esset mentio specialis, libere et impune, non obstante id quod provixum fuerit per eos non reducatur ad Consilium Populi, quod ex nunc firmum sit et pro firmo et legitime reducto habeatur, et pro expresso scripto et specificato et apposito in presenti reformatione habeatur, non obstante Statuto seu reformatione, que loquitur, quod quotiescumque aliquid remanet in provixione seu deliberatione Antianorum et Consulum, seu aliquorum Sapientum, quod illud, quod provisum fuerit, reducatur ad Consilium Populi et aliter provixa non valeant, et non obstantibus aliquibus Statutis etc. Fabe nigre in contrarium posite fuerunt numero vigintiduo, connumerate ut supra.

Testes ℭ Herigiptus Zacharie, ℭ Nicholaus Doxoli bannitores Populi Bononie.

LVIII.

Anno 1334.

Ex Arch. Max. Bonon., ex libro vulgo: « *Libro dei Confinati* » ab anno 1286 ad 1335, *(Uff. ribelli e banditi)*, num. 173.

In nomine Domini, amen. Hic est liber sive quaternus in se continens omnes et singulos rebelles et inobbedientes Communis Bononie, qui non steterunt nec stant ad confinia eis per Commune Bononie designata, nec dederunt securitatem infra terminum seu terminos eis assignatos per Commune Bononie, prout tenebantur et debebant vigore Reformationis Communis et Populi Bononie de eis et pro eis dicta occasione facte; factus, editus et compositus tempore magnifici et potentis militis domini Riciardj de Chancellerijs de Pistorio, honorabilis Capitanei Communis et Populi civitatis Bononie, et sub examine sapientis et discreti viri domini Johannis de Castro Florentino, Judicis et Assessoris dictj dominj Capitanej per ipsum dominum Capitaneum ad banchum bonorum rebellium, condempnatorum et exbampnitorum Communis Bononie deputati, et scriptus per me Sinibaldum, filium olim magistrj Thomaxij Fixici de Pistorio, notarium, et nunc notarium et offitialem dicti domini Capitanej, per ipsum Commune ad dictum offitium specialiter deputatum, sub anno nativitatis Dominj millesimo ccc. xxx.° iiij, indictione secunda, tempore domini Johannis pape xxij.di

De quarterio Porte sancti Petri nomina dictorum rebellium sunt haec:

Johannes et Bictinus fratres et filii fratris Ugolinj,
Rolandus Andree Rolandj,
Bectuccius quondam Julianj,
Bertus Misottj quondam dominj Albertj,
Manectus, Ghilinus, Andriolus et Munsus fratres et filii quondam Tancredinj,
Johannes, Franchus et Rodulfus fratres et filii quondam Philippi,
Munsus filius Jacobj,
Francischus et Paginus fratres et filii Bertuccij,
Gremiolus et Peghinus fratres et filii quondam Jacobj,
} omnes de domo de Sabbatinis } ℭ Et de predictis non intelligantur fratres, presbiterj, nec aliqua alia ecclesiastica persona.

Teus Tomacis de Pizano capelle sancti Martini de Apossa,
Jacobus dominj Pellegrinj merciarius,
Prete Ruggerij chalzolarius,
Blanchus de Altedo capelle sancti Vitalis,
Brancha de Villanova capelle sancti Vitalis,
Petrus Paulus Jacobj Bonghirardj,
Naninus Bellondj zublonerius,
Johannes Bernardj Conpagnonis,
Chasoctus Rolandj bampnitor,
Giliolus, Thomax et Muzolus de Trintinellis,
Nicholaus quondam domini Jacobi Bonjohanninj,
Bertoluccius quondam domini Ameri de Manticis,
Gregorius quondam Johannis Bisanelli de Bisanellis,
Johannes quondam domini Jacobj Boninchinj,
Lanfranchus quondam Petri Bonandre,
Zanochus Bartholomei de Remulo,
Ghirardus et Minus Bartholomei de Trintinellis,
Jacobus Martinj Allexii,
Johannes Aldrovandini de Bixanellis,
Soldanus quondam domini Zanbonj de Villanova,
Petruccho sellarius.

De quarterio Porte Sterj:

Villanus Bartholomei beccharius,
Petrus domini Johannis,
Tura et Petrus fratres et filii Tixii,
Bertolaccius Nuxij,
Masius filius Petrj,
} de Tederixijs,

Villanus et Muczolus fratres et filii Tixij,
Johannes filius magistri Albizi,
} de Arimixijs,

Soczus, Bertus fratres et filii domini Amici,
Francischus ser Banbaiolj,
Migus filius Soczi,
Mucciante et Marcolinus fratres et filii dompni Mathei,
Ciecchsranus domini Luche,
} de Banbajolis.

Nomina rebellium quarterij Porte Sterj:

Petrus Luche de Banbajolis,
Dominus Tegrimus de Sala,
Dominus Albertus et dominus Guillelmus, fratres et filij Tigrimj de Sala,
Dominus Niccolaus et dominus Flubinus fratres Guidonis de Sala,
Petrus Gosius chalzolarius,
Thomax Zaccharie de Allerarijs,
Dominus Dardolus domini Buvallellj de Sala, } Et de predictis non intelligantur fratres, presbiterj, nec aliqua alia ecclesiastica persona.

Nerius domini Guronis Capranei de Sala,
Danus domini Simonis de Sala capelle sancti Laurentij,
Francischus de Malavoltis,
Dominus Milancius de Mazolino,
Regus domini Bartolinj de Sala,
Thomax Bonifatij de Controlis,
Frabbolus domini Gurronis de Sala,
Johannes Michaelis,
Naninus Bonini Grassi,
Boninus Johannis Zucchonis,
Mugolus Ture Borsellus,
} de domo illorum de Argellata,
Jacobus Donati capelle sancti Felicis,
Dominus Gratiolus domini Inghilischi,
Dominus Thomax domini Andree,
} de Boacterijs,
Zaccharias de Allerarijs,
Bertoluccius et Nicoluccius fratres et filii Michaelis bisilarii,
Dominus Bonriconerus domini Bonagratie de Plastellis,
Lazzarinus Aldrovandinj beccarius,
Johannes Carobinj beccharj,
Lippus Ghiddini della Ceccha,
Plastellinus de Plastellis,
Bonellus Ghirardj de Plastellis,
Johannes et Minghinus fratres et filii Lambertini de Castro Francho,
Zenannes filius domini Tebalducci de Tebaldis,
Galvaninus Zogolj de Zogolis,
Bertuccius Bartholomei de Richildis de Mazolino,
Petrus Michaelis de Argellata,
Nicholaus filius dominj Jacobj,
Paulus ejus filius,
Bonvillanus et Bartholomeus fratres et filii domini Andree,
Vivianus filius naturalis domini Bonvillanj,
} de Tedcrixijs.

Nomina rebellium quarterii porte sancti Proculj:

Petronus de Petronibus capelle sancti Christophanj de Jeremiensibus,
Gherardus dominj Guidoctj de Doctis capelle sancte Marie de Burgalis (1),
Dominus Egidius quondam domini Rolandj de Foscharariјs capelle sancte Marie de Carrarijs,
Frederichus ejus filius,
Fabruccius et Guidocherius fratres et filii quondam domini Pellegrini de Gallutiis,
Galvanus de Foschararis,
Pipinus domini Johannis Senzanome,
Mascharonus Jacobj Mascaronis,
Arrighus Charbonis,
Jacobus Simi tinctoris et fratres, excepto Nicholao,
Bartholomeus Jacobj Pratixij,
Filii Francisci Orandj,
{ Et de predictis non intelligantur fratres, presbyteri, nec aliqua alia ecclesiastica persona.
Filii domini Bartholomei Lambertini de Lana,
Johannes de Chavarijs,
Jacobus Richolj et filius,
Toniolus domini Ubaldini de Galluctijs,
Lambertinus quondam domini Ubaldini de Galluctijs,

Milleximo trecentesimo quatragesimo primo, indictione nona, die ultimo mensis julij. Ego Federichus quondam Michillinj de Passipauperibus, notarius ad Camaram actorum populi Bononie, cancellavj infrascriptum dominum Cechum Johannis Balbj, exequendo formam provixionis et decreti

(1) *Sic.* Lege: *de Bulgaris.*

facti per dominum Tadeum de Pepollis Conservatorem civitatis Bononie, scripti manu Nicolay Brandanj de Saliceto, notarij domini Conservatoris, in M.° ccc. xlj indictione nona, die ultimo junij.
Dominus Cechus Johannis balbus (1),
Dominus Jordanus della via nova,
Dominus Zomellinus Petrj Grassi,
Dominus Pizzolus Bonincontrj notarius,
Dominus Niccholaus Francisci Mascaronis,
Dominus Petrus Tomacis de Lamandinis,
Guido quondam Guillelmi Mascharinj,
Blancholinus de Zovenzonibus,
Francischus, Joannes et Bitinus fratres et filii quondam domini Jacobi de Matuglano,
Mathiolus, Masolinus et Guiduccius fratres et filii . . . . . (2) de Guccijs,

Milleximo ccc. xxxv, jndictione tercia, die vj aprilis. Ego Petrus quondam dominj Jacobj de Pergolanis, notarius ad Camaram actorum populi Bononie, subscripsi et canzelavi infrascriptum Franciscum Orandi, exequendo formam precepti mihi facti per dominum Boninum de Allixandria Judicem et Assessorem domini Rizardi de Canzellerijs de Pistorio, Capitanei populi Bononie, facti in dicto millexirno, et scripti manu ser Rogerij quondam ser Francisci de Podiobonici notarij et offitialis dicti domini Capitanej.
Francischus domini Orandi (3),
Orsactus filius domini Martini de Sulimannis,
Jacobus Zarij de Platixijs,
Johannes cui dicitur Merloctus Merli,
Nicholaus ser Francisci,
Rodulphus ejus filius,
Mascarinus domini Jacobj,
Johannes Niccholaj,
Galaoctus quondam Dominici,
Matheus quondam Petri Mascarini
} de Mascaronibus.

Nomina rebellium quarterii Porte Ravennatis:
Merchatuccius Gualterolj de Ugiano capelle sancti Vitalis,
Petronius de Pertignano capelle sancti Juliani,
Blancholinus de Zovenzonibus capelle sancte Agate,
Bartholomeus Bentivoglj de Trintinellis,
Dominus Masolinus quondam domini Bernardi de Bisano,

M.° ccc. xliij, indictione xj.ª, die xxij.° novembris. Ego Quintillianus Jacobi Federici, notarius Comunis Bononie, canzellavj infrascriptos Matheum et Gallum, exequendo formam provixionis sceu decreti domini nostrj domini Thadey de Peppolis, scripti die xiij.° dicti mensis novembris, mandato Egidij de Tebaldis, notarij dicti domini.
Dominus Mattheus et dominus Gallus, filii quondam domini Ranerij (4),
Ghinoczus et Landulphus fratres et filii dicti Mathei,
Dardinus filius dicti Gallj,
} comites de Casaleclo ultra Ydicem { Et de predictis non intelligantur fratres, presbyteri, nec aliqua alia ecclesiastica persona.
Comaccius quondam Jacobi Comaccii Tuschi,
Robbaconte de Zovenzonibus,
Ranaldus de Merlinis,
Fabrinus quondam Benvenutj Fabrj,
Johannes domini Tintinelli de Tintinellis,
Simolinus Landj,
Becchadellus Princivallis,
Fatiolus Princivallis de Artinixiis,
} de Becchadellis,
Petrus Bittini de Monte Renzoli,

(1) Haec linea deleta.
(2) *Sic.*
(3) Deletum super inducta linea.
(4) Deleta quoque haec linea.

Ardicionus Jandonati de Lamandinis,
Francischus Bictini de Monte Renzolj,
Verandus de Monte Renzolj,
Ser Grationus [1] Cini de Cultellis,
Simon Petri de Lamandinis,
Guillelmus Bonardi de castro sancti Paulj,

Ugolinus Bolognittj, Ceccholus, Masius et Michele, fratres et filii Cauricciolj, Nannes fratris Quintavallis, Polus et Jacobus fratres et filij Dominicj,	de domo de Tretacauris,
Peruccholus Gilij ser Jacomj, Mucciolus Pieri beccharius, Peruccholus Aldobrandinj, Johannes,	de domo de Bordoclis,
Andreas, Hostagius et Petruccius filii quondam Teste de Rodaldis,	
Nicholaus, Francischus et Americus fratres et filii quondam Americi, Nicholaus, Becchadinus et Testa fratres et filii quondam Fratris Lamberti, Piczolus quondam Jacobj, Fantinus domini Petri et Guido ejus filius, Rigolus fratris Becchadinj, Bonus filius Teste, Bonzannes quondam Zannini, Thomax quondam Viviani, Nicholaus, Testa et Bictinus fratres et filii quondam Nicolai, Meus filius Galvanj,	de domo de Rodaldis.

Omnes expulsi de terra Duccie, quorum nomina sunt hec, videlicet:
Ceschus filius domini Bertolocti de Balchone de Captaneis de super Duccia,
Johannes dictus Nannes, Jacobus, Landus et Antonius, Petrus et Bertaloctus fratres et filii dicti Cieschi, omnes de dicta terra,
Bertus, Tripalducius fratres et filii olim fratris Guidonis de Captaneis de super Duccia,
Petruccius olim ser Simonis de Captaneis predictis,
Ghinus et Benvenutus de Messolis,
Bertonus et Minaccius, fratres et filii domini Rubei de Messolis,
Cuccolus, Tura, Cimutus et Pirondinus fratres et filii olim Bartoli de Messolis,
Nannes, Messolus et Ginarellus fratres et filii Benvenuti de Messolis,
Riccius, Cuccholus et Niccholaus, fratres et filii olim Messolis de Messolis,
Mengolus olim Jacobuctij Bencevennis,
Ginutus frater dictj Mengolj,
Bencivenne dictus Cenne olim Bonaventure,
Sanolus olim Ginj de Bencivenne,
Nannes et Chicchinus, fratres et filii ser Guidonis de Serenarijs de terra Duccie,
Mengolus dictus Barberius et Guido ejus filius, de Se[re]narijs supradictis,
Zoctolus et Chanbiolus olim Simoncellj de Serenarijs,
Cuccholinus, Zuntolus et Tolus olim filij Filipuccij,
Guido olim Gardi,
Bertus de Cento,
Vitola filius Tescholi de Monte Catine,
Gherardus olim Gelatj.

Omnes suprascripti sunt exbampniti de terra Duccie et contra civitatem Bononie:
Johannes domini Bonini Franchuccij,
Bictinellus de Rodaldis,
Palmerinus domini Landi de Artenesibus,

(1) *Sic.*

Minus, Zanocchus et Rigolus fratres et filii Nicholaj Bennolus domini Bertolinj, Azzo et Vandus domini Bennj,	de Becchadellis,	Et de predictis non intelligantur fratres, presbyteri, nec aliqua alia ecclesiastica persona.

Artinixius quondam domini Jacobj de Artinisijs,
Guido quondam fratris Jacobj de Ramixinis,
Nicholaus quondam dominj Francisci de Ygnano,
Zolus de Algardo,
Zeccholus Niccholai de Varignana,
Petrus domini Mezograssi de Mezovillanis,
Rubeus Rolandi de Rubeis,
Johannes Ghirardini Tarafini,

Minus, Rigolus et Zanocchus fratres et filij quondam Nicholaj, Busolinus et Nicholaus fratres et filij ser Mini, Mathiolus et Bonolus filij Bertolinj, Nicholaus filius quondam Cinj, Ciardolus quondam dominj Ricciardi, Palmerolus et Franciscchus fratres et filij quondam Landj de Artinixijs, Artinixius quondam Jacobj de Artinixiis, Unus filius naturalis Minj fratris Becchadinj,	de Becchadellis.

(L. † S.) Ego Sinibaldus filius olim magistrj Tomaxij fixici de Pistorio, imperiali auctoritate judex ordinarius et notarius, et nunc notarius et offitialis suprascripti dominj Capitanej, mandato ipsius dominj Capitanei omnia et singula suprascripta scripsi et publicavj.

LIX.

1336, 22 octobris.

Ex tomo LXXX. *Codicis diplom. bonon.*, n. LXVII.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filijs Communi Bononiensi spiritum consilij sanioris.

Quia salutem vestram affectione paterna querimus, vosque, abjectis tenebrarum operibus, induere cupimus arma lucis, diu sicut nostis expectavimus ut vestros graves excessus et culpas, quibus Deum et Sedem apostolicam, non vitatis status et salutis vestre dispendijs, multipliciter offendistis, hactenus considerantes et recognoscentes attente redire cum satisfactione decenti ad obedientiam et devotionem nostram et Ecclesie curaretis. Et quia non solum id efficere omisistis, sed potius videmini benignitatem et mansuetudinem dicte Sedis, quas, ut premittitur, expectando et plures dilationes vobis super hoc concedendo erga vos exercuit, deducere damnabiliter in contemptum, presertim, cum, excessus addendo excessibus et aggregando culpas culpis, interim non erubueritis Sedem prefatam offensis et contumelijs afficere, sicut displicibilis ad nos perduxit insinuatio, non sufficimus admirari. Porro quamvis his veris existentibus, vos merito effeceritis amplioris gratia expectationis indignos, quia tamen erga vos adhuc pietatis paterne viscera claudere viamque mansuetudinis si celeriter ad hujusmodi devotionem et obedientiam vos, ut premissum est, effectualiter disposueritis, nequaquam in hac parte intendimus denegare, venerabili fratri nostro Bertrando, archiepiscopo ebredunensi, apostolice Sedis nuncio, scribimus, ut ad civitatem bononiensem, prout commode poterit, se conferat, super predictis colloquium habiturus vobiscum. Quocirca universitatem vestram monemus, requirimus et attentius in Domino exhortamur, sano paternoque vobis consilio suadentes, quatenus premissis et alijs, que vobis possunt circa hec occurrere, consideranter attentis, non procrastinetis ulterius vobis ac statui et saluti vestris dum se vobis offert facultatis opportunitas, sicut premissum est superius, taliter providere, quod tamquam devoti et dilecti filij valeatis in sinu Sedis predicte quiescere, vobisque deinde occurrant felicia tempora, in quibus non pro remissione offensarum vos apud Sedem eamdem insistere oporteat, sed potius pro gratijs, quibus vos dignos merito reputet, supplicare, pro certo scituri, quod si monitionibus

et exhortationibus hujusmodi utique caritativis et salubribus parere ac obtemperare cum effectu omiseritis, quod absit, vel amplius distuleritis absque causa rationabili nobis nota, dissimulare vel differre non intendimus amodo, quominus, prout justitia suaserit et expedire cognoverimus, ne tantorum et tam horrendorum excessum enormitas in succedentia temporum secula sine justitie ultione transeat, procedamus.

Datum Avinioni, xj kalendas novembris, pontificatus nostri anno secundo (1).

LX.

1338, 12 octobris.

Ex eodem tomo *Codicis diplom. bon.*, num. LXXIV., c. 47 v., 53 r. et seq. et 116 v.

Ad perpetuam rei memoriam. Apostolice providentia discipline ad hoc delinquentibus plerumque salutaris correctionis infligit antidotum, ut, qui ex mentis cecitate in culpam corruerant, apertis mentalibus oculis, ad callem rectitudinis remeare cognoscant . . . .
. . . . Postmodum vero predicti Commune, Universitas et Populus bononiensis, tangente domino cor ipsorum et caliginem de mentalibus eorum oculis auferente, ad sinum ejusdem Ecclesie matris sue, a qua velut alienati filii propria culpa recesserant, redire saniori consilio cupientes, dilectos filios magistros Paulum de Liazarijs decretorum et Machagnanum de Aczoguidis ac Petrum de Bonpetris, legum doctores, ambaxiatores, ac Rolandum quondam Johannis de Fantucijs sindicum et procuratorem et nuncium specialem eorum, cives bononienses, ad nostram et ejusdem Sedis presentiam destinarunt, qui coram nobis et eisdem fratribus nostris in consistorio publico comparentes, presente in dicto consistorio tam prelatorum quam aliorum fidelium multitudine copiosa, a nobis ex parte Communis, Universitatis et Populi predictorum devote et humilis supplicationis instantia postularunt, ut non attendentes ejusdem populi insipientiam et excessus, sed pie considerantes ejusdem Sedis et romane Ecclesie benignitatem et clementiam consuetam et quod predicti Bononienses fuerant hactenus ejusdem Ecclesie devoti filij et esse perpetuo proponebant et quod idem populus in servitio ejusdem Ecclesie contra indevotos ipsius sanguinem suum fundere et bona sua exponere minime dubitarat, populum ipsum dignaremur respicere oculo pietatis, et ei redeunti et penitenti sinum et gremium ejusdem Ecclesie misericorditer aperire, dictumque populum dirigere, ut ipsa civitas nostra sub alis pietatis nostre et ejusdem Ecclesie in pacis plenitudine et pulchritudine valeat gubernari; quod fieri indubitanter credebant, si ejusdem Sedis clementia se super articulis infrascriptis pie dignaretur ipsorum Communis, Universitatis et Populi supplicationibus inclinare. Idemque sindicus et procurator, habens ad infrascripta omnia et singula recognoscenda, tractanda, petenda, supplicanda, facienda, promittenda, juranda, perficienda et complenda speciale mandatum, sindicario et procuratorio nomine constituentium eorumdem devote et humiliter confessus fuit et etiam recognovit, quod ipsa civitas bononiensis et comitatus et districtus ejusdem pleno jure in temporalibus quo ad dominium et merum et mixtum imperium et omnimodam jurisdictionem ad romanam Ecclesiam in solidum pertinent ac etiam ab antiquo pertinuerunt; ac juravit ad sancta Dei evangelia, in se supradictis nominibus et in animas constituentium predictorum corporaliter sponte tacta, dictos constituentes recognoscere nos et omnes romanos pontifices successores nostros veros esse eorum dominos, nosque et successores eosdem pro ipsorum veris dominis in perpetuum habere et tenere, ac nobis nostro et successorum nostrorum et ejusdem romane Ecclesie nomine, possessionem et quasi civitatis, comitatus et districtus ac meri et mixti imperii et omnimode jurisdictionis, nec non ceterorum jurium civitatis, comitatus et districtus eorumdem, quibus nos ac dictus predecessor noster et eadem romana Ecclesia fuimus spoliati, plene et integre restituere, reddere et reintegrare et ex nunc ea omnia et singula nobis et dictis successoribus ac eidem romane Ecclesie libere dictus sindicus et pro-

(1) Ex Reg. II. *Epist. secret.*, epist. 305, fol. 82 v.

curator, sindicario et procuratorio nomine supradicto, omnino dimisit, nosque et successores nostros et eamdem romanam Ecclesiam reintegravit et restituit plene et libere ad dictam possessionem et quasi, et ad omnia et singula supradicta. Et in signum et nomine traditionis hujusmodi corporalis possessionis et quasi, ac restitutionis et reintegrationis predictarum, claves civitatis ejusdem sindicario et procuratorio nomine supradicto nobis in eodem publico concistorio presentialiter tradidit et realiter assignavit; ac promisit solemniter et juravit nomine et in animas constituentium predictorum, quod infra medietatem proxime future quadragesime dicti Commune, Universitas et Populus dictam possessionem et quasi omnium et singulorum predictorum, illi seu illis personis, quam seu quas ad hec duxerimus deputandas, realiter, plene et integre reddent, restituent et assignabunt, nostro et dictorum successorum nostrorum et dicte Ecclesie nomine recipiendam, habendam et tenendam libere et absque impedimento quocumque. Promisit etiam solemniter et juravit nomine et in animas constituentium predictorum, quod in civitatem eamdem ejusque comitatum ed districtum Ludovicum de Bavaria, vel quemvis imperatorem seu regem romanorum, vel de ipsorum gentibus aliquem vel aliquos notabilis preeminentie, potentie, seu potestatis, de quo vel quibus posset verisimiliter dubitari seu presumi mutationem status vel occupationem civitatis ejusdem debere contingere adversus nos et Ecclesiam memoratam, non introducent, non assument vel recipient absque licentia Sedis apostolice speciali, per ipsius literas concessionem licentie hujusmodi specialiter exprimentes. Ac nihilominus idem sindicus et procurator, sindicario et procuratorio nomine eorumdem, prout plene poterat ex virtute et potestate sindicatus et procuratorij sui, per eum nobis oblati, quod in archivio ejusdem romane Ecclesie mandavimus conservari, ad sancta Dei Evangelia per eum tacta, juramenta nobis prestitit in hac forma: « *Ego Rolandus quondam Johannis de Fantutijs, civis bononiensis, sindicus et procurator civitatis, Communis, universitatis et Populi bononiensis, promitto et juro nomine et in animas constituentium predictorum, quod civitas, Commune, universitas et Populus bononiensis ac comitatus et districtus ejusdem, nec non Communia et universitates dictorum comitatus et districtus ab hac hora in antea fideles et obedientes erunt beato Petro apostolorum principi et vobis Sanctissimo Patri Domino nostro Domino Benedicto Pape duodecimo, vestrisque successoribus canonice intrantibus, sancteque romane Ecclesie, et non erunt in Consilio aut consensu vel facto quod vitam perdatis aut membrum, aut capiamini mala captione. Consilium quod eis credituri estis per vos aut per nuncios, seu per literas ad vestrum vel dicte ecclesie damnum scienter nemini pandent, et si sciverint fieri, vel procurari seu tractari aliquid quod sit in vestrum vel Ecclesie predicte damnum, illud pro posse impedient, et si impedire non possent, illud vobis vel successoribus vestris ac ipsi Ecclesie significare curabunt; papatum romanum et regalia sancti Petri jura, jurisdictiones vestra et successorum vestrorum et romane Ecclesie tam in ipsa civitate bononiensi, comitatu, territorio et districtu, quam alibi ubicumque consistentia adjutores erunt vobis et successoribus vestris et eidem Ecclesie ad retinendum, defendendum et recuperandum, et recuperata manutenendum contra omnem hominem: sic Deus me dictosque constituentes adjuvet et hec sancta Dei Evangelia* ». Promisit etiam et juravit dictus sindicus, nomine et in animas constituentium eorumdem, quod dicti Commune, Universitas et Populus bononiensis simile juramentum per eorum legitimum sindicum cuilibet successori vestro canonice intranti nomine romani pontificis, qui tunc erit, et suum etiam exprimendo, prestabunt semel et infra primum annum pontificatus cujuslibet hujusmodi successoris; et quod omnes et singuli mares civitatis, comitatus et districtus predictorum majores quatuordecim annis nobis et cuilibet successori nostro canonice intranti semel infra mensem, postquam super hoc fuerint requisiti, videlicet illi vel illis personis quibus nos vel ipsi successores id commiserimus vel commiserint. Qui quidem Commissarius vel Commissarii in moderando numero eorum, qui juramentum huiusmodi fuerint prestituri, et requirendo ad haec vel requiri faciendo illos de quibus discretioni ipsius vel ipsorum videbitur et non alios, plenam habeat vel habeant potestatem, juramentum fidelitatis prestabunt sponte et libere sub hac forma: « *Ego . . . . civis bononiensis juro quod ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro principi Apostolorum et sanctissimo patri domino nostro domino Benedicto pape duodecimo ejusque successoribus canonice intrantibuss, ancteque Apostolice romane Ecclesie. Non ero in Consilio aut consensu vel facto, quod vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri erunt per se aut per nuncios suos sive per litteras ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam; et si scivero fieri vel procurari seu tractari aliquid quod sit in eorum vel Ecclesie predicte damnum, illud pro posse impediam, et si impediri non potero, illud eis et eidem Ecclesie*

significare procurabo. Papatum romanum et regalia sancti Petri, jura et jurisdictiones ipsius et successorum suorum ac romane Ecclesie tam in hac civitate ejusque territorio et districtu, quam alibi ubicumque existentia, adiutor ero ei et ipsis successoribus ac Ecclesie ad retinendum et defendendum et recuperandum et recuperata manutenendum contra omnem hominem; sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei Evangelia ». . . . . Datum Avinioni quarto idus octobris, pontificatus nostri anno quarto.

LXI.

1338, 12 octobris.

Ex eodem tomo *Codicis diplom. bonon.*, num. LXXV., c. 119 r. et seq.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Guigoni de sancto Germano, notario nostro, Apostolicae Sedis nuncio, salutem et apostolicam benedictionem.

Venientibus nuper ad Apostolicam Sedem dilectis filijs magistro Paulo de Liazarijs, decretorum et Machagnano de Aczoguidis ac Petro de Bonipetris, legum doctoribus, ambaxiatoribus, ac Rolando quondam Johannis de Fantucijs, sindico et procuratore et nuncio speciali universitatis, Communis et Populi bononiensium, civibus bononiensibus, ac coram nobis et fratribus nostris in consistorio publico comparentibus, ac predictum sindicum sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum nonnullis coram nobis et dictis fratribus in eodem concistorio recognitis, actis, gestis, promissis, datis, constitutis, factis, habitis et juratis, nos super eis et iis etiam, que per nos de dictorum fratrum consilio concessa et disposita fuerunt literis bulla nostra bullatis ad perpetuam rei memoriam fieri fecimus in hec verba: *Benedictus* etc. *ad perpetuam rei memoriam* etc. usque in finem. De tue igitur circumspectionis industria in magnis et arduis experta negotijs et laudabiliter comprobata, fideique constantia plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus tenore dictarum literarum diligenter inspecto, teque ad civitatem, comitatum et districtum bononienses predictos personaliter conferens, dictisque universitati, Communi et Populo civitatis ejusdem prefatis literis publicatis solemniter et expositis diligenter, factaque prius per eos actualiter, realiter et corporaliter restitutione et assignatione corporalis possessionis et quasi, civitatis, comitatus et districtus predictorum, ac meri et mixti imperij ac omnimode jurisdictionis ceterorumque jurium ipsorum ad nos et romanam Ecclesiam pleno jure spectantium tibi, recipienti nostro et successorum nostrorum ac romane Ecclesie predictorum nomine, ac per te, nomine supradicto, hujusmodi reali et corporali possessione et quasi recepta et apprehensa et habita pacifice et quiete, factis etiam per constituentes eosdem recognitionibus, ratificationibus, acceptationibus, affirmationibus, confirmationibus, emologationibus cum juramentorum prestationibus, obligationibus quoque super dicto censu et alijs omnibus et singulis contentis in dictis literis distincte, specialiter et expresse, ac premissis omnibus juxta promissiones, obligationes et juramenta dicti sindici ac secundum modum, formam et ordinem in eisdem literis nostris expressos debite et efficaciter adimpletis, et de iis omnibus et singulis confectis publicis instrumentis juxta dictarum literarum seriem, nobis quantocius, vel saltem infra predictam proxime futuram mediam quadragesimam fideliter destinandis et realiter assignandis, tu, post assignationem hujusmodi predicta omnia postulata et petita per dictum sindicum secundum dispositionem nostram in literis prefatis expressam, cum omnibus conditionibus, honoribus et oneribus, ac modis et formis enarratis in literis supradictis, eisdem Communi, universitati et Populo, apostolica auctoritate, concedas de nostra et ipsius Sedis gratia speciali; ac predictam sententiam interdicti, cui civitas, comitatus et districtus predicti ac universitates et communia eorumdem propter premissa subjacere noscuntur, omnesque sententias, atque penas per dictos processus et constitutionem ejusdem Bonifacij, que incipit: *Felicis:* et alios canones ac provincialia et sinodalia statuta contra dictos civitatem, Commune, universitatem et Populum bononienses, ac comitatum et districtum ipsorum tam super privatione Studij generalis civitatis ejusdem, omniumque privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum apostolicorum et imperialium, et ab aliis quibuscumque concessorum eisdem, quam alias quomodolibet occasione dictorum exces-

suum promulgatas, auctoritate predicta, omnino relaxes, tollas et auferas, casses, irrites et totaliter aboleas et annulles, dictum Studium generale cum omnibus privilegijs, indulgentijs et gratijs supradictis restituendo et reintegrando eisdem in omnibus et per omnia, sicut illud ante patrationem dictorum excessuum obtinebant: omnes insuper personas ecclesiasticas et seculares civitatis, comitatus et districtus predictorum ab excomunicationis seu excommunicationum sententia, vel sententijs, quam vel quas propter excessus et culpas olim contra prefatum Bertrandum episcopum ostiensem tunc Legatum et alios prelatos et personas ecclesiasticas tunc existentes in comitiva ipsius, ac familiares ejusdem, nec non officiales prefate romane Ecclesie tunc in civitate, comitatu et districtu predictis morantes, faciendo insultus, aggressuras, spoliationes, obsidiones, cedes, vulnerationes, captiones, detentiones, incarcerationes, et alia adversus eos maleficia pertractando flagitioso et sacrilego ausu commissos, per processus nostros et dicti Legati dictamque constitutionem et alios canones, seu per provincialia et sinodalia statuta predicta, vel alias premissorum occasione ab homine vel a jure prolatas quomodolibet incurrerunt, dummodo humiliter petierint se absolvi, ac restitutionis realis et corporalis possessionis, et quasi, civitatis, comitatus et districtus, ac meri et mixti imperii et omnimode jurisdictionis, nec non ceterorum jurium predictorum tibi, recipienti nostro et dictorum successorum ac romane Ecclesie faciende, et recognitionibus, ratificationibus, acceptationibus, affirmationibus, confirmationibus, emologationibus cum juramentorum prestationibus, obligationibus etiam super dicto censu et alijs omnibus et singulis contentis in dictis literis specialiter et expresse consenserint easque fecerint et adimpleverint, ut prefertur, recepto etiam prius ab eisdem de stando mandatis Ecclesie atque nostris debito juramento, per te vel alium seu alios in sacerdotio constitutos juxta Ecclesie formam absolvas; mandans eis sub debito eiusdem prestiti juramenti, quod passis injuriam sive damna si non satisfecerint, satisfaciant competenter, et quod similia de cetero non committant nec committentibus consentiant vel adhereant, sed eis in talibus penitus contradicant, et quantum in se fuerit impediant contrarium presumentes. Cum illis quoque personis ecclesiasticis, et eisdem, qui predictis ligati sententijs per simplicitatem et juris ignorantiam, non tamen in contemptum clavium, divina officia celebrarunt vel se ingesserunt eisdem, super irregularitate quam propterea contraxerunt, eis prius juxta tue discretionis arbitrium a suorum ordinum executione suspensis, eadem auctoritate dispenses, injunctis eis super iis penitentia salutari, et aliis que de jure fuerint injungenda, prout suarum animarum saluti cognoveris expedire. Prefatos quoque Commune, universitatem et Populum, aliasque universitates et Communia, comitatus et districtus ipsorum et singulares personas eorum, ex tunc auctoritate predicta restituas in integrum ad pristinum statum, famam, honores et privilegia et alia omnia et singula, ita quod status eorum, occasione vel causa dictorum excessuum et culparum ac dictarum penarum et sententiarum in aliquo non vacillet nec remaneat diminutus, sed predicto Studio generali ac pristino statu, fama, honoribus, privilegijs et alijs beneficijs et juribus plene in omnibus gaudeant et utantur, sicut ante predictorum commissionem excessuum uti poterant et gaudere de speciali nostra et ejusdem Sedis gratia et apostolice plenitudine potestatis. Ceterum in omnibus et singulis contentis in dictis literis modum, formam et ordinem eorumdem literarum per te volumus diligentius observari.

Datum Avinioni quarto idus octobris, pontificatus nostri anno quarto.

LXII.

1338, 14 octobris.

Ex eodem tomo *Codicis diplom. bonon.*, num. LXXVI., c. 129 r. et seq.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei. Dilecto filio magistro Guigoni de sancto Germano, notario nostro, apostolice Sedis nuncio, salutem et apostolicam benedictionem.

In iis, que pro parte dilectorum filiorum Communis, universitatis et Populi bononiensium nuper per eorum sindicum et procuratorem a nobis petita fuerunt, inter alia fuit humiliter postulatum, ut de speciali gratia eis concedere dignaremur quod, usque ad beneplacitum apostolice Sedis dumtaxat, ipsi possint, nobis nostrisque successoribus romanis pontificibus canonice intran-

tibus vel, eadem Sede vacante, Collegio Cardinalium sancte romane Ecclesie seu illi vel illis, quos nos vel successores nostri predicti, seu, dicta Sede vacante, prefatum Collegium Cardinalium deputaverimus seu deputaverint, valeant nominare tres personas idoneas, sufficientes et providas, de ipsa civitate vel diocesi bononiensi non oriundas, et eidem romane Ecclesie non rebelles nec indevotas sed fideles et devotas, in Potestatem, et totidem alias personas similes in Capitaneum civitatis ejusdem, quando per Capitaneum regi voluerint, de quibus tribus personis in Potestatem nominatis unam, quam maluerimus, vel dicti successores nostri, aut, dicta Sede vacante, prefatum Collegium Cardinalium maluerint, vel ille, seu illi, quibus nos seu dicti successores nostri vel prefatum Collegium Cardinalium, dicta Sede vacante, ad hoc duxerimus vel duxerint deputandos in Potestatem, et de reliquis tribus in Capitaneum nominatis unam, de qua nobis vel dictis successoribus, aut, vacante Sede prefata, Collegio Cardinalium videbitur, in Capitaneum civitatis ejusdem constituere et ponere ac deputare possimus; et quod in casu in quo nullus dictorum nominatorum nobis seu dictis successoribus, vel, Sede ipsa vacante, dicto Collegio, seu illi vel illis qui per nos vel dictos successores, vel dictum Collegium, Sede vacante, ad hoc fuerint deputati, sufficiens vel idoneus videretur, dicti Commune, universitas et Populus bononienses alios tres in Potestatem et totidem similiter in Capitaneum civitatis ejusdem, quando per Capitaneum regi voluerint, ut prefertur, iterum et toties nobis dictisque successoribus, aut, dicta Sede vacante, Collegio supradicto, seu illi vel illis a nobis vel dictis successoribus, vel, dicta Sede vacante, a dicto Collegio, ut premittitur deputandis, possint et debeant nominare, donec nos vel dicti successores, aut, dicta Sede vacante, dictum Collegium unum ex predictis nominatis in Potestatem et alium in Capitaneum dicte civitatis invenire et acceptare velimus et velint, et unum eorum in Potestatem et alterum in Capitaneum dicte civitatis, quando per Capitaneum regi voluerint, eisdem Communi et universitati, ac Populo ponere, constituere, ac etiam deputare. Qui taliter deputati, velut officiales nostri et ejusdem Ecclesie hujusmodi potestarie et capitaneatus officia nostro et successorum nostrorum romanorum Pontificum et ejusdem Ecclesie nomine pro toto tempore suorum regiminum exercebunt; et in casu ubi ipsi nollent nominationem facere supradictam, nos et dicti successores nostri, vel, dicta Sede vacante, dictum Collegium, possimus et possint Potestatem et Capitaneum in civitate ponere supradicta usque ad tempus regiminis definitum in literis nostris, quas nuper super actis et gestis, premissis et juratis per sindicum eorumdem, sindicario et procuratorio nomine ipsorum, et alijs negotijs dictorum bononiensium et nonnullis alijs per nos concessis et dispositis circa illa fieri fecimus, quarumque tenorem tibi ad plenam informationem tuam in alijs literis nostris, tibi directis, insertum duximus destinandum. Cum igitur te, de cujus circumspectionis industria, fideique constantia plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad civitatem, comitatum et districtum predictos pro prefatis negotijs et eorum executione specialiter destinemus, circumspectioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus, factis recognitionibus, restitutionibus, ratificationibus et approbationibus ac omologationibus et alijs adimpletis per bononienses predictos, que secundum dictarum literarum formam adimplere tenentur, unum de dictis tribus, qui in Potestatem et alterum de alijs tribus, qui in Capitaneum per eos fuerint nominati, dummodo sint idonei, ac fideles ejusdem romane Ecclesie et devoti eisdem Communi, universitati et Populo, auctoritate nostra hac vice concedere, constituere, ac etiam deputare procures, eorum officijs a tempore constitutionis et deputationis hujusmodi usque ad sex mensium spatium immediate sequentium solummodo duraturis, recepturus postmodum ab eisdem, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, fidelitatis debitum juramentum iuxta formam in dictis literis annotatam. Idem quoque, hac vice dumtaxat, facias et observes circa positionem, constitutionem et deputationem Defensoris, Conservatoris, vel Confalonerij, vel alio quocumque nomine vel vocabulo nuncupandi, et receptionem juramenti fidelitatis ab eo in ijs et premissis alijs dictarum literarum formam diligentius observando; nosque postmodum certificaturus per tuas literas de nominibus et cognominibus et conditionibus Potestatis et Capitanei, ac Conservatoris, Defensoris seu Confalonerij predictorum et alijs, que circa hec duxeris facienda.

Datum Avinioni secundo idus octobris, pontificatus nostri anno quarto.

LXIII.

1338, 15 octobris.

Ex eodem tomo *Codicis diplom. bonon.*, n. LXXX.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Tadeo de Pepulis de Bononia, juris civilis professori, salutem et apostolicam benedictionem.

Letamur de te, tuamque prudentiam multipliciter in Domino commendamus, quod tu auditis et intellectis processibus dudum super facto civitatis bononiensis, ejusque comitatu, districtu et territorio per nos factis, non solum te ipsum ab injuriis et offensis Ecclesie romane, quinimmo ceteros concives tuos retrahere, ac ad obediendum nobis et eidem Ecclesie super contentis in eisdem processibus, te ac ipsos disponere operosis studijs et sedulis sollicitudinibus curavisti. Cum autem illo faciente, qui pacis est auctor et humane salutis amator, negotium civitatis, comitatus, territorii et districtus predictorum non sine magnis laboribus, et previis maturis deliberationibus, utiliter et salubriter extiterit ordinatum, discretionem tuam rogamus et hortamur attentius, quatenus devotionem, quam te ad nos et Ecclesiam memoratam concepisse percepimus, constanter continuans et in operum exhibitionem producens, ut ea, que secundum formam ordinationis predicte restant agenda, compleantur et perficiantur, nec non tua et concivium predictorum fidelitas et devotionis sinceritas erga nos et Sedem apostolicam solidetur et crescat, partes tuas efficaciter interponas, sciturus quod nos, qui ex premissis et aliis que de te audivimus, illam fiduciam de te gerentes in Domino, quod super hjs que honorem, commodum et beneplacitum nostrum et dicte Sedis respicient, te devotum ferventem reperiemus et promptum, personam tuam gratiis et favoribus intendimus prosequi, quantum cum Deo poterimus opportunis, et illi, quem illuc pro negotio predicto destinare proponimus, plenariam super his, que te tangunt, committemus specialiter potestatem.

Datum Avinioni, idibus octobris, pontificatus nostri anno quarto (1).

LXIV.

1338, 30 decembris, et 1339, 2, 4 et 6 ianuarii.

Ex eodem tomo *Codicis diplomatici bononiensis,* num. LXXXI. (2)

In nomine Domini, amen. Processus eorum, que acta sunt et agentur per reverendum patrem dominum Guigonem de sancto Germano, domini Pape notarium, ac in civitate bononiensi ejusque districtu et comitatus apostolice Sedis nuncium super facto vel negotijs Legationis, seu nunciationis sibi commisso in civitate, comitatu, seu districtu predictis. Qui quidem dominus notarius nuntius mandavit mihi Grimaldo de Pontecurvo, publico apostolica auctoritate notario et scribe suo, quod scriberem et registrarem, et in actis meis redigerem etiam in publica documenta, si foret expediens, omnia et singula que per eum in, et super predicto negotio et ipsum tangentibus fieri, et haberi contigerit cum Communi, seu universitate et populo, civitatis et districtus ac comitatus predictorum, et cum domino Thadeo de Pepulis, ac quibuscumque personis, presentibus venerabilibus et discretis viris dominis Guigone de Godeto in legibus licentiato, canonico vivariensi, Jacobo Cambafortis, rectore ecclesie Montis Allianuti (3) et Marcello Neyronis, ac magistro Simone Aprilis, auctoritate apostolica notario, sub anno nativitatis Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono, die mercurij penultima mensis decembris, pontificatus sanctissimi patris

(1) Ex Reg. IV. *Epist. secret.*, ep. 344, fol. 107.
(2) Ex cod. primo *Privilegiorum S. R. E.*, in Vatic. Arch. servato, fol. 74 t.
(3) *Sic.*

[et] Domini nostri domini Benedicti divina providentia pape XII. anno quarto. Eadem die dictus dominus notarius nuntius intraverat civitatem bononiensem, ubi fuit honorifice recollectus per dominum Thadeum predictum et alios cives et scholares bononienses, et cum dicto domino Thadeo pransus extitit in palatio Communis civitatis predicte, quod inhabitat dominus Thadeus prefatus: die veneris, prima mensis januarii anni predicti, dictus dominus notarius nuntius existens in dicto palatio ad vocationem dicti domini Thadei, ubi multi cives bononienses fere sexaginta numero, una cum domino Thadeo predicto, domino Paulo de Liazarijs, domino Maccagnano de Azzoguidis et domino Petro de Bonipetris erant congregati, dixit et exposuit, quomodo dictus dominus noster Papa miserat eum de consilio reverendorum patrum dominorum Cardinalium sancte Romane Ecclesie fratrum suorum ad civitatem, comitatum et districtum predictos pro complendo, perficiendo et consummando ea, que commissa erant eidem super facto reconciliationis, concordie, sive pacis habite inter dominum Papam, et dominos Cardinales predictos ex parte una, ac dominos Paulum, Macanhanum (1) et Petrum predictos, ambassiatores et nuntios, ac magistrum Rolandum de Fantuciis sindicum et sindicario nomine communis, universitatis et populi civitatis, comitatus et districtus predictorum, dicens et asserens consulendo dominum Thadeum, dominos Paulum, Macanhanum et Petrum, ac alios cives predictos, quis modus melior, cantior et salubrior esset tenendus per eum in perficiendo et complendo et consummando ea, que sibi commissa erant per dictum dominum nostrum Papam de consilio dominorum Cardinalium predictorum, prout in literis apostolicis super hoc confectis, de quibus poterant et debebant dicti domini Thadeus et ambassiatores, sindicus et cives habere plenam notitiam, continetur. Et tunc dictus dominus Thadeus, nomine suo et dictorum ambassiatorum et civium ibidem in dicto palatio presentium, ut asseruit, dixit et respondit quod multa, que fere impossibilia fieri posse videbantur, continebantur in dictis literis dicto domino notario commissis, ut asserebat, nominando seu exprimendo illa inter cetera, videlicet quomodo ipse dominus Thadeus erat electus concorditer per Commune et populum civitatis bononiensis perpetuo ad vitam suam in Conservatorem civitatis predicte, et quod intentionis sue erat omnimode in eodem officio manere, vivere et stare usque ad mortem suam, et quod jam equus tantum ante processerat, quod non poterat retroire, et quod in dictis literis quedam clausula contineretur, quam serpentinam vocavit, videlicet quod pro quolibet articulo, seu capitulo in dictis literis contento non servando illum pro tempore, vel contra eum faciendo per Commune, seu populum prelibatos, reinciderent, seu recidivarent in sententias hactenus latas et habitas contra eos per dominum Papam predictum.

Item dixit, quod in dictis literis continetur, quod banniti seu expulsi de civitate predicta possint in pace redire ad civitatem et bona sua recuperare, et quod, licet dicti expulsi assererent secum essent in dicta civitate, velle sub obedientia dicti Communis et alias in pace manere, sciebat tamen pro certo, quod quam cito ipsi expulsi essent in dicta civitate, procurarent nocte, et die totis viribus quod possent expellere de dicta civitate alios cives, qui volunt pacifice vivere, quos iidem expulsi dicunt eos expulisse de civitate predicta, et quod nihil dulcius vel delectabilius erat homini sicut vindictam sumere de injuriis et alijs malis sibi illatis, et etiam, ut dixit, non erat aliud, nisi quod continue occiderent se ad invicem, et etiam trucidarent.

Item dixit, quod reverendus pater dominus Ostiensis olim in Bononia legatus querebat et petebat satisfactionem multorum, que sibi ablata fuisse per cives dicte civitatis dicebat, tamen dicta bona, ut idem dominus Thadeus asserebat, fuerant pignori obligata quibusdam de dicta civitate pro mille quingentis florenis, et sic non erat de illis satisfactio facienda, immo si fieret, posset potius extorsio dici; concludendo et dicendo propterea, quod nisi dicte clausule et alie multe, quas non expressavit, tunc corrigerentur seu emendarentur vel moderarentur per dominum nostrum Papam, non intendebant perficere, nec complere contenta in literis prelibatis, adjungendo etiam quod dicte clausule non erant in dictis literis secundum capitula concordata inter eos, et dominos Papam et Cardinales predictos; nihilominus tamen requirebat et rogabat idem dominus Thadeus dominum notarium nuntium prelibatum, quod ipse vel redeundo ad curiam romanam, vel mittendo nuntium, vel literas ad dictum dominum nostrum papam supplicaret et procuraret, quod predicte clausule in dictis literis contente per eundem dominum Thadeum tunc verbotenus expressate, et alie quas postmodum expressaret, corrigi et emendari, seu moderari deberent per

(1) *Sic.*

dominum nostrum Papam predictum, prefatus dominus notarius nuntius respondit et dixit eidem domino Thadeo ac ambassiatoribus, sindico et civibus predictis, presentibus, quod facere quicquid posset, salvo honore Domini nostri et romane Ecclesie ac suo, poterat et debebat. Tamen ipse dominus notarius nuntius missus erat ad dictam civitatem ad certam rem, quam ipse dominus Thadeus, ambassiatores et sindicus predicti bene sciebant, et quod certam et limitatam potestatem habebat, quam, et literas apostolicas super his confectas eis, ac consilio dicte civitatis et toti populo paratus erat et volebat statim ibidem ostendere et publicare, si vellent audire, et alias perficere, exequi et complere quantum ad eum pertinebat omnia et singula in dictis literis annotata, dummodo per eos primitus fierent omnia, que facere tenentur et debent secundum tenorem, seriem et ordinem literarum predictarum.

Eodem anno, die sabathi secunda predicti mensis januarij, prefatus dominus notarius nuntius accessit ad dictum palatium Communis, requisitus et rogatus per dictum dominum Thadeum et nonnullos alios, quos Consilium sapientum vocabant, qui erant numero, ut ferebatur, trecenti et ultra, et ibidem in dicto palatio constitutus proposuit et dixit inter cetera, que sequuntur; videlicet: quod ipse dominus notarius nuntius erat missus ad civitatem, comitatum et districtum bononienses pro perficiendo, exequendo, complendo et consummando omnia et singula contenta in literis apostolicis, factis et habitis super legatione, seu nunciatione sua in facto seu negotio reconciliationis, concordie, seu pacis habite inter dominos nostros dominos Summum Pontificem, et Cardinales predictos ex parte una, et dominos Paulum de Liazarijs, Macanhanum et Petrum ambaxiatores, et Rolandum de Fantucijs sindicum et procuratorem, et procuratorio nomine Communis, universitatis et populi civitatis predicte ex altera. Et quod licet ipsi ambaxiatores et sindicus, et per consequens idem dominus Thadeus et prudentes scirent et scire poterant et debebant omnia et singula contenta in apostolicis literis prelibatis, nihilominus tamen ut aliqui de dicta civitate de contentis in dictis literis non valerent ignorantiam pretendere, paratus erat statim potestatem et commissionem suam, et literas apostolicas, et omnia et singula in eis contenta, legere, seu legi facere, et publicare, et negotium sibi super dicta reconciliatione, seu concordia commissum secundum ordinem, tenorem, et continentiam literarum predictarum, et prout a dicto domino nostro Papa in mandatis habebat perficere et efficaciter consummare. Et tunc dicti dominus Thadeus et prudentes, post multos et varios sermones habitos inter eos super predictis, responderunt et dixerunt expresse et unanimiter nullo penitus discordante, quod ipsi erant ad plenum certificati de tenore predictarum literarum et de omnibus et singulis capitulis in eis contentis, et quod nec ipsi nec populus civitatis predicte volebant dictas literas audire seu videre, nec contenta in eis complere, approbare seu ratificare, nec aliquod de contentis in eisdem, nisi prius omnes clausule in dictis literis contente, in quibus, ex quarum tenore, se ac civitatem et Commune predictos gravatos et lesos enormiter asserebant, et que reparatione, moderatione, ac declaratione domini nostri Pape egebant, ut dicebant; de quibus etiam de plenarie certificatos dicebant per unum mensem jam elapsum, essent per dictum dominum papam reparate, refecte, declarate, et moderate, quia alias, ut ipsi dicebant, dicta reconciliatio, pax, seu concordia dici poterat potius desperatio; adjungendo et dicendo expresse, quod nisi dicte clausule repararentur, et modificarentur, et declararentur secundum capitula per eos, ut dicebant, cum dicto domino nostro summo Pontifice concordata, volebant potius in misericordia Dei, et eorum statu manere et stare, quam suscipere, seu supportare jugum, quod non possent postmodum tolerare, pro eo presertim, quod, ut dicebant, quedam clausule erant per dictum dominum Ostiensem, et aliquos alios dominos Cardinales addite et posite in literis prelibatis, postquam fuerant capitula supradicta concordata cum domino nostro Papa et ambaxiatoribus et sindico supradictis. Quare requirebant et rogabant dominum notarium nuntium, quod ipsa redire deberet ad Curiam romanam ad dominum nostrum Papam, et supplicare et instare apud eum pro moderatione, modificatione, ac declaratione clausularum predictarum; et quod nihilominus mirabantur, quare in dicta civitate tantum morabatur et non redibat ad romanam Curiam predictam, dicto domino notario et nuntio semper et continue et cum instantia requirente, quod dictas literas apostolicas audire et intelligere vellent, et contenta in eis ratificarent et approbarent, et integraliter facerent et complerent, que audire et facere se nolle dixerunt expresse, ut supra dicitur, siquidem dominus notarius et nuntius dixit tunc et alias frequenter, quod per eum non stabat, nec staret, quominus predicta complerentur et fierent, et de iis fuit tunc et alias expresse et publice protestatus.

Eodem anno, die lune quarta predicti mensis januarij, nonnulli, fere viginti et ultra, qui se Antianos et Consiliarios Communis et Populi civitatis predicte dicebant, venerunt ad dictum dominum notarium nuntium in domibus monasterij sancti Salvatoris bononiensis, ubi dictus dominus notarius nuntius cum sua familia residebat, et dixerunt post multa verba habita inter eos, quod in ipsis literis apostolicis legationis vel nunciationis ejusdem domini notarii nuntii continebantur nonnulle clausule, seu capitula, que eis Communi, universitati et populo civitatis predicte nimium onerosa et omnino importabilia fore asserebant, et que nullo modo se tolerare velle nec posse dicebant; propter que requirebant eum expresse, et cum instantia rogabant, quod, quamcito posset, rediret seu remearet ad romanam Curiam, et quod instaret et supplicaret pro reparatione, refectione, seu moderatione clausularum et capitulorum predictorum, et admirative etiam dicebant, quare tantum in dicta civitate morabatur, quod non recedebat de dicta civitate, et redibat ad dictam romanam Curiam pro predictis; et quod nullo modo approbarent, confirmarent, seu ratificarent aliquid de contentis in dictis literis apostolicis, nisi prius dicta capitula, seu clausule, essent per dictos dominos nostros Papam et Cardinales moderata, modificata et reparata. Prefatus autem dominus notarius et nuntius respondit et dixit eisdem, quod ipse venerat et missus erat per dominum nostrum Papam ad civitatem, comitatum et districtum bononiensem predictos pro complendo, exequendo et consummando contenta in dictis literis apostolicis, et singula eorumdem secundum earum modum, et ordinem ac continentiam et tenorem, que, quantum ad eum spectabat, paratus erat perficere et exequi, et consummare secundum continentiam literarum predictarum, et de hoc fuit protestatus expresse.

Eodem anno, die sexta ejusdem mensis januarij, dictus dominus notarius nuntius constitutus in palatio veteri bononiensi, ubi jus reddi consuevit, et ubi Antiani et populus congregari consueverunt ad consilium faciendum, una cum supradicto domino Thadeo ac Potestate, et Antianis, Consiliariis, Sapientibus, et multitudine populi civitatis bononiensis predicte, in qua congregatione dicebantur esse ultra quam tria millia personarum, nec non dominis Paulo de Liazarijs, Macanhano de Azzoguidis, et Petro de Bompetris, ambaxiatoribus, doctoribus bononiensibus, ac Rolando de Fantucijs sindico supradictis, dixit et proposuit coram eis, quod ipse erat missus ad eos per dominum nostrum summum Pontificem et ad civitatem, comitatum et districtum bononienses pro perficiendo, complendo omnia et singula acta, gesta, habita et jurata per sindicum et ambaxiatores predictos, nec non omnia et singula sibi imposita et injuncta per dominum nostrum summum Pontificem supradictum, prout in literis apostolicis super hoc confectis plenius continentur; quas literas paratus erat statim legere, seu legi facere et etiam publicare, licet de dictis literis et contentis in eis habuerint et habere se dixerint notitiam pleniorem: et nihilominus quamdam literam apostolicam, que dirigebatur Communi et Populo civitatis predicte, cujus tenor talis est, « *Benedictus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Communi, universitati et populo civitatis nostre Bononiensis, salutem et apostolicam benedictionem. Dilectis filiis magistro Paulo de Liazarijs decretorum, et Macanhano de Azzoguidis, et Petro de Bompetris legum doctoribus, ambaxiatoribus, nuncijs, et concivibus vestris, atque Rolando quondam Johannis de Fantuciis, sindico et procuratore, et nuntio speciali vestro coram nobis, et fratribus nostris in consistorio publico comparentibus, ac per dictum sindicum sindicario et procuratorio nomine vestro nonnullis coram nobis et dictis fratribus in eodem consistorio recognitis, actis, gestis, promissis, restitutis, datis, factis, habitis et juratis, nos super eis, et hijs etiam, que per nos de dictorum fratrum consilio concessa et disposita fuerunt, apostolicas literas bulla nostra bullatas ad perpetuam rei memoriam fieri fecimus, prout ex tenore ipsarum, quas latores presentium ad vos euntes secum deferunt, poteritis plenius informari. Et ut premissa consummationem, et executionem plenam, efficacem et laudabilem annuente domino consequantur, dilectum filium magistrum Guigonem de sancto Germano notarium nostrum Apostolice Sedis nuntium, de cujus circumspectionis industria in magnis et arduis experta negotijs et laudabiliter comprobata, fideique constantia plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad premissorum consummationem et executionem de nostra conscientia plenarie informatum ad civitatem bononiensem, ejusque comitatum et districtum providimus personaliter destinandum. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes, quatenus eumdem nuncium immo potius nos in ipso benigne recipientes et honorificentia debita pertractantes, tam ijs, que idem nuncius vobis ex parte nostra retulerit, quam omnibus et singulis contentis in dictis literis diligentius intellectis, in premissis omnibus et singulis plenarie, efficaciter et totaliter adimplendis corde et opere illius plene*

obedientie, et avide voluntatis efficaciam ostendatis, ut omnibus et singulis contentis in dictis literis secundum modum, formam et ordinem in eisdem literis explicatum debite et efficaciter adimpletis, et de ijs omnibus et singulis confectis diversis ejusdem tenoris publicis instrumentis, sigillo Communis vestri munitis, juxta dictarum seriem literarum, quorum unum eidem nuntio custodiendum per eum, nobisque, cum ad nos redierit, deferendum. Reliquum vero per vos nobis quantocius, vel saltem infra proximo futuram mediam quadragesimam diligenter, et fideliter destinandum plena ejusdem civitatis et universitatis, Communi et populi ejus, et singularium personarum ac universitatum, comitatus et districtus ejusdem reintegratio, et in integrum restitutio ad honores, dignitates. famam et statum de nostra et ejusdem Sedis gratia subsequantur. Nos igitur gerentes civitatem eamdem, ejusque comitatum et districtum, tamquam precipuas nostras et ejusdem Ecclesie terras, et singulares personas ipsorum, tamquam peculiares nostros, et ejusdem Ecclesie filios in visceribus precipue charitatis eumdem nuntium illa mittimus auctoritate et potestate munitum, quam civitati, comitatui et districtui memoratis, ac universitatibus et personis singularibus eorumdem, quorum omnium prosperitatem et commodum pleno corde zelamus, ad presens cognovimus expedire. Datum Avinioni secundo jdus octobris, pontificatus nostri anno quarto », legi fecit per me Grimaldum notarium infrascriptum, ac dixit et instanter petijt a dicto domino Thadeo, Communi et Populo prelibatis, quod vellent audire alias literas apostolicas, in quibus continebantur conventiones, ordinationes et pacta habita inter dominum nostrum summum Pontificem, et sindicum et ambaxiatores predictos, quia ipse erat paratus eas statim legere, seu legi facere et perficere, complere et executioni debite demandare omnia et singula in dictis literis contenta, dummodo ipsi efficaciter prius facerent et adimplerent omnia et singula conventa, concordata et jurata per eos secundum tenorem et continentiam literarum predictarum.

Requisivit etiam et induxit eosdem quantum potuit sollicite et diligenter, quod predicta perficerent, ratificarent, et omnia complerent, presertim cum ipse dominus notarius nuntius de intentione et conscientia domini nostri Summi Pontificis, ut dixit, certus existat, quod idem dominus noster sinceram et paternam ac specialem affectionem habeat ad civitatem, cives et populum supradictos, eosque intendit tractare et prosequi favorabiliter, sicut devotos suos filios et etiam speciales. Et si ipsi contenta in dictis literis liberaliter et prompte sine difficultate vel mora integraliter et cum effectu, faciant et compleant juxta ipsarum literarum tenorem et seriem, ut tenentur, dominus noster postmodum super illis punctis, seu capitulis, que eis nimis dura, nimisque gravia et importabilia fore dicebant, sique talia in dictis literis forte essent de moderationibus, declarationibus et remediis opportunis, prout expedire cognosceret, sic et taliter provideret, quod ipsi contenti esse deberent et possent, nec vellet, quod ipsi remanerent ad impossibilia, aut nimis dura vel inconvenientia obligati. Et tunc nonnulli de Consilio seu populo prelibato, et specialiter dominus Paulus et Petrus ambassiatores supradicti, dixerunt et responderunt inter cetera, quod dictus dominus noster Papa dixerat et promiserat eis expresse, quod super nonnullis capitulis, que dicto domino nostro tradiderant, que etiam eis omnino importabilia fore asseruerunt, debebat providere, et super illis literas apostolicas ad partem dicto domino notario nuntio dare ad modificationem capitulorum predictorum.

Et quia super dictis capitulis, et super nonnullis aliis, que sibi etiam onerosa valde, et eis omnino importabilia dicebant, non erat per dictum dominum nostrum Papam aliquid ordinatum, nolebant ipsi cives et populus civitatis predicte aliquid ratificare seu complere de contentis in literis prelibatis, immo requisiverunt cum instantia prefatum dominum notarium nuntium, quod ad dictum dominum nostrum Papam quamcito posset, remearet et supplicaret pro reparatione, modificatione et correctione capitulorum predictorum.

Item quidam, nomine dominus Ferrinus de Gallucijs, miles, respondit et dixit inter cetera in dicto palatio publice, quod nisi dicta capitula modificarentur et corrigerentur, et presertim capitulum, quod loquitur de Conservatore, dicens, quod nihil intererat domini nostri Pape, nec aliquid facere habebat super officio Conservatoris predicti, immo ad dictum populum, seu Commune spectabat omnino facere Conservatorem predictum, et illum fecerunt, videlicet dominum Thadeum de Pepulis, quem omnino habere volebant in Conservatorem, quamdiu idem dominus Thadeus vitam duceret in humanis, et nolebant aliquid ratificare, approbare, seu complere de contentis in dictis literis, nisi prius dicta capitula, et maxime dictum capitulum de Conservatore, essent omnino correcta, declarata, emendata, seu modificata.

Item dominus Thadeus supradictus, qui se publice dicit Conservatorem perpetuum civitatis bononiensis predicte, dixit et respondit expresse, nomine suo et totius Communis et populi supradicti, post multos sermones super narratione dictorum capitulorum in dictis literis contentorum, factos per eum, quod nihil omnino ratificarent, approbarent seu complerent, nec ratificare, approbare seu complere volebat de contentis in literis supradictis, nisi prius capitula, de quibus supra fit mentio, et aliqua alia, que pro tempore dicto domino nostro pape expressaret, essent correcta, reparata et modificata, omnino addens et adjungens responsioni sue predicte, quod sindicatus, seu procuratorium factum in personam Rolandi de Fantucijs, civis bononiensis, per Commune, universitatem, seu singulares personas civitatis ejusdem, nihil omnino valebat, nec in aliquo tenebat vel habebat roboris firmitatem pro eo, videlicet ex eo, quod dicta civitas, comitatus et districtus privati fuerant per dictum dominum nostrum Papam, communitate et universitate tempore confectionis sindicatus seu procuratorij supradicti, et requisivit cum instantia, quod dictus dominus notarius rediret et reverteretur ad dictam romanam Curiam, et dominum nostrum summum Pontificem pro moderatione, correctione et modificatione capitulorum predictorum.

Et tunc omnes de dicto populo ibi astantes, ut prima facie poterat apparere, dictas responsiones omnium predictorum et aliorum, qui fuerunt in dicto Consilio seu populo, locuti de predictis, et quasi per similia verba, ratas et gratas habentes, ut prima facie in eorum clamoribus videbantur, approbarunt et ratificaverunt. Et nihilominus requisiverunt dominum notarium supradictum et nuntium, ut pro moderatione, correctione et modificatione capitulorum predictorum quamcitius posset ad Curiam romanam redire[t]. De quibus omnibus et singulis requisitis, responsis et habitis, ut supra dictum est, prefatus dominus notarius nuntius mandavit et requisivit per me supradictum notarium, nec non magistrum Simonem Aprilis, etiam notarium publicum et scribas suos, unum vel plura fieri consimilia publica instrumenta, suique sigilli munimine roborari, presentibus venerabilibus ac nobilibus viris Guigone de Godeto licentiato in legibus ac canonico vivariensi, Jacobo Cambafortis, rectore ecclesie Montis Allianuti, Trecensis diocesis, et Marcello Neyronis presbitero avinionensis diocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

[L. † S.] Et ego Grimaldus quondam Nicolai de Pontecurvo, publicus apostolica auctoritate notarius, omnibus et singulis supradictis una cum dictis domino nuntio et testibus, presens interfui, eaque de mandato presentis domini nuntij in hanc publicam formam redegi et scripsi, meoque signo consueto signavi, rogatus.

LXV.

1339, 27 augusti.

Ex eodem tomo *Codicis diplom. bonon.*, num. LXXXIV., c. 155 r.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus aquilegensi et gradensi Patriarchis, eorumque suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cogit nos justitie debitum, et nequitia plurimum detestanda sollicitat, ut adversus eos, quos apostolice Sedis benignitas alienatos ab ejus uberibus redituros ad ejus gratiam diutius expectavit, secundum duritiam autem suam et impenitens cor thesaurizantes sibi iram in die ire et revelationis justi judicij censuram exerere apostolice discipline. Quamvis siquidem dudum in alijs processibus per nos habitis atroces excessus adversus Deum et romanam Ecclesiam per populum et communitatem civitatis bononiensis, si civitas debeat nuncupari, ad plenum jus et proprietatem ejusdem romane Ecclesie pertinentis flagitiosa audacia in persona venerabilis fratris nostri Bertrandi, episcopi ostiensis, tunc in partibus illis apostolice Sedis Legati prophanis et detestabilibus ausibus perpetratos, ne celestis regis contumeliam, qui suis honoratur, et spernitur in ministris et ejusdem Ecclesie, sponse sue, dissimulationi relinquere, ac christiane religionis obprobrium, dum Christi Domini sublimes, videlicet Ecclesie prefate columne, fratres nostri venerabiles, ejusdem sancte romane Ecclesie Cardinales, quos ad christianorum omnium salubre consilium apostolica Sedes assumit, crudeliter impetuntur, dare negligentie videremur, non tamquam

injuriarum ultores nostrarum, sed honoris sponse Christi et immunitatis domus Domini zelatores in damnabilis facti memoriam et pudorem perpetrantium predictorum sic plene narrationis serie duxerimus exprimendos, ut eosdem excessus seriosa commemoratione repetere non sit opus, ex hiis tamen ea solum succincte narrationis compendio providimus recensenda, que ad ulteriores processus et culpas exaggerandas ipsorum non tantum viam aperiant, sed nos quasi quadam justitie necessitate compellant. Cum enim idem Legatus in tota provincia Lombardie et nonnullis alijs Italie partibus apostolice legationis officio fungeretur, et in eadem civitate bononiensi cum sua curia fiducialiter resideret, ac ejusdem civitatis nec non comitatus, territorij et districtus, ac pertinentiarum ipsius dominium et jurisdictionem ad romanam Ecclesiam pertinentia ab antiquo, pro dicta Ecclesia teneret et possideret, et diu pacifice, juste et legitime pro eadem Ecclesia tenuisset et etiam possedisset, sindici quoque Communis et universitatis civitatis predicte ad hec specialiter constituti recognovissent dominium et jurisdictionem predicta pleno jure ad eamdem Ecclesiam ab antiquo pertinuisse et etiam pertinere, et ex abundanti eadem dominium et jurisdictionem primo eidem Legato, et secundario felicis recordationis Johanni Pape vigesimo secundo predecessori nostro, tunc viventi, nomine ejusdem romane Ecclesie recipientibus, expresse donassent, confectis exinde publicis instrumentis, nonnulli iniquitatis alumni, incole civitatis predicte, tractatu etiam de hoc, ut dicitur, non absque proditionis reatu prehabito, inter eos tumultum et seditionem in ejusdem civitatis populo excitarunt; idemque populus congregatus in unum ad premeditate diutius ejusdem proditionis facinus perpetrandum, pluribusque continuatis diebus pulsatis hostili more campanis, flagitioso et sacrilego ausu eumdem Legatum in castro per eum constructo pro eadem romana Ecclesia, sito infra civitatem eamdem, nullas tunc tales formidantem insidias, residentem aggredientes, hostiliter obsederunt, eumque per decem dies continuos et amplius tenuerunt obsessum, ac conflando eorum molimina cum balistis et alijs bellicis instrumentis adversus dictum Legatum, honorabile membrum romane Ecclesie partemque corporis romani pontificis, et de latere ejus missum non absque crimine lese Sedis apostolice majestatis, proijcendo lapides et quadrellos, nequiter et hostiliter expugnarunt fossata etiam dicti castri, et aqueductum ipsorum et murum cluse dictorum fossatorum ruperunt, ignemque posuerunt in aliquibus fortelitijs dicti castri; et ut idem Legatus destitueretur omni auxilio et succursu, et ne aliquibus ad succurrendum eidem aditus prestaretur, ceperunt in circuitu dicti castri fodi facere foveas seu fossata, ut idem Legatus et gentes sue inedia fameque consumpti, eorum tradere se manibus cogerentur, in ejusdem castri obsidione hujusmodi terroris vocem universaliter proclamantes: « *Moriatur Legatus, moriatur Legatus et illi de lingua occana* »; sub magnis penis nihilominus prohibentes, ne per aliquos introducerentur in castrum predictum aliqua victualia vel res humanibus necessitatibus opportune, sub pena etiam capitis, voce preconia et cum tubis fecerunt publice proclamari, ne quis castrum ingrederetur prefatum, aut loqueretur existentibus in eodem. In obsidione quoque predicta diurnis et nocturnis temporibus tamdiu minaci et armata potentia perstiterunt, donec Legatum cum familia et aliis gentibus suis, que tunc fuerant ad dictum castrum reducte, de dictis castro et civitate bononiensi, non sine multis personarum et rerum periculis, exire oportuit et festinare recessum. Eadem vero obsidione durante, ijdem bononienses ad omne nephas relaxatis habenis, dilectum filium Oliverium Beraldi, militem vicemarescallum gentis ejusdem Ecclesie, in dicta civitate morantem, ejusque officiales in palatio, in quo dictus vicemarescallus tunc morabatur, hostiliter invaserunt, supponentes ignem prefato palatio, ut metu incendij facilius capi possent; ac finaliter eosdem vicemarescallum et familiares ipsius ceperunt, et depredati fuerunt, eosque vinculis et compedibus ferreis costrinxerunt, ipsos nihilominus et maxime dictum vicemarescallum tormentis, seu questionibus sepius affligentes, omnesque alios officiales per dictum Legatum in civitate predicta pro romana Ecclesia constitutos hostiliter insecuti et predati fuerunt, eosque de facto a suis officiis amoventes, in locum eorum alios posuerunt. Custodes etiam portarum civitatis ejusdem invaserunt, supponentes ignem in aliquibus earumdem, captis et interfectis aliquibus de custodibus prelibatis, ac maleficos omnes et carceratos in carceribus venerabilis fratris nostri Bertrandi nunc nivernensis, tunc bononiensis episcopi, et dilecti filij Rectoris dicte civitatis pro romana Ecclesia pro multis gravibus sceleribus perpetratis per eos ibidem detentos, effractis dictis carceribus, in ejusdem Ecclesie contumeliam relaxarunt, omnesque bannitos de dicta civitate pro multis enormibus excessibus patratis per eos, ad dictam civitatem temere reduxerunt, hostium quoque et rebellium ejusdem Ecclesie contra dictum Legatum auxilium invocantes de ipsorum stipendiarijs

in civitatem prefatam magnam multitudinem induxerunt, ac dilectum filium nostrum Bertrandum, tituli sancti Marci presbiterum Cardinalem, tunc archiepiscopum ebredunensem, et apostolice Sedis in partibus illis nuncium, ac venerabiles fratres nostros Petrum mirapiscensem et prefatum Bertrandum tunc bononiensem episcopos, et quondam Bernardum nonantulanum, mutinensis diocesis, et dilectum filium sancti Stephani bononiensis monasteriorum abbates, omnesque tam prelatos, quam alios clericos religiosos et seculares ac laicos universos de familia, et gentes ipsius Legati, nec non stipendiarios dicte sancte romane Ecclesie in civitate, comitatu, territorio et districtu predictis existentes, absque aliqua causa rationabili, solius preconcepte proditionis impulsu, hostiliter invaserunt, eosque libris, capellis, equis, vasis argenteis, vestibus, armis, pecunia et alijs rebus eorum nequiter spoliarunt, dictumque abbatem Nonantule usque ad femoralia nudaverunt, ipsumque decem diebus detinuerunt carceri mancipatum. Episcopale quoque palatium bononiense supposuerunt incendio, et quoscumque reperire potuerunt de gente, familia et idiomate dicti Legati ceperunt, multosque ex eis vulneraverunt, et aliquos inhumaniter et crudeliter occiderunt, ac terras, castra et loca omnia predictorum comitatus et districtus, nec non terras, castra et loca supposita jurisdictioni dictorum episcopi et Ecclesie bononiensis in rebellionis devium adversus dictum Legatum et romanam Ecclesiam deduxerunt. Officiales insuper et gentes omnes in eisdem civitate, comitatu et districtu, castris et locis pro dicta romana Ecclesia, et Legato et bononiensi episcopo consistentes ceperunt, et spoliarunt nonnullos ex eis familiares ejusdem bononiensis episcopi, crudeliter occidendo; inter quos quondam Bertrandus de Glar, familiaris ejusdem episcopi bononiensis, feritatis detestande sevitia evisceratus extitit et per frusta concisus, ejusque carnibus datis partim in escam canibus, partimque projectis; inter hujusmodi enormitatum multiplicatos excessus, eumdem Legatum, et per eum dictam romanam Ecclesiam, de possessione vel quasi ejusdem civitatis ac castri, comitatus, territorii et districtus bononiensium, ac jurisdictionis et jurium predictorum, in qua possessione vel quasi idem Legatus nomine et pro parte ejusdem romane Ecclesie diutius pacifice et quiete fuerat, et tunc etiam existebat, injuriose per violentiam dejecerunt, dictaque possessione, vel quasi, eamdem romanam Ecclesiam spoliarunt et spoliari mandaverunt, seu dejectionem et spoliationem ab alijs factam ratam habuerunt, dictamque possessionem, seu quasi, civitatis, comitatus, territorij, ac districtus, ac jurisdictionis et jurium predictorum velut alienati filij, non attendentes quam durum existat contra stimulum calcitrare, in ejusdem Ecclesie contumeliam occupare, et ex tunc occupatam tenere presumserunt nequiter, et presumunt; quinimmo furore damnabilis commotionis accensi, dictum castrum, per dictum Legatum pro dicta romana Ecclesia non sine magnis expensis opere decoro constructum, fuerunt funditus demoliti in gravem apostolice Sedis injuriam et contemptum; et licet hujusmodi aggressio, obsidio, dejectio, spoliatio et expulsio et nonnulla ex alijs facinoribus superius enarratis per prefatum bononiensem populum adversus eamdem romanam Ecclesiam dictumque Legatum detestandis et sacrilegis ausibus perpetrata adeo per publicam facti evidentiam essent notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari, idem tamen predecessor ex superabundanti de et super notoria evidentia excessuum predictorum per multos magne auctoritatis viros, et testes alios fide dignos, qui presentes in dicta civitate tunc fuerant, informationem recepit certam, plenariam et fidelem, quamvis propter supervenientem ejus obitum super premissis, prout justitie debitum exigebat, procedere ulterius nequivisset. Post cujus decessum, nos divine providentie munere ad apicem summi apostolatus assumpti, tam eosdem excessus quam preteritas injurias et offensas, quas sicut fama, vel verius refert infamia, dicti bononienses nonnullis alijs Cardinalibus ejusdem sancte romane Ecclesie apostolice Sedis Legatis inferre nephandis ausibus presumpserunt, ita quod jam in usum, consuetudinemque sacrilegam aggressiones et insecutiones dictorum Cardinalium deduxisse videretur in apostolice considerationis scrutinium deducentes, licet eorumdem excessuum cumulus multiplicem, celeremque deposceret justitie ultionem, tamen misericordia in nobis superexaltante judicium, zeloque zelantes salutem ipsorum, ac sperantes quod per patientiam nostram de predictis eorum excessibus usi saniori consilio penitentes, ad devotionem et obedientiam nostram et ejusdem romane Ecclesie pronis et devotis animis remearent, eosdem Bononienses de uberiori ejusdem Ecclesie gratia tam per nostras literas speciales, quam per eumdem Cardinalem sancti Marci tunc archiepiscopum ebredunensem, et iterato tunc in partibus illis ejusdem Sedis nuncium, monuimus, requisivimus et attentius fuimus exhortati, eis sano paternoque consilio suadentes ut premissis et alijs que eis circa hec possent occurrere consideranter attentis, non procrastinarent

ulterius sibi ac statui et saluti suis, dum ipsis se offerebat facultatis opportunitas taliter providere, quod tamquam devoti filii possent in sinu dicte Sedis quiescere, ejusque gratiam obtinere per easdem literas, predicentes eisdem quod, si monitionibus et exhortationibus hujusmodi utique charitativis ac salubribus parere ac obtemperare amplius efficaciter omitterent vel differrent, dissimulare vel prorogare non intendebamus ulterius quin, prout suaderet justitia et expediens videremus, ne tantorum et tam horrendorum excessuum enormitas insuccedentia temporum secula sine justitie ultione transiret, processus debitos faceremus. Et licet prefatus Cardinalis tunc archiepiscopus, iterato de mandato nostro se ad civitatem prefatam personaliter contulisset et ad reducendum eos ad obedientiam et devotionem ejusdem Ecclesie propensis studijs multipliciter laborasset, dicti tamen Bononienses hujusmodi inductiones, exhortationes et monita, elata obstinatione spernentes, ei parere et acquiescere noluerunt; propter quod nos, qui prefate romane Ecclesie iura, iurisdictiones et bona tenemur ex apostolice servitutis officio defensare, tantorum atrocitatem excessuum adversus dictam Ecclesiam patratorum, ac violentam dejectionem ejusdem Legati de civitate nostra bononiensi ac comitatu et districtu predictis ad nos et dictam romanam Ecclesiam immediate ac pleno jure spectantibus, ut prefertur, ac etiam expulsione officialium pro eadem Ecclesia in civitate, comitatu et districtu predictis tunc consistentium, et exercentium in ipsis officia eis commissa nomine et pro parte Ecclesie memorate, spollationem quoque possessionis, vel quasi, meri ac misti imperii et omnimode jurisdictionis civitatis, comitatus, territorij et districtus predictorum, in qua dictus Legatus, nomine ejusdem Ecclesie, diutius fuerat pacifice et quiete, et tunc etiam existebat, per dictos Bononienses violenter, et nequiter perpetratas, occupationem etiam dictorum jurisdictionis et jurium ab eisdem Bononiensibus presumptam et factam in civitate, comitatu et districtu predictis in nostrum et ejusdem Ecclesie prejudicium, damnum, injuriam et contemptum sustinere ulterius, salva conscientia, nequeuntes, cum non deceat nos justitiam nostram et Ecclesie sponse nostre negligere, qui alios in sua justitia confovemus, dictosque notorios et perniciosos excessus sine castigatione debita preterire, ne per impunitatem eorum cresceret in alijs adversus dictam Ecclesiam detestabilis presumptionis audacia per exemplum visa, licet ex abundanti et diligentius recensita informatione super premissis habita per predecessorem eumdem, et super ijs omnibus et singulis cum Fratribus nostris deliberatione prehabita diligenti, cum propter pretactam eorumdem bononiensium sevitiam manifestam, et faventem tunc eis quorumdam indevotorum ejusdem Ecclesie malitiam, processus tunc contra ipsos habendi, verisimiliter in dicta civitate bononiensi fieri non possent libere, sive tute, cogente justitia, de ipsorum Fratrum consilio, presente multitudine copiosa fidelium, auctoritate apostolica Potestatem, Capitaneum, Barisellum, Judices, Consiliarios, Rectores, Consules, Antianos et quoslibet officiales civitatis ejusdem quocumque nomine censerentur, vel pro officialibus se gerentes, per solemnes processus nostros in scriptis redactos et publice tunc perlectos, monuimus, requisivimus et attente hortati fuimus sub infrascriptis penis; districte tunc mandantes eisdem, ut corporalem possessionem ejusdem civitatis bononiensis nec non comitatus, territorij et distritus, ac jurisdictionis et jurium predictorum plenam, liberam et expeditam ac pacificam, sicut eam tenuit prefatus Bertrandus episcopus ostiensis nomine ejusdem romane Ecclesie ante irruptionem et obsidionem predictas cum quibuslibet alijs bonis et juribus, que dictam civitatem bononiensem, ejusque comitatum, territorium et districtum quomodolibet contingere noscerentur, venerabilibus fratribus nostris florentino et imolensi episcopis et delecto filio rectori provincie Romandiole, vel duobus, aut uni eorum, aut alii, vel alijs ad mandatum ipsorum et cujuslibet eorumdem, revocatis per dictum Commune expresse et amotis omnibus exercentibus in dicta civitate, comitatu, territorio et districtu quevis officia, per quos possessionem predictam, vel quasi, faciebant detineri, infra duorum mensium ex tunc computandorum spatium, quod eis pro peremptorio termino assignavimus, restituerent et assignarent efficaciter, nomine nostro et ejusdem romane Ecclesie tenenda et possidenda, et in pace dimitterent, ac nihilominus quibuslibet occupationibus, injuriis, violentijs, atque damnis nostris et ejusdem romane Ecclesie abstinerent et cessarent omnino, nullam super illis nobis et eidem Ecclesie ac prefatis florentino et imolensi episcopis, ac rectori, vel alicui eorumdem, vel deputatis ab eis eodem nomine nostro et ejusdem romane Ecclesie recipientibus et tenentibus, molestiam illaturi; quinimmo possessionem, vel quasi, civitatis, comitatus, territorij et districtus, nec non jurisdictionis et jurium predictorum, claves quoque portarum civitatis ejusdem, quolibet impedimento sublato, eosdem florentinum et imolensem episcopos et rectorem, vel quem-

libet eorumdem, seu deputatos ab eis, vel deputandos permitterent nostro et ejusdem romane Ecclesie nomine libere tenere et possidere et exercere, eorumque libera, quieta et pacifica possessione gaudere, sicut idem episcopus ostiensis, ante tempus suscitate irruptionis et aggressionis predicte, illa pacifice et quiete possedisse noscebatur nomine ejusdem romane Ecclesie, et etiam tenuisse alioquin Potestatem, Capitaneum, Barisellum, Judices, Consiliarios, Antianos, Rectores, Consules et officiales predictos, quocumque nomine censerentur, monitionibus, requisitionibus, hortationibus et mandatis nostris hujusmodi non parentes, cujuscumque essent preeminentie, conditionis, aut status, ecclesiastici vel mundani, excommunicationis sententia, quam in eos de dictorum fratrum consilio ex tunc protulimus, innodavimus et proinde innodatos esse decrevimus, ipso facto ac si expressi forent in dicti processus nostri serie nominatim. Civitatem vero, comitatum, territorium et districtum predicta, nec non universitatem, seu universitates et communia eorumdem, que jam dictis monitionibus, requisitionibus et mandatis non parerent, ecclesiastico interdicto, quod ex tunc in illa promulgavimus, ipso facto voluimus subjacere, quod quidem interdictum arcte precipimus conservari. Ad hec Potestati, Judicibus, Capitaneo, Barisello, Consiliarijs, Antianis, Rectoribus, Consulibus et officialibus ac universitati seu universitatibus et communibus supradictis edicto publico nunciavimus, quod si predictis monitionibus, requisitionibus, hortationibus et mandatis infra predictum spatium duorum mensium non parerent, et ob hoc eos penas contigeret incurrere supradictas, nisi infra unum mensem predictos duos menses immediate sequentem, quod quidem tempus eis pro secundo termino peremptorio assignavimus, monitionibus, requisitionibus, hortationibus et mandatis predictis parerent, civitatem ac universitatem bononiensem prefatas Studio generali, omnibusque privilegiis, indulgentijs et gratijs apostolicis et imperialibus, vel ab alijs quibuscumque concessis eisdem sub quacumque forma verborum pro predictis Studio, apostolica auctoritate, privavimus. Omnibus insuper magistris et doctoribus ex tunc legendi et docendi in scholis vel magistrales actus in dicto Studio quomodolibet exercendi, nec non scholaribus et studentibus in dicto Studio scholas intrandi, vel aliquos actus scholasticos in eisdem scholis, vel locis alijs exercendi disputando vel legendo, vel alio quovis modo, sub excommunicationis pena, quam ex tunc in ipsos tulimus, et eos si secus facerent, incurrere voluimus ipso facto auctoritate predicta quamlibet interdiximus facultatem, ad penas alias contra eos infallibiliter processuri, si forsam inobedientia posceret eorumdem. Potestati vero, Capitaneo, Barisello, Judicibus, Consiliarijs, Antianis, Rectoribus et officialibus memoratis, quocumque nomine censerentur, sub pena privationis feudorum, bonorum et jurium omnium, que ab eadem romana vel alijs quibuscumque tenebant Ecclesijs, nec non privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum ejus ab eadem Sede sub quavis forma concessorum, quam eos et eorum quemlibet, si mandatis, monitionibus et requisitionibus hujusmodi parere contemnerent, incurrere voluimus ipso facto, auctoritate predicta mandavimus, monuimus et requisivimus eosdem, ut infra predictum terminum duorum mensium, quem eis pro peremptorio assignavimus, omnia et singula predicta officia, que communiter, vel divisim in prefata civitate, seu communitate tunc gerebant et etiam exercebant a se ipsis abdicaret, abjicerent et dimetterent, illa ullatenus resumpturi vel gesturi seu exercituri absque ejusdem Sedis licentia speciali. Processus quoque, quos per eos contra monitiones et mandata hujusmodi, et sententias, quas per ipsos proferri contingeret, nullam penitus obtinere voluimus firmitatem, sed eos et eas fore decrevimus vacuos, cassos, irritos et inanes. Premissas vero excommunicationis sententias, si ipsos incurrere eas contingeret, absque ejusdem Sedis speciali mandato, nisi forte in mortis articulo, relaxari districtius prohibuimus. Omnibus penitentiarijs nostris et alijs quibuslibet confessoribus absolvendi quempiam ab eisdem sententijs, nisi forte in mortis articulo, ut est dictum, omnem prorsus ademimus potestatem. Qui vero in mortis articulo absolutionis beneficium obtinerent, nisi infra duos menses postquam sanitati forent restituti se curarent apostolico conspectui presentare, satisfacturi de suis excessibus, pro quibus dictas sententias incurrerunt, et Sedis ejusdem beneplacitis parituri, eo ipso relaberent in sententias supradictas. Ac nihilominus sollicita tunc consideratione pensantes, quod si super dictis excessibus adversus eosdem episcopum ostensiem, Legatum, et romanam Ecclesiam per Bononienses eosdem detestabilibus ausibus perpetratis apostolice correctionis ultio ulterius differretur, cresceret in alijs adversus eamdem ecclesiam damnabilis presumptionis audacia per impunitatis exemplum propter eorumdem Bononiensium rebellionem et sevitiam, infrascriptum modum tunc citandi eosdem de ipsorum fratrum consilio eligentes per eosdem processus publicos in scriptis habitos edictum

citationis publice continentes, Potestatem, Judices, Capitaneum, Barisellum, Consiliarios, Antianos, Rectores, Consules, universitatem, seu universitates et communitates, nec non episcopum cenectensem, Alamannum de Opicis de Luca militem, Thadeum de Pepulis legum doctorem, Johannem et Jacobum ejus filios, Johannem de Pepulis, fratrem dicti Thadei, Comitem de Pepulis ejus filium et nonnullos alios in dictis processibus tunc expressos, presente multitudine copiosa fidelium in apostolico palatio nostro avinionensi citavimus, ut infra trium mensium, numerandorum ex tunc, spatium, quod eis pro peremptorio termino duximus assignandum, ad nostram super omnibus et singulis excessibus supradictis, nec non damnis et injurijs eisdem romane Ecclesie et Legato et gentibus suis irrogatis, et fructibus et proventibus medio tempore perceptis per eos de civitate bononiensi, comitatu, territorio et districtu predictis, sententiam et nostros processus alios audiendos prenominati omnes et singuli personaliter, universitas vero et communia civitatis, comitatus et districtus predictorum per legitimum sindicum seu procuratorem eorum, comparerent coram nobis et Sede predicta, recepturi pro meritis et nostris precise beneplacitis pariturí, alioquin, sive venirent, sive non, nihilominus procederemus ad premissa prout expediens videremus. Per hec autem, quod sub titulo civitatis vel universitatis Bononiam, vel ejus incolas sub universitatis nomine per processus nostros tunc habitos nuncupavimus, sicut fuimus in eisdem processibus protestati, non intendebamus eis aliquod novum jus tribuere vel penas adimere, quas incurrisse propter prefatos excessus merito noscebantur, prout premissa omnia et singula in eisdem processibus plenius et seriosius continentur. Et ut contra processus hujusmodi omnis calumnie tolleretur occasio, patentes literas, nostra bulla munitas, processus continentes eosdem in majoris avinionensis Ecclesie appendi seu affigi hostiis fecimus; que processus ipsos suo quasi sonoro preconio et patulo judicio publicarent, et nihilominus ex abundanti dictos processus per literas nostras, processus continentes eosdem, in locis et partibus eidem civitati bononiensi convicinis per prefatos florentinum et imolensem episcopos ac rectorem et subdelegatos, seu subexecutores eorum solemniter fecimus publicari. Et quamvis processus huiusmodi per nos sic solemniter apud apostolicam Sedem habiti et tam apud eam, quam in eisdem partibus, ut premittitur dicte civitati vicinis solemniter publicati fuissent, et ad dictorum universitatis, communitatis et populi ac officialium et civium civitatis ejusdem, ut etiam ex subscriptis apparet, communem notitiam pervenissent, prefati tamen universitas, populus et commune, officiales et cives hujusmodi monitionibus, requisitionibus, mandatis et citationi seu citationibus in processibus eisdem contentis infra dictos terminos, et post expectati diutius parere temere et contumaciter non curarunt predictas omnes et singulas excommunicationis in personas, et interdicti in civitatem, comitatum, territorium et districtum predicta, nec non privationis ejusdem Studii, privilegiorum quoque et indulgentiarum ac feudorum et aliorum bonorum, sententias et penas alias contentas in eisdem processibus incurrendo; propter quos nos eosdem universitatem, populum et commune, officiales et singulares personas civitatis ejusdem super premissis omnibus et singulis monitionibus, requisitionibus et mandatis, citatione quoque et citationibus contentis in processibus memoratis declaravimus fuisse et esse inobedientes et etiam contumaces, dictasque omnes et singulas excommunicationis in singulares personas, Potestatis, Capitanei, Barisclli, Judicum, Consiliariorum, Rectorum, Consulum, Antianorum et quorumlibet officialium civitatis ejusdem quocumque nomine censerentur, et interdicti in civitatem, comitatum, territorium et districtum predicta, nec non privationis ejusdem studii, privilegiorum quoque et indulgentiarum et feudorum, et aliorum bonorum sententias et penas alias contentas in eisdem processibus incurrisse. Post quarum penarum et sententiarum incursionem elapso non modico temporis intervallo, predicti commune, universitas et populus bononiensis simulantes se intelligere, ut bene agerent, sed circumventiones et dolos in cubili, ut rerum declarat exitus, potius meditantes, magistros Paulum de Liazarijs decretorum, et Machagnanum de Azzoguidis et Petrum de Bonipetris legum doctores, ambaxiatores, et Rolandum quondam Johannis de Fantuciis sindicum et procuratorem et nuncium specialem eorum, incolas bononienses, ad nostram et ejusdem Sedis presentiam destinarunt, qui coram nobis et eisdem fratribus nostris in consistorio publico comparentes, presente in dicto consistorio tam prelatorum quam aliorum fidelium multitudine copiosa, a nobis ex parte Communis, universitatis et populi predictorum devote et humilis supplicationis, ut prima facie videbatur, instantia, postularunt ut nos, non attendentes ejusdem populi insipientiam et excessus, sed pie considerantes ejusdem Sedis et romane Ecclesie benignitatem et clementiam consuetam, et quod

predicti bononienses fuerant hactenus ejusdem Ecclesie devoti filii, et esse perpetuo proponebant, et quod idem populus in servitio ejusdem Ecclesie contra indevotos ipsius sanguinem suum fundere et bona sua exponere minime dubitarat, populum ipsum dignaremur respicere oculo pietatis, eique redeunti et penitenti sinum et gremium ejusdem Ecclesie misericorditer aperire, dictumque populum dirigere, ut civitas predicta sub alis pietatis nostre et ejusdem Ecclesie posset in pacis plenitudine et pulchritudine gubernari. Idemque sindicus et procurator habens ad omnia et singula infrascripta recognoscenda, tractanda, petenda, supplicanda, facienda, promittenda, juranda, perficienda et complenda speciale mandatum, sindicario et procuratorio nomine constituentium eorumdem devote et humiliter confessus fuit et etiam recognovit, quod ipsa civitas bononiensis, ac comitatus et districtus ejusdem pleno jure in temporalibus quoad dominium et merum et mixtum imperium et omnimodam jurisdictionem ad romanam Ecclesiam in solidum pertinebant, ac etiam pertinuerant ab antiquo, ac juravit ad santa Dei evangelia a se supradictis nominibus et in animas constituentium predictorum, corporaliter sponte tacta, dictos constituentes recognoscere nos et omnes romanos Pontifices successores nostros veros esse eorum dominos, nosque et successores eosdem pro veris eorum dominis in perpetuum habere et tenere, ac nobis, nostro et successorum nostrorum et ejusdem romane Ecclesie nomine, possessionem et quasi civitatis, comitatus et districtus, ac meri et mixti imperij et omnimode jurisdictionis, nec non ceterorum jurium civitatis, comitatus et districtus eorumdem, quibus nos, ac idem predecessor noster et eadem romana Ecclesia fueramus, ut premittitur, spoliati, plene et integre restituere reddere et reintegrare. Et ex tunc idem sindicus et procurator ea omnia et singula nobis et eisdem successoribus ac eidem romane Ecclesie libere sindicario et procuratorio nomine supradicto verbis expressis omnino dimisit, nosque et successores nostros et eamdem romanam Ecclesiam verbis expressis reintegravit et restituit plene et libere ad dictam possessionem et quasi et ad omnia et singula supradicta; et in signum et nomine traditionis hujusmodi corporalis possessionis, et quasi, ac restitutionis et reintegrationis predictarum claves civitatis ejusdem sindicario et procuratorio nomine supradicto nobis in eodem publico consistorio presentialiter tradidit et realiter assignavit, ac promisit solemniter ac juravit nomine et in animas constituentium predictorum, quod infra medietatem tunc proxime future, nunc proxime preterite, quadragesime dicti commune, universitas et populus dictam possessionem, et quasi, omnium et singulorum predictorum illi seu illis personis, quam seu quas ad hec deputaremus, realiter, plene, et integre redderent, restituerent et assignarent nostro et dictorum successorum et dicte Ecclesie nomine recipiendam, habendam et tenendam libere et absque impedimento quocumque. Promisit etiam solemniter, et juravit nomine et in animam constituentium predictorum, quod in civitatem eamdem, ejusque comitatum et districtum Ludovicum de Bavaria, vel quemvis imperatorem seu regem romanorum, vel de ipsorum gentibus aliquem vel aliquos notabilis preeminentie, potentie, seu potestatis, de quo vel quibus posset verisimiliter dubitari seu presumi mutationem status, vel occupationem civitatis ejusdem debere contingere adversus nos et Ecclesiam memoratam non introducerent, non assumerent nec reciperent absque licentia Sedis Apostolice specialis, per ipsius literas concessionem licentie hujusmodi specialiter exprimentes, ac nihilominus idem sindicus et procurator sindicario et procuratorio nomine eorumdem, prout plene poterat ex virtute sindicatus et procuratorij sui per eum nobis oblati, quod in archivo ejusdem romane Ecclesie facimus conservari, ad sancta Dei evangelia, per eum tacta, videlicet quarto idus octobris pontificatus nostri anno quarto juramenta nobis prestitit in hac forma: « *Ego Rolandus quondam fratris Johannis de Fantucijs civis bononiensis, sindicus et procurator civitatis, communis, universitatis et populi bononiensis, promitto et juro nomine et in animas constituentium predictorum, quod civitas, commune, universitas et populus bononiensis, ac comitatus et districtus ejusdem, nec non communia et universitates dictorum comitatus et districtus ab hac hora in antea fideles et obedientes erunt beato Petro, apostolorum principi, et vobis sanctissimo patri et domino nostro domino Benedicto papa duodecimo, vestrisque successoribus canonice intrantibus, sancteque romane Ecclesie; et non erunt in consilio aut consensu, vel facto, quod vitam perdatis aut membrum, aut capiamini mala captione; consilium, quod eis credituri estis, per vos aut per nuncium, seu literas ad vestrum vel dicte Ecclesie damnum scienter nemini pandent; et si sciverint fieri vel procurari seu tractari aliquid quod sit in vestrum vel Ecclesie predicte damnum, illud pro posse impedient, et si impedire non possent illud vobis ac successoribus vestris et ipsi Ecclesie significare curabunt. Papatum romanum et regalia sancti Petri, jura et jurisdictiones vestra, et*

successorum vestrorum et romane Ecclesie, tam in ipsa civitate bononiensi, comitatu, territorio et districtu, quam alibi ubicumque consistentia, adjutores erunt vobis et successoribus vestris et eidem Ecclesie ad retinendum, defendendum et recuperandum, et recuperata manutenendum contra omnem hominem; sic Deus me dictosque constituentes adjuvet, et hec sancta Dei evangelia ». Promisit etiam et juravit dictus sindicus nomine, et in animas constituentium eorumdem, quod dicti commune, universitas et populus bononiensis simile juramentum per eorum legitimum sindicum cuilibet successori nostro canonice intranti nomen romani pontificis, qui tunc erit, et suum etiam exprimendo, prestarent semel, et infra primum annum pontificatus cujuslibet hujusmodi successoris, et quod omnes et singuli mares civitatis, comitatus et districtus predictorum majores quatuordecim annis nobis et cuilibet successori nostro canonice intranti semel infra mensem postquam super hoc fuerint requisiti, videlicet illi vel illis personis, quibus nos vel dicti successores id committeremus, vel committerent; qui quidem commissarius vel commissarij in moderando numero eorum, qui hujusmodi juramentum essent prestituri, et requirendo ad hoc seu requiri faciendo illos, de quibus discretioni ipsius, vel ipsorum videretur, et non alios, plenam potestatem haberent, juramentum fidelitatis prestarent sponte, libere, sub hac forma: « *Ego . . . . civis bononiensis, juro quod ab hac ora in antea fidelis et obediens ero beato Petro principi apostolorum et sanctissimo patri domino meo domino Benedicto pape duodecimo, ejusque successoribus canonice intrantibus, sancteque apostolice romane Ecclesie; non ero in consilio aut consensu vel facto, quod vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione; consilium, quod mihi credituri erunt per se vel per nuncios suos, sive per literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam, et si scivero fieri, vel procurari seu tractari aliquid, quod sit in eorum vel Ecclesie predicte damnum, illud pro posse impediam, et si impedire non potero, illud eis et eidem Ecclesie significare procurabo. Papatum romanum et regalia sancti Petri, jura, jurisdictiones ipsius et successorum suorum ac romane Ecclesie tam in hac civitate, ejusque territorio et districtu, quam alibi ubicumque existentia, adjutor ero ej et ipsis successoribus ac Ecclesie ad retinendum et defendendum et recuperandum et recuperata manutenendum contra omnem hominem. Sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei evangelia* ».

Insuper prefatus sindicus promisit et juravit nomine et in animas constituentium predictorum, quod civitas, commune, universitas et populus bononienses predicti, ac communia et universitates, comitatus et districtus predictorum nunquam conjurationes seu conspirationes aut confederationes, sive colligationes, vel ligas aut societates, seu conventiones, vel pactiones quascumque facerent, nec factis uterentur contra nos vel successores nostros vel contra eamdem sanctam romanam Ecclesiam et jura et honores nostra seu eorum; et quod inimicis seu rebellibus nostris seu successorum nostrorum et ipsius sancte romane Ecclesie non adhererent; vel darent, aut prestarent eisdem quovis modo vel colore quesito, seu quacumque occasione vel causa, consilium, auxilium vel favorem, nec non eo ipso, quod scirent aliquos fore inimicos vel rebelles nostros vel successorum nostrorum seu ejusdem sancte romane Ecclesie, civitas, commune, universitas et populus bononienses, et eorum comitatus et districtus supradicti, et eorum communia et universitates reputarent et tenerent et haberent tales omnes et singulos tamquam inimicos eorum proprios hostes et rebelles manifestos. Idem quoque sindicus et procurator nobis recipientibus nomine nostro et successorum nostrorum et ejusdem romane Ecclesie promisit et juravit nomine et in animas constituentium predictorum, quod quandocumque nos vel successores nostri, seu aliquis eorumdem successorum canonice intrantium, vel collegium Cardinalium romane Ecclesie, apostolica Sede vacante, mandaremus seu mandarent, assereremus seu assererent, diceremus seu dicerent indigere pro terris ejusdem romane Ecclesie temporali jurisdictioni subjectis, super qua indigentia nostre et eorumdem successorum cujuslibet ac ejusdem collegii, Sede vacante, assertioni vel simplici verbo staretur, dicti communitas, universitas et populus bononienses super hoc per nostrum vel dictorum successorum nostrorum, vel dicti collegii, Sede vacante, nuncium requisiti, ducentos homines equites bonos, equis et armis bene ac decenter munitos, in obsequium et subsidium ejusdem sancte romane Ecclesie infra septuaginta miliaria dumtaxat a civitate predicta computanda, transmitterent et tenerent per tres menses integros anno quolibet, eorum expensis in servitio romane Ecclesie moraturos, nisi dicta civitas tunc esset obsessa, vel contra eam vel ejus districtum actualis guerra vera, non ficta, tunc forsan moveretur. Promisit etiam idem sindicus et juravit nomine et in animas constituentium predictorum quod super damnis et injuriis, que per dictos bononienses eidem Bertrando episcopo ostiensi, et

prefatis nivernensi, tunc bononiensi, et mirapicensi episcopis dicebantur illata, commune, populus et universitas bononienses predicti starent et parerent cum effectu voluntati et ordinationi venerabilis fratris nostri Ainibaldi episcopi tusculani super ijs in romana Curia faciende, et quod super damnis et injuriis, que familiaribus ejusdem episcopi ostiensis et personis alijs tunc existentibus in suo vel Ecclesie romane servitio per ipsos bononienses irrogata fuerunt, starent effectualiter et parerent totali ordinationi et voluntati nostre, vel illius, seu illorum, cui vel quibus, et ubi, hoc duceremus committendum.

Promisit insuper et juravit idem sindicus nomine et in animas constituentium eorumdem, quod damna omnia et singula per ipsos commune, populum et universitatem dicte civitatis eidem Ecclesie romane, vel alijs ecclesijs et personis ecclesiasticis civitatis, comitatus et districtus predictorum in rebus immobilibus vel mobilibus ac juribus seu bonis quibuscumque quomodolibet irrogata, dicti commune, universitas et populus bononienses eidem Ecclesie romane et alijs lesis ecclesijs et personis ecclesiasticis plene resarcirent, et bona per ipsos eisdem romane et alijs ecclesijs et personis ecclesiasticis ablata vel occupata seu detenta per eos eisdem romane et alijs ecclesijs et personis ecclesiasticis cum integritate restituerent, et in pace dimitterent, et damna illata et bona hujusmodi occupata per singulares personas ipsorum facerent quantum pertinerent ad eosdem universitatem, commune et populum integraliter resarciri et restitui, et in pace dimitti eisdem romane et alijs ecclesijs et personis ecclesiasticis memoratis, ipsasque romanam et alias ecclesias et personas ecclesiasticas in suis libertatibus, bonis ac juribus et jurisdictionibus quibuscumque conservarent, eaque minime usurparent; et si contrarium per aliquem vel aliquos foret attentatum, id, cum ad ipsorum notitiam perveniret, facerent eis, ad quos pertineret, quam citius possent, commode emendari.

Promisit etiam nomine constituentium predictorum, quod ipsi permitterent libere quod expulsi de civitate seu comitatu vel districtu predictis, ratione partialitatis dumtaxat, non tamen banniti propter excessus vel maleficia eorumdem, que propter partialitatem vel ex causis confictis eis imposita non fuissent, recuperarent bona sua, ac perciperent libere, et percipere fructus et redditus quorumcumque bonorum suorum, et etiam ipsa bona, que tempore expulsionis hujusmodi obtinuerant in civitate, comitatu et districtu predictis quantumcumque dicta bona extitissent publicata, nisi forsan in eis, non ratione publicationis hujusmodi, sed alias alteri private persone fuisset legitime jus quesitum, dum tamen dicti expulsi contribuerent in oneribus communis dicte civitatis bononiensis, sicut alij cives ipsius, dictamque civitatem in aliquo non impugnarent, ac mandatis dicti communis juxta statuta et consuetudines rationabilia civitatis ejusdem parerent in injunctis sibi confinibus et terminis observandis, et quod, si redire ad civitatem ipsam vellent, possent cum pace et securitate communis et civium civitatis ipsius redire, et in eadem civitate secure sicut cives ceteri commorari, ita tamen quod omnia et singula supra et infra per dictum sindicum sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum acta, gesta, promissa, oblata, data, constituta et jurata, velut boni cives et devoti ejusdem ecclesie ratificarent, approbarent, confirmarent; et quod, sive extra civitatem predictam in injunctis sibi terminis seu confinibus morarentur, sive in dictam civitatem regressi forent et reducti, juramentum fidelitatis nobis et successoribus nostris et romane Ecclesie juxta formam superius expressam, quam alij cives bononienses nobis dictisque successoribus et eidem Ecclesie prestare debent, que incipit: « *Ego . . . . civis etc.* », prestare teneantur; addendo expresse in juramento predicto, quod Ludovico de Bavaria, ejusque complicibus et sequacibus ac alijs indevotis ejusdem Ecclesie nullatenus adhererent publice vel occulte, nec eis prestarent auxilium, consilium vel favorem.

Idem quoque sindicus promisit et juravit, et in animas constituentium predictorum, quod super omnibus et singulis damnis et injuriis in expulsione predicta, vel occasione ipsius, nobis vel dicto predecessori nostro seu romane Ecclesie per dictos commune, universitatem et populum civitatis prefate, vel per singulares personas ipsius, vel comitatus et districtus predictorum quomodolibet irrogatis, predicti civitas, commune, universitas et populus bononiensis, ac communia et universitates, comitatus et districtus predictorum et singulares persone ipsorum omnimode ordinationi, voluntati, dispositioni et beneplacitis nostris, vel successorum nostrorum alte et basse cum effectu parerent et starent, omnemque penam, mulctam ac penitentiam, quam et quas ob premissa et ipsorum omnium et singulorum omnium occasione imponeremus, vel dicti successores

imponerent eisdem, acceptarent, sustinerent, portarent, complerent, solverent et perficerent juxta nostre et dictorum successorum beneplacitum voluntatis; et quod si aliqua statuta forent in civitate predicta contra dictam romanam Ecclesiam vel ecclesiasticam libertatem, vel que possent in aliquo derogare predictis vel infrascriptis, essent cassa et irrita et nullam habentia firmitatem; ac ea prefati commune et populus bononiensis tollere et delere infra certum terminum tunc expressum de ipsorum libris et cartulariis tenerentur, ipsa nullatenus servaturi, nec eadem ulterius vel similia in eorum libris vel cartulariis reposituri vel etiam conscripturi. Quibus siquidem recognitionibus, promissionibus, restitutionibus et reintegrationibus hujusmodi factis per sindicum et procuratorem predictum per verba prefata et juramentis per eum prestitis, ut prefertur, nobisque per dictum sindicum sindicario et procuratorio nomine humiliter supplicato, ut facta primitus secundum predicta juramenta per eum prestita, et promissiones ab eo solemniter factas sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum per dictos commune, universitatem et populum dicte civitatis bononiensis restitutione et reintegratione et traditione integra, plenaria et reali nobis et eidem romane ecclesie de civitate, comitatu et districtu predictis ac mero et mixto imperio et omnimoda jurisdictione, ceterisque juribus eorumdem civitatis, comitatus, districtus et posssessione, et quasi ipsorum, ac retentis et reservatis perpetuo nobis et successoribus nostris romanis pontificibus canonice intrantibus et eidem romane ecclesie civitate bononiensi, comitatu et districtu predictis, ac pleno dominio, jurisdictione et potestate et principatu ipsorum et possessione totali eorumdem, et per ipsos etiam commune, universitatem et populum dicte civitatis, et per singulares personas civitatis ipsius super hoc ad sonum campane solemniter more solito, prout in majoribus et arduis ipsorum negotijs consuetum extitit, congregandos, acceptatis, approbatis, ratificatis, emologatis, confirmatis, concessis, ac juratis specifice, singulariter et expresse omnibus et singulis articulis in presentibus literis comprehensis, et ab eodem sindico et procuratore ipsorum nomine recognitis, confessatis, narratis, concordatis, promissis et juratis eisdem communi, universitati et populo circa nominationem per eos faciendam personarum in Potestatem et Capitaneum ejusdem civitatis assumendarum, et per nos vel successores nostros seu collegium Cardinalium sancte romane ecclesie, Sede vacante, concedendarum eisdem certis modo et forma tunc in literis nostris expressis, facere gratiam dignaremur nonnullis alijs ab eodem sindico et procuratore sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum postulatis a nobis, cujus postulationibus certis modo et forma, ubi dicti commune, universitas et populus non simulate sed vere procederent, ac premissa solemnitate servata, secundum predicta juramenta et promissiones per dictum sindicum factas sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum, acceptarent, approbarent, ratificarent, emologarent, confirmarent, concederent; ac jurarent specifice, singulariter et expresse omnes et singulos articulos in dictis literis nostris comprehensos, et per dictum sindicum et procuratorem ipsorum nomine recognitos, confessatos, narratos, concordatos, promissos et juratos duximus annuendum.

Et in signum dominij et superioritatis ejusdem romane Ecclesie aliorumque jurium, que dicta Ecclesia habet in civitate, comitatu, districtu predictis, et recognitionem devotionis et subjectionem dictorum civitatis, universitatis, communis et populi bononiensium eidem romane Ecclesie debitarum, prefatus sindicus et procurator, habens ad hoc a predictis civitate, communi, universitate et populo speciale mandatum et plenariam potestatem, sindicario et procuratorio nomine eorumdem, in nostra et dictorum fratrum presentia obtulit, dedit et constituit nobis et successoribus nostris romanis pontificibus canonice intrantibus et eidem romane Ecclesie in perpetuum pro civitate, comitatu et districtu predictis, certum censum, ac promisit et juravit nomine et in animas constituentium predictorum dictum censum ubicumque romanus pontifex esset, ipsis romano pontifici, qui esset pro tempore, et romane ecclesie vel eidem ecclesie ubi ipsa foret, Sede vacante, in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, tam pro presenti anno quam perpetuis futuris temporibus, ipsorum communis, universitatis et populi sumptibus et expensis, annis singulis solvere et integraliter assignare sub certis penis et sententiis in dictis literis nostris tunc expressis, si per eos in solutione census ejusdem cessatum foret in predicto et aliis terminis ad hec specialiter assignatis.

Idemque sindicus et procurator promisit solemniter et juravit, nomine et in animas constituentium predictorum, se facturum et curaturum cum effectu, quod premissa per dictum sindicum et procuratorem acta, gesta, promissa, oblata, data, constituta et jurata, et alia omnia et singula

supradicta sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum, constituentes ipsi rata et grata haberent perpetuo et tenerent, observarent et adimplerent, et quod contra ea vel ipsorum aliquod nullo tempore facerent vel venirent aliqua ratione, occasione, colore vel causa, ipsaque omnia et singula supra et infrascripta constituentes prefati infra dictam medietatem proxime tunc future, nunc proxime preterite, quadragesime in presentia nuncij seu nunciorum nostri vel nostrorum, quem vel quos ad hoc deputaremus et ad civitatem eamdem duceremus propterea destinandum vel destinandos, ac in eorum generali Consilio ad hoc specialiter convocando et faciendo in civitate prefata, ut est moris fieri et observari in arduis et majoribus negotiis civitatis ejusdem, affirmarent, confirmarent, ratificarent et emologarent specifice, singulariter et expresse, et ea etiam ipsi constituentes solemniter, singulariter et expresse promitterent et jurarent, et ad omnia et singula premissa observanda et complenda se solemniter obligarent sub certa pena romane ecclesie et ejus Camere toties committenda et persolvenda quoties venirent contra premissa vel aliquod premissorum.

Insuper sindicus et procurator predictus, sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum, nobis humiliter supplicavit, ut premissa omnia et singula per eum nomine dictorum constituentium recognita, promissa, restituta et reintegrata, gesta et jurata ac oblata, data et constituta nobis et successoribus nostris romanis pontificibus et eidem romane ecclesie per eum cum predictarum adjectione penarum recipere et acceptare, ac rata ac grata habere et tenere, eaque apostolico fulcire presidio in perpetuum, et nonnulla alia postulata per eum nomine supradicto eis ad beneplacitum Sedis ejusdem dumtaxat concedere, ac commune, universitatem et populum supradictos cum cordis contritione ac penitentia et amaritudine mentis, ut dictus sindicus pretendebat, veniam et misericordiam implorantes, et ad ejusdem ecclesie mandata humiliter redeuntes, ad ipsius ecclesie gremium recipere, ac eos nec non comitatum et districtum ac commune, et universitates et singulares personas ipsorum obedientes dicto communi, seu obedire volentes ac jurantes, approbantes et ratificantes omnia et singula supradicta ab omnibus processibus contra eos et eorum quemlibet per nos et etiam per dictum episcopum ostiensem, tunc Legatum factis, nec non penis per constitutionem pie memorie Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, que incipit: « *Felicis* », contra civitatem eamdem ac officiales et singulares personas ipsius ob predictos excessus promulgatis, absolvere et super iis eis providere de opportuno remedio misericorditer dignaremur. Nosque de devotione ipsorum et reversione ad sinum ejusdem ecclesie, quam veram, non simulatam, existere credebamus, plurimum exultantes, factasque per eumdem sindicum et procuratorem nobis recipientibus nomine nostro et successorum nostrorum romanorum pontificum canonice intrantium, ac ejusdem romane ecclesie recognitiones, promissiones, restitutiones et reintegrationes hujusmodi, oblationem quoque, dationem, constitutionem et promissionem cum juramenti prestatione, nomine et in animas constituentium predictorum annui census predicti, et certi alterius servitij de certa quantitate equitum armatorum pro terris ejusdem ecclesie nobis dictisque successoribus et eidem ecclesie, ut premittitur, faciendi, cum super hec per Sedem eamdem existerent requisiti de fratrum nostrorum consilio et assensu, quamdiu nostre et dictorum successorum nostrorum romanorum pontificum voluntati placeret, recepimus, ratificavimus et approbavimus expresse, et eas ex certa scientia, auctoritate apostolica, habere decrevimus perpetuam firmitatem.

Et ut eo plenius dicti commune, universitas et populus eisdem Sedi et romane ecclesie sincere affectionis vinculis necterentur, quo erga se ipsarum benevolentiam sentirent in remissionis et indulgentie gratia promptiorem sub infrascripta moderatione, cum eis misericorditer procedentes, sententiam interdicti, cui civitas, comitatus, territorium et districtus bononienses nec non universitas civitatis ejusdem et alie universitates et communia eorumdem erant per dictos nostros et ejusdem Legati processus et constitutionem eamdem, vel provincialia, seu sinodalia statuta et etiam sacros canones, pro premissis in dictis processibus nostris contentis supposita, penas quoque et sententias in eisdem contentas processibus, nec non in dicta constitutione Bonifacij contra prefatas civitatem et universitatem bononienses super privatione Studii generalis, omniumque privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum apostolicorum et imperialium, et ab alijs quibuscumque concessorum et concessarum eisdem usque ad medietatem tunc proxime future quadragesime, nunc preterite, apostolica auctoritate de dictorum Fratrum nostrorum consilio duximus suspendendas; disponentes cum dictis Fratribus super hoc deliberatione prehabita, quod

quamprimum prefati commune, universitas et populus bononienses predicti per dictum sindicum et procuratorem eorum promissa, oblata, data, constituta, restituta et jurata, et alia omnia et singula supradicta acta et gesta per dictum sindicum sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum, omnesque et singulos articulos in dictis nostris literis comprehensos, in pleno, solemni et generali eorum Consilio, prout in arduis majoribus et solemnibus negotijs civitatis ejusdem extitit hactenus observatum, ad hoc specialiter convocando et faciendo in civitate prefata, acceptarent, ratificarent, emologarent, confirmarent et jurarent specifice, singulariter et expresse, ac realiter et corporaliter corporalem possessionem plenam et pacificam ac manentem et duraturam, et quasi, civitatis, comitatus et districtus bononiensium predictorum, ac meri et mixti imperij et omnimode jurisdictionis, nec non ceterorum jurium civitatis, comitatus et districtus ipsorum in eisdem literis nostris specialiter et generaliter expressorum plene et integre restituerent, redderent et assignarent, nobis vel nuncio seu nunciis nostris, quem vel quos ad hoc deputaremus, recipientibus nostro et dictorum successorum et ejusdem romane ecclesie nomine, dictamque possessionem, et quasi, civitatis, comitatus et districtus, ac meri et mixti imperii et omnium jurium predictorum plenam et pacificam nobis et dictis nuntijs, postquam per nos seu illos recepta, apprehensa, detenta et habita foret, ut prefertur, pacifice, libere et quiete dimitterent; et de acceptatione, approbatione, ratificatione, emologatione, confirmatione et juratione predictis, nec non restitutione, redditione, assignatione et dimissione possessionis, et quasi, hujusmodi nobis per publicum et authenticum instrumentum tabellionis, publica manu scriptum et sigillo dicti communis sigillatum nobis manualiter, et realiter assignandum infra dictum terminum medie quadragesime foret plenaria facta fides eisdem communi, universitati et populo omnia et singula supradicta postulata et petita per eos cum omnibus conditionibus, honoribus et oneribus, modis et formis in dictis literis enarratis concedere gratiose, omnesque sententias atque penas per dictos processus nostros et ejusdem Legati et constitutionem eamdem, ac provincialia seu sinodalia statuta contra prefatam civitatem, universitatem, commune et populum bononienses tam super privatione Studij generalis, omniumque privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum apostolicorum et imperialium, et ab alijs quibuscumque concessorum et concessarum eisdem, quam alias adversus eos quomodolibet occasione predictorum excessuum promulgatas tollere, relaxare et totaliter abolere, dictisque communi, universitati et populo, nec non universitatibus, comitatus et districtus predictorum ac singularibus personis ipsorum per restitutionis, absolutionis et dispensationis beneficium, seu beneficia, prout eorum fame, statui et saluti cognosceremus expediens, plenarie et salubriter providere.

Et quia propter ingratitudinis vitium nonnunquam beneficia revocantur, volumus, sicut etiam idem sindicus et procurator expresse voluit et consensit et juravit sindicario et procuratorio nomine et in animas constituentium predictorum, quod, si dicti commune, populus et universitas premissa per prefatum sindicum et procuratorem eorum, ipsorum nomine acta, gesta, restituta, promissa, data, concessa et constituta, jurata, et alia omnia et singula supradicta infra dictam medietatem tunc proxime future quadragesime non approbarent, ratificarent et jurarent, ut prefertur, et se illa servaturos obligarent, et approbationem, ratificationem et juramentum hujusmodi infra dictam mediam quadragesimam nobis non mitterent et assignarent, et fidem non facerent per publicum instrumentum, tabellionis publica manu scriptum, sigilloque communis eorum sigillatum, nobis manualiter et realiter assignandum, si post approbationem, ratificationem et juramentum hujusmodi predicta non servarent, vel contrafacerent, quod interdicti, seu interdictorum, et privationis Studii et aliarum predictarum penarum relaxatio, et in integrum, et alie restitutiones et concessiones et gratie super premissis principaliter et incidenter, ac dispensationes per nos seu de mandato nostro facte, essent casse, vacue, irrite et inanes, et haberentur penitus pro non factis, et quod in easdem penas et sententias, quibus antea tenebantur, reciderent ipso facto, prout in eisdem literis nostris super iis omnibus et singulis confectis plenius et seriosius continetur.

Et ut executio premissorum omnium et singulorum debita sequeretur ad predictorum ambaxiatorum ac sindici et procuratoris instantiam, dilectum filium magistrum Guigonem de Sancto Germano, prepositum ecclesie aniciensis, notarium nostrum, virum utique circumspectionis industria ac literarum scientia preditum et in magnis et arduis agendis expertum, ad civitatem, comitatum et districtum bononienses predictos specialiter duximus destinandum, sibi per alias

nostras literas committentes, ut predictis literis nostris premissorum omnium seriosam seriem continentibus, dictis universitati, communi et populo civitatis ejusdem publicatis solemniter et expositis diligenter, factaque prius per eos actualiter, realiter et corporaliter restitutione et assignatione corporalis possessionis, et quasi, civitatis, comitatus et districtus predictorum, ac meri et mixti imperii et omnimode jurisdictionis, ceterorumque jurium predictorum ad nos et romanam ecclesiam pleno jure spectantium sibi, recipienti nostro et successorum nostrorum ac romane ecclesie predictorum nomine, ac per eumdem notarium nomine supradicto hujusmodi reali et corporali possessione, et quasi, recepta, apprehensa, et habita pacifice et quiete, factis etiam per constituentes eosdem recognitionibus, ratificationibus, acceptationibus, affirmationibus, confirmationibus et emologationibus cum juramentorum prestationibus, obligationibus quoque super dicto censu et alijs omnibus et singulis contentis in dictis literis distincte, specialiter et expresse, ac premissis omnibus juxta promissiones, obligationes et juramenta dicti sindici ac secundum formam, modum et ordinem in eisdem literis nostris expressos debite et efficaciter adimpletis, et de ijs omnibus et singulis confectis publicis instrumentis juxta dictarum formam et seriem literarum, idem notarius predicta omnia postulata et petita per dictum sindicum secundum dispositionem nostram in literis prefatis expressam cum omnibus conditionibus, honoribus et oneribus ac modis et formis enarratis in literis supradictis, eisdem communi, universitati et populo apostolica auctoritate concederet de nostra et ipsius Sedis gratia speciali, omnesque sententias atque penas per dictos processus et ejusdem Legati et constitutionem ejusdem Bonifacii, que incipit: « *Felicis* », et alios canones ac provincialia et sinodalia statuta contra dictos civitatem, commune, universitatem et populum bononienses ac comitatum et districtum ipsorum, tam super privatione Studii generalis civitatis ejusdem omniumque privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum apostolicarum et imperialium et ab aliis quibuscumque concessorum eisdem, quam alias quomodolibet occasione dictorum excessuum promulgatas auctoritate predicta, omnino relaxaret, tolleret et auferret, cassaret, irritaret et totaliter aboleret dictum Studium generale cum omnibus privilegiis, indulgentiis et gratiis supradictis, restituendo et reintegrando eisdem in omnibus et per omnia, sicut illud ante patrationem dictorum excessuum obtinebant.

Omnibus insuper personis ecclesiasticis et secularibus civitatis, comitatus et districtus predictorum de absolutionis ab excommunicationum sententijs, quas propter excessus et culpas contra dictum Legatum aliosque prelatos et personas ecclesiasticas tunc existentes in comitiva ipsius ac familiares ejusdem, nec non officiales prefate romane ecclesie tunc in civitate, comitatu et districtu predictis morantes, faciendo insultus, aggressuras, spoliationes, obsidiones, cedes, vulnerationes, captiones, detentiones, incarcerationes et alia adversus eos maleficia perpetrando, flagitioso et sacrilego ausu per eos commissos, per processus nostros et dicti Legati, dictamque constitutionem et alios canones, seu provincialia et sinodalia statuta, vel alias premissorum occasione ab homine vel a jure prolatas incurrerant quoquomodo, et etiam illis personis ecclesiasticis, et eisdem qui predictis ligati sententiis per simplicitatem et juris ignorantiam, non tamen in contemptum clavium divina officia celebrarant vel se ingesserant eisdem super irregularitate propterea contracta de dispensationis beneficio providendo, prout in eisdem literis prefato notario directis plenius continetur.

Et quamvis dictus notarius se ad civitatem predictam personaliter conferens, receptus in palatio Communis civitatis predicte quod prefatus Thadeus de Pepulis tunc habitabat, et adhuc dicitur habitare, usurpans dominium et exercens tirannidem in civitate prefata, eidem Thadeo ac universitati, populo et Communi et civibus supradictis, tunc per dictum Thadeum ad prefatum palatium convocatis, exposuisset premissa, ad que per nos de dictorum Fratrum nostrorum consilio ad dictam civitatem fuerat destinatus, sperans eos invenire paratos et promptos ad perficienda et complenda omnia supradicta per prefatum sindicum et procuratorem eorum sindacario et procuratorio nomine eorumdem acta, gesta, restituta, promissa, data, concessa, constituta et jurata et alia omnia et singula supradicta, idem tamen Thadeus nomine suo et dictorum ambaxiatorum, videlicet Pauli de Liazarijs, Machagnani de Azzoguidis et Petri de Bonipetris, nec non aliorum civium ibidem in dicto palatio presentium, ut asseruit, ab iis que per dictum sindicum et procuratorem sindicario et procuratorio nomine eorumdem solemniter coram nobis et eisdem fratribus nostris gesta, promissa et jurata fuerant, inverecunda et obstinata elatione recedens, dixit et respondit, quod multa, que fere impossibilia posse fieri, videbantur in

dictis literis nostris dicto notario et nuncio nostro commissis seu directis erant contenta, nec attendens quod in eadem civitate, in qua merum et mixtum imperium et omnimoda jurisdictio, nec non facultas creandi et ponendi Potestatem, Capitaneum ac Conservatorem et alios officiales principales civitatis ejusdem, eisque exercitium meri et mixti imperij ac jurisdictionis hujusmodi committendi ad nos dictosque successores nostros et eamdem romanam ecclesiam pertinere noscuntur, et quod idem sindicus et procurator sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum hujusmodi merum et mixtum imperium et omnem jurisdictionem in nostra et dictorum Fratrum et multitudinis copiose presentia publice confessus fuerat et recognoverat, ad nos dictosque successores nostros et romanam ecclesiam pertinere contra hujusmodi confessionem et recognitionem sponte factam, bonam fidem et veritatem continentem, venire non veritus, presumpsit asserere quod ipse erat electus concorditer per commune et populum civitatis bononiensis perpetuo ad vitam suam in Conservatorum civitatis predicte, et quod intentionis sue erat omnimode in eodem officio Conservatoris manere, vivere et stare usque ad mortem suam, et quod jam equus suus, ut ejusdem Thadei verbis utamur, in tantum ante processerat, quod non poterat retroire, plura alia nomine suo ac universitatis, communis et populi et civium predictorum ibidem presentium dicendo et premissis addendo, suam electionem, tiramnidem et manifestam deviationem et indevotionem ad eamdem romanam ecclesiam sapientia, que propter eorum inconvenientiam et insaniam presentibus duximus subticenda, queve eorum, que dicti ambaxiatores ac prefatus sindicus et procurator eorum publice in nostra et dictorum fratrum et multitudinis copiose presentia solemniter protestati et confessi dilucida et publica voce fuerant, dictusque sindicus nomine supradicto juramentorum prestatione firmaverat inficiationem, prevaricationem, recidivationem in culpas pristinas ac renovationem earum et reatum perjurij evidentius ostendebant quasdam moderationes, ut dicebant, per nos fieri, postulando, que re vera moderationes non erant, sed modum et modestiam excedentes immoderationem potius sapiebant, ac promissa, gesta, acta, jurata, et alia omnia et singula supradicta habita per sindicum et procuratorem prefatum in ludibrium et evacuationem deducere videbantur, quorum videlicet Thadei, communis, universitatis et populi et civium idem notarius noster versutias atque dolos cognoscens et experiens manifeste, postquam per plures dies insistens monitis et monitionibus eorumdem, ut eos a ruina casus averteret, et ad gremium nostrum et ejusdem matris ecclesie revocaret, inibi moram traxit, videns quod nihil proficeret apud eos absque aliqua premissorum efficacia, non sine magna nostra et ejusdem romane ecclesie injuria et contemptu, ad nos et dictam ecclesiam fuit reversus, prout idem notarius de premissis omnibus et singulis per eum gestis et per Thadeum, universitatem et populum et commune et cives predictos responsis, dictis, factis et habitis nobis et eisdem fratribus nostris tam vive vocis oraculo, quam per publicum instrumentum tabellionis publica manu scriptum, qui una cum dicto notario presens fuerat in premissis, fecit relationem certam, plenariam et fidelem; cujus implacida relatione audita et per eam de illusione, circumventione et dolis et reatu perjurij dictorum communis, universitatis et populi, et Thadei et civium bononiensium prefatorum, et etiam per claram et notoriam experientiam informati adhuc post lapsum dicte medie quadragesime eorum reditum, quamvis frustra, ad sinum ejusdem ecclesie atque nostrum per plures menses duximus expectandum.

Cum autem idem Thadeus pro Conservatore, nec non alii pro Potestate, Capitaneo, Barisello, Judicibus, Consiliariis, Rectoribus, Consulibus, Antianis et quibuslibet officialibus civitatis ejusdem, quocumque nomine censeantur, se gerentes, ac universitas, populus et commune et cives predicti predictis excessibus atque culpis violationem et temerationem promisse fidei et reatum perjurij, juramenta predicta minime adimplendo, culpasque continuate inobedientie et contumacie aggregantes post lapsum predicte medie quadragesime in omnes predictas penas et sententias, tamquam filij maledictionis et ingratitudinis miserabiliter recidisse noscantur, ac propterea dictus Thadeus pro Conservatore et alij supradicti pro Potestate, et Capitaneo, Barisello, Judicibus, Consiliariis, Rectoribus, Consulibus, Antianis et quibuslibet officialibus civitatis ejusdem, quocumque nomine censeantur, se gerentes, in predictam excommunicationis sententiam reciderint ipso facto, ac civitas, comitatus, territorium et districtus prefata eo ipso sint supposita ecclesiastico interdicto, nec non civitas ac universitas bononienses prefate in predictas penas et sententias privationis ejusdem Studii generalis omniumque privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum apostolicorum ac apostolicarum et imperialium, et ab aliis quibuscumque concessorum et concessarum eisdem,

sub quacumque verborum forma noscantur, etiam recidisse. Ac insuper omnes magistri et doctores, qui ante tempus suspensionis hujusmodi per nos facte contra primos processus per nos, occasione predictorum excessuum habitos, vel post lapsum ejusdem medie quadragesime proxime preterite, in qua dictarum penarum et sententiarum suspensio per nos misericorditer facta propter dictorum bononiensium inobedientiam et obstinatam eorum in malis perseverantiam expiravit, legere, docere in scholis vel magistrales actus in dicto Studio in eadem civitate, vel etiam in ejus suburbijs, sicut quidam eorum fraudolenter presumpsisse dicuntur, quomodolibet exercere, nec non scholares et studentes in dicto Studio in eadem civitate vel ejus suburbijs scholas intrare vel aliquos actus scholasticos in eisdem scholis vel locis aliis exercere, disputando vel legendo vel alio quovis modo presumpserunt, incurrerunt excommunicationis sententiam ipso facto; nec non universitas, populus et commune ac constituentes prefati, in quorum animas dictus sindicus et procurator sindicario et procuratorio nomine eorumdem prefata prestitit juramenta, in reatum perjurii sint prolapsi. Prenominati vero pro Potestate, Capitaneo, nec non Thadeus de Pepulis pro Conservatore se gerentes, et quivis alii pro Barisello, Judicibus, Consiliarijs, Antianis, Rectoribus et officialibus, quocumque nomine censeantur, se gerentes, ex eo quod predictis monitionibus, requisitionibus et mandatis infra predictum terminum duorum mensium per nos eis peremptorie assignatum contumaciter non parentes, omnia et singula predicta officia, que communiter vel divisim in prefata civitate, seu communitate hactenus gesserant et exercuerant, et tempore hujusmodi nostrorum processuum gerebant et exercebant a se ipsis non abdicarunt, abjecerunt et dimiserunt illa nullatenus resumpturi seu gesturi vel exercituri absque ejusdem Sedis licentia speciali, penam privationis feudorum, bonorum et jurium omnium, que ab eadem romana, vel aliis quibuscumque tenebant ecclesiis, nec non privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum eis ab eadem Sede sub quavis forma concessorum, similiter se incurrisse noscantur. Processus quoque per eos contra monitiones et mandata hujusmodi habiti, et sententie per eos late nullam obtineant penitus firmitatem, sed sint omnino vacui, cassi et inanes, sitque eis propterea tot excessibus atque culpis respersis, et reatibus irretitis, totque penis et sententiis digno Ecclesie judicio innodatis, quamdiu in hujusmodi inobedientia, contumacia et indevotione permanserint, cunctorum devotorum fidelium participum subtrahendum.

Precipimus universis et singulis Christifidelibus, et specialiter regibus, marchionibus, comitibus, baronibus, communitatibus et universitatibus, ac personis singularibus civitatum, castrorum, villarum et aliorum quorumcumque locorum, et monemus eosdem ne predicto Thadeo de Pepulis se pro conservatore, ceterisque personis pro Potestate seu Capitaneo vel aliis officialibus se gerentibus, quocumque nomine censeantur, pareant vel intendant, vel eis in hujusmodi eorum inobedientia et contumacia persistentibus prestent auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, neve super ijs societatem, conjurationem aut fedus aliquod iniant cum eisdem. Si qui autem contra precepta et inhibitiones hujusmodi per se vel alium seu alios, quibuscumque dolo, arte vel machinatione fecerint, cujuscumque fuerint preeminentie, dignitatis, conditionis aut status, excommunicationis sententia, quam ex nunc in illos ferimus, ipso facto se noverint innodatos; civitates quoque et communitates quaslibet, que contra precepta et monitiones hujusmodi quibuscumque fraude, dolo, ingenio, arte, vel machinatione venire presumpserint, ecclesiastice sententie interdicti, quam ex nunc in illos ferimus, volumus subjacere. Aperte quoque predicimus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et alijs inferioris gradus prelatis, quod si contra monitionem et precepta nostra premissa vel eorum aliquod venire attentaverint, nos eos omni ecclesiastice dignitatis honore, ceteros autem clericos non prelationis officium, sed dignitates forsitan, vel personatus, aut alia quevis ecclesiastica beneficia obtinentes et obtentis privare curabimus et inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout nobis facti qualitas suggeret et justitia suadebit. Laicis vero cujuscumque preeminentie, dignitatis, conditionis aut status denunciamus expresse, quod si contra monitionem et precepta nostra hujusmodi per se vel alium seu alios temere veniendo, ea non curaverint observare, nos tante temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipsos feudis et alijs omnibus que a predicta romana et alijs ecclesijs ac personis ecclesiasticis obtinere noscuntur, privare, et vassallos eorum, si quos habent, a fidelitatis juramento quo tenentur eisdem, reddere penitus absolutos, et alias contra ipsos secundum justitiam procedere, Deo auctore, curabimus, prout eorum culpe exegerint et viderimus expedire. Nos insuper confederationes, seu colligationes quaslibet, si que dicti universitas, communitas et

populus bononienses cum quibuscumque civitatibus, communitatibus vel singularibus personis inierant, vel eis in hujusmodi indevotione persistentibus inient in futurum, irritas fore decernimus et inanes, juramenta de illis servandis, vel alias quomodocumque pro predictis hinc inde prestita relaxantes omnino, ad penas alias contra eos infallibiliter processuri, si forte inobedientia seu contumacia exegerit eorumdem. Per hoc autem quod sub titulo seu vocabulo civitatis, Bononiam et ejus incolas sub universitatis vel communitatis nomine presentibus nuncupamus, non intendimus eis aliquod novum jus tribuere, vel penas adimere quas propter prefatos excessus incurrisse noscuntur. Et licet prefatum publice citationis edictum sic solemniter habitum apud apostolicam sedem sicque in diversis civitatibus et locis alijs solemnibus eidem civitati Bononiensi vicinis palam et publice postmodum etiam solemniter publicatum, ac recognitiones, promissiones, juramentorum prestationes et alia gesta et habita apud sedem eamdem per dictum sindicum et procuratorem dictorum communis, universitatis et populi bononiensium procuratorio et sindicario nomine constituentium predictorum plene sufficere dignoscantur ad ulteriores processus contra prefatos commune, universitatem et populum ac officiales quoslibet et singulares personas civitatis ejusdem, nec non dictos citatos, et quoslibet patratores excessuum predictorum juxta dictam constitutionem ejusdem Bonifacij et alia jura, et alias, prout predictorum excessuum atrocitas eorumque variatio et promissionum ac iuramentorum violatio et in pristinas culpas recidivatio exigunt juste habendos, citatione alia non opus sit, ex abundanti tamen prefatos commune, universitatem et populum ac officiales quoslibet, quocumque nomine censeantur, Thadeum quoque de Pepulis et alios superstites omnes et singulos ejusdem civitatis bononiensis in dictis primis processibus nominatos, presentium tenore citamus ut infra trium mensium, a data presentium numerandorum spatium, quod eis pro peremptorio termino assignamus, super omnibus et singulis excessibus et culpis predictis, nec non damnis et injurijs eidem romane ecclesie et Legato, et gentibus suis irrogatis, ac fructibus et proventibus medio tempore perceptis per eos de civitate, comitatu, territorio et districtu predictis ad definitivam sententiam et nostros processus alios audiendos, idem Thadeus de Pepulis pro Conservatore et quivis alij pro Potestate, Capitaneo, Judicibus, Consiliariis, Antianis, Rectoribus, Consulibus, officialibus se gerentes, ac prenominati omnes et singuli bononienses personaliter, universitates vero et communia civitatis, comitatus et districtus predictorum per legitimum sindicum et procuratorem eorum, coram nobis et Sede predicta debeant comparere; alioquin, sive venerint sive non, ad premissa, prout expedire viderimus, procedemus, eorum absentia seu contumacia non obstante.

Et ut processus hujusmodi ad dictorum bononiensium et communem omnium notitiam deducantur, et contra eosdem processus omnis calumnie tollatur occasio, cartas sive membranas processus hujusmodi continentes, in majoris avinionensis ecclesie appendi seu affigi hostijs faciemus; que processus ipsos suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ut dicti bononienses, et quivis alij quos processus ipsi contingunt, nullam possint excusationem pretendere, vel ignorantiam allegare quod ad eos processus hujusmodi non pervenerint vel quod ignoraverint eosdem, cum non sit verisimile remanere quo ad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter fuerit omnibus publicatum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipimus et mandamus, quatenus vos et singuli vestrum in vestris civitatibus et diocesibus per vos vel per alium seu alios, exemptos et non exemptos, quos ad exequendum mandatum hujusmodi, si expediens fuerit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam compellatis.

Presentes literas et processus diebus solemnibus et festivis, et in alijs ecclesijs quando major in eis aderit populi multitudo, et locis alijs, prout vobis videbitur, solemniter publicetis, et publicari faciatis, facientes de publicatione hujusmodi fieri publica instrumenta, illa nobis quantocius commode poteritis, transmissuri.

Datum Avinioni sexto kalendas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

LXVI.

1340, 14 iunii.

Ex tomo LXXXI. *Codicis diplomatici bononiensis,* num. I., c. 239 r. et seq.

Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Dudum accedentibus ad apostolicam Sedem magistris Paulo de Liazarijs decretorum, et Machagnano de Azzoguidis ac Petro de Bonpetris legum doctoribus, ambaxiatoribus, ac Rolando quondam Johannis de Fantutijs sindico et procuratore ac nuntio speciali universitatis, Communis et populi bononiensium, civibus bononiensibus, ac coram nobis et Fratribus nostris in Consistorio publico comparentibus, ac per dictum sindicum sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum nonnullis coram nobis et dictis Fratribus in eodem Concistorio recognitis, actis, gestis, promissis, datis, constitutis, factis, habitis et juratis, nos, super eis et hijs etiam, que per nos de dictorum Fratrum consilio concessa et disposita fuerunt, nec non super tunc sperata reconciliatione ipsorum literas, bulla nostra munitas, fieri fecimus sub hac forma: « *Benedictus etc. ad perpetuam rei memoriam: apostolice providentie discipline ad hoc delinquentibus plerumque etc.* » ut supra in epist. num. V.(1), nil mutato. Verum quia universitas, populus et Commune prefati contenta in eisdem literis adimplere, prout tenebantur infra terminum ad hoc in dictis literis eis prefixum minime curaverunt, in omnes penas et sententias quibus propter eorum excessus et culpas ante dictarum literarum confectionem tenebantur astricti, recidisse noscuntur.

Nos etiam ipsos in penas et sententias recidisse predictas per processus nostros super hoc specialiter habitos per diversas mundi provincias fecimus publicari. Demum vero universitas, populus et Commune prefati eumdem magistrum Petrum de Bonpetris, nec non magistrum Bonaventuram Jacobini, civem bononiensem, procuratores et sindicos eorumdem ad nostram presentiam destinarunt, nobis per eos nec non per sindicatum et procuratorium eorumdem, quod in archivio romane Ecclesie facimus conservari, cujusque tenorem de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, humiliter supplicantes ut cum universitati predicte, seu ipsam regentibus in eisdem literis quedam existere dubia, quedam vero contineri inobservabilia et quedam fuisse ommissa etiam viderentur, hujusmodi dubia declarare aliaque moderari et predicta ommissa supplere, eosque ad reconciliationis gratiam benigne recipere dignaremur.

Nos itaque in omnibus quantum cum Deo possumus misericordiam amplectentes, eorum supplicationibus inclinati, volentes super hijs salubriter providere, de Fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica declaramus, quod clausula in literis prefatis apposita continens, quod si dicti universitas, populus seu Commune contenta in dictis literis non servaverint, vel contrafecerint, quod omnium penarum in dictis literis expressarum relaxatio, et in integrum, et alie restitutiones et concessiones ac gratie super premissis principaliter vel incidenter, ac dispensationes per nos, seu de mandato nostro facte, sint casse, vacue, irrite et inanes, et habeantur penitus pro non factis, et quod in easdem penas et sententias quibus antea tenebantur, recidant ipso facto, non extendatur ad omnia et singula in literis eisdem contenta, sed referatur et restringatur et restricta sit et esse intelligatur dumtaxat ad capitula infrascripta, videlicet:

Primo, ad capitulum in eisdem literis comprehensum, in quo inter alia continetur quod prefati universitas, populus et Commune nobis, nostro et successorum nostrorum, ac ejusdem romane Ecclesie nomine, vel illi, seu illis personis quam seu quas ad hoc duxerimus deputandam seu deputandas, possessionem, et quasi, civitatis, comitatus et districtus bononiensium ac meri et mixti imperij et omnimode jurisdictionis, nec non ceterorum jurium civitatis, comitatus et districtus predictorum, quibus felicis recordationis Joannes papa xxij predecessor noster ac nos et eadem romana Ecclesia fuimus spoliati, plene et integre restituent, reddent et assignabunt, ubi forte infra kalendas mensis septembris proximo futuras, quas eis ad hoc pro peremptorio termino, tenore presentium, assignamus, hujusmodi possessionis, et quasi, restitutio nobis et successoribus

(1) Sub num. LX., c. 98.

nostris, et eidem Ecclesie vel persone seu personis per nos seu successores nostros ad id deputande seu deputandis a prefatis universitate, populo et Communi facta non fuerit, ut prefertur.

Secundo, ad capitulum contentum in literis memoratis, quo cavetur quod in presentia nuncii, seu nunciorum nostrorum, quem vel quos ad hec deputaverimus et ad civitatem eamdem propterea duxerimus destinandum vel destinandos in generali Consilio civitatis ejusdem ad hoc specialiter convocando et faciendo in civitate prefata, ut moris est fieri et observari in arduis et majoribus negotijs civitatis ejusdem, debeat infra tempus, in literis ipsis contentum, fieri affirmatio, confirmatio, ratificatio et emologatio specifice, singulariter et expresse, omnium et singulorum in dictis literis contentorum, prout hec et alia in hujusmodi capitulo in eisdem literis inserto plenius et seriosius continetur, in eo casu videlicet, ubi forte hujusmodi affirmatio, confirmatio, ratificatio et emologatio et alia proxime dicta non fierent infra dictas kalendas proxime futuras ejusdem mensis septembris, salvis tamen suppletionibus, moderationibus et declarationibus infrascriptis.

Tertio, ad capitulum in eisdem literis comprehensum de census constitutione, et solutione ipsius, romano Pontifici et Collegio Cardinalium sancte romane Ecclesie certo termino facienda, si infra ultimos tres menses in dictis literis, in clausula videlicet de predicto censu contentos integraliter facta non fuerit, penis alijs in dicto capitulo contentis in sua permanentibus firmitate.

Quarto, ad capitulum in memoratis literis contentum de ducentorum hominibus equitibus, bonis equis et armis bene et decenter munitis, postquam universitas, populus et Commune predicti super hoc per nostrum, seu successorum nostrorum vel ejusdem Collegij, Sede vacante, nuncium fuerint requisiti ad servitium romane Ecclesie transmittendis, et tenendis per tres menses integros anno quolibet expensis transmittentium predictorum, juxta dictarum continentiam literarum, si forte dicti universitas, populus et Commune super hijs mandato seu requisitioni faciendis, ut premittitur, infra duodecim dierum spatium, quos eis ad commodius prestandum equitum predictorum subsidium tenore presentium duximus concedendos, efficaciter non parerent.

Quinto, ad casum in quo Universitas vel maior pars Universitatis bononiensium fieret, quod absit, Ecclesie romane rebellis; in quibus quidem quinque casibus et quolibet casuum predictorum dumtaxat predicta clausula in dictis literis posita, continens quod si dicti universitas, populus seu Commune contenta in dictis literis non servaverint, vel contrafecerint, omnium penarum in dictis literis contentarum relaxatio, et in integrum, ac alie restitutiones et gratie super premissis principaliter vel incidenter ac dispensationes per nos, seu de mandato nostro facte, sint casse, vacue, irrite et inanes et habeantur penitus pro non factis, et quod in easdem penas et sententias, quibus antea tenebantur, recidant ipso facto, vendicet sibi locum, penis nihilominus tam quingentarum marcharum auri quam aliis, prout continentur in eisdem literis reconciliationis predicte in plena remanentibus firmitate; capitulum quoque in eisdem literis contentum, in quo specialiter continetur quod expulsi de civitate seu comitatu vel districtu predictis, ratione partialitatis dumtaxat, non tamen banniti propter excessus vel maleficia eorumdem, que propter partialitatem vel ex causis confictis eis imposita non fuissent, permittantur recuperare bona sua, et quod percipiant libere et percipere valeant fructus et redditus quorumcumque bonorum suorum, et etiam ipsa bona que tempore expulsionis hujusmodi obtinebant in civitate, comitatu et districtu predictis, quantumcumque dicta bona existerent publicata, nisi forsan in eis non ratione publicationis hujusmodi, sed alias alteri persone privato esset legitime jus quesitum; et quod si redire ad ipsam civitatem voluerint, possint cum pace et securitate communis et civium civitatis ipsius redire, et in eadem civitate secure sicut cives ceteri commorari, prout hec et alia latius et seriosius in hujusmodi capitulo continentur, intelligimus et intelligi volumus de illis dumtaxat expulsis, qui post commotionem et rebellionem dictornm bononiensium, factam contra prefatum Bertrandum episcopum ostiensem, quod sicut reservatur privatis personis jus eis in dictis bonis eorum legitime acquisitum, ita Universitati bononiensi jus eis in eisdem bonis acquisitum legitime ex alia tamen causa quam publicationis bonorum hujusmodi volumus reservari.

Declaramus etiam nostre intentionis non esse quod dicti expulsi propter aliqua in literis eisdem contenta possint ad dictam civitatem vel ejus comitatum seu districtum redire, ubi verisimiliter timeretur quod ex ipsorum reditu inter cives civitatis ipsius possit seditio suboriri, et ad rixas vel tumultum seu arma in eadem civitate periculose propterea deveniri. In eisdem quoque literis inter alia capitulum hujusmodi continetur, videlicet quod stipendiarij, qui ad dicte civitatis stipendia pro tempore assumentur, in manibus unius ex Judicibus appellationum civitatis

ejusdem, qui tunc erunt, nostro et successorum nostrorum et ejusdem romane Ecclesie nomine recipientis prestare habeant hujusmodi juramentum, videlicet quod nobis dictisque successoribus et eidem Ecclesie fideles erunt pro tempore quo in dicta civitate stipendiarij permanebunt, et quod si videretur romano Pontifici, qui erit pro tempore, vel, apostolica Sede vacante, prefato Collegio, aliquem vel aliquos de dictis stipendiarijs amovendum vel amovendos ad mandatum dicti romani Pontificis, vel, dicta Sede vacante, prefati Collegij, hujusmodi stipendiarius vel stipendiarij, debeat vel debeant amoveri, et in locum eorum alij eidem romano Pontifici, vel, dicta Sede vacante, prefato Collegio, magis accepti substitui vel etiam surrogari. Nos etiam hujusmodi capitulum certis ex causis rationabilibus taliter providimus moderandum seu reformandum, videlicet quod solummodo Conistabiles stipendiariorum civitatis bononiensis, quorum quilibet sub sua banneria ultra numerum quadraginta stipendiariorum ad plus tenere non possit, soli jurare habeant in manibus unius ex Judicibus appellationum, et illius vel illorum qui administrabit seu administrabunt jura Universitatis civitatis predicte, fideles esse romane Ecclesie quamdiu erunt ad stipendia civitatis ejusdem, et quod fideliter se habebunt in defendendis juribus eidem Ecclesie competentibus in dicta civitate bononiensi et ipsius diocesi et districtu, et etiam in locis alijs ad que per Bononienses in subsidium ejusdem Ecclesie transmittentur, quodque in societatem suam nullum in stipendiarium scienter recipient infidelem ejusdem romane Ecclesie transmittentur, vel rebellem, aut cum infidelibus vel rebellibus confederatum; recipientes etiam hujusmodi sacramentum jurare habebunt in manibus illius vel illorum, quem vel quos nos vel successores nostri, vel, Sede vacante, prefatum Collegium, duxerimus deputandum vel etiam deputandos, quod nullum Conistabilem ad stipendium ipsius civitatis scienter recipient, infidelem, vel rebellem Ecclesie prelibate aut cum rebellibus confederatum; et si quem talem forsitan ad stipendium hujusmodi admissum cognoverint, mox ipsum stipendio privabunt et ab ipsa civitate ejusque districtu expellent, ipsum ulterius durante rebellione hujusmodi ad id nullatenus recepturi. Premissis siquidem circa dictos Conistabiles et stipendiarios et recipientes ab ipsis Conistabilibus hujusmodi juramentum servatis, nos et romanam Ecclesiam super hijs volumus esse contentos, non obstante si in eisdem literis super dicta reconciliatione confectis et presertim in dicto capitulo plus vel aliter circa stipendiarios disponatur.

Insuper, auctoritate predicta, tenore presentium, declaramus nostre intentionis esse quod Judices appellationum, qui cognoscere habuerint de causis vice et nomine romane Ecclesie in civitate predicta sint cives et de habitatoribus civitatis ejusdem, et quod habeant et possint cognoscere de causis illis dumtaxat, in quibus per eorum statuta, approbata et diutius observata, est licitum appellare.

Declaramus etiam quod, salvis et illesis manentibus nobis et romane Ecclesie dominio, sacramento fidelitatis, mero et mixto imperio, jurisdictione et superioritate, et horum recognitione, ac officialium ad jurisdictionem hujusmodi exercendam et administratoris jurium et bonorum universitatis ejusdem per Commune et populum bononienses nominandorum et per ipsam romanam Ecclesiam eligendorum, ponendorum, constituendorum seu deputandorum electione, positione, constitutione et deputatione, prout in dictis literis reconciliationis ejusdem continetur, faciendis, nec non census constitutione et datione, ac dictorum ducentorum equitum bonorum, equis et armis bene munitorum, ad servitium ejusdem romane Ecclesie prestandorum per bononienses prefatos, obligatione et omnibus alijs juribus ipsi romane Ecclesie in dictis civitate, comitatu et districtu bononiensibus competentibus, non fuit nec est intentionis nostre quod per aliqua contenta in eisdem literis super dicta reconciliatione confectis, jura et bona universitatis et singularium personarum civitatis, comitatus et districtus predictorum et ipsorum jurium et bonorum, dominium, admnistratio et dispositio, reservatis semper predicte Ecclesie omnibus et singulis supradictis fuerint vel sint ab universitate et personis eisdem abdicata et romane Ecclesie applicata, nec quod in ipsis juribus et bonis, dominio, administratione et dispositione eorum fuerit vel sit aliquid immutatum, quinimmo volumus quod possessionis, et quasi, omnium jurium, et bonorum, quibus dictus predecessor et nos ac romana Ecclesia fuimus spoliati, restitutione plenaria nobis et eidem Ecclesie seu persone vel personis alijs nomine nostro et ejusdem Ecclesie prius facta, possessio et quasi jurium et bonorum universitatis ejusdem per eum vel eos, quos super hijs duxerimus deputandos, restituatur seu relaxetur universitati eidem, seu illi vel illis, qui administraverit vel administraverint jura et bona universitatis prefate per eos jure proprio

eorumque nominibus retinenda possessione, et quasi, omnium et singulorum jurium et bonorum ad eamdem romanam Ecclesiam, ut premittitur, pertinente, penes nos et successores nostros ac eamdem romanam Ecclesiam perpetuo remanente.

Volumus etiam quod per universitatem, populum et Commune prefatos fiat, ut premittitur, actualiter, realiter et corporaliter restitutio et assignatio corporalis possessionis, et quasi, civitatis, comitatus et districtus predictorum ac meri et mixti imperij, et omnimode jurium ipsorum ad nos et romanam Ecclesiam pleno jure spectantium persone, seu personis, quam vel quas ad id deputandam duxerimus seu etiam deputandas, recipienti seu recipientibus nostro et successorum nostrorum ac romane Ecclesie predictorum nomine, hujusmodi corporalem possessionem et quasi, ac per eam seu eas nomine supradicto hujusmodi realis et corporalis possessio et quasi, recipiatur, apprehendatur et habeatur, ut premittitur, pacifice et quiete fiant etiam per universitatem, populum et Commune prefatos recognitiones, ratificationes, acceptationes, affirmationes, confirmationes et emologationes, juramentorum prestationes, obligationes quoque super dicto censu et alijs omnibus et singulis contentis in dictis literis distincte, specialiter et expresse, ac premissa omnia juxta promissiones, obligationes et juramenta dicti Rolandi sindici, et secundum modum, formam et ordinem in eisdem literis nostris expressos, infra kalendas mensis septembris proximo futuras debite et efficaciter impleantur, et quod de acceptatione, approbatione, ratificatione, emologatione, confirmatione et juramenti prestatione, nec non restitutione, redditione, assignatione et dimissione possessionis et quasi, hujusmodi fiat publicum et authenticum instrumentum tabellionis publica manu scriptum et sigillo dicti Communis sigillatum nobis infra kalendas proximi futuri mensis octobris destinandum et realiter assignandum, salvis et firmis manentibus et plenarie observatis in predictis omnibus et singulis declarationibus, moderationibus et suppletionibus supradictis, quibus per predicta vel aliquod predictorum in nullo volumus derogari. Rursus omnium que in hujusmodi declarationibus continentur, si super eis vel eorum aliquo vel aliquibus, aliquid dubietatis vel ambiguitatis contigerit exoriri, declarationem et interpretationem ad nos, quoties opus fuerit, volumus pertinere; super qua quidem declaratione et interpretatione, si que super hujusmodi dubijs per nos fient, stabitur verbo seu literis nostris, prout nobis videbitur faciendis.

Que quidem omnia et singula tam in hujusmodi declarationibus, moderationibus et suppletionibus, quam in sepedictis literis super dicta reconciliatione confectis contenta, in quantum hujusmodi declarationibus, moderationibus et suppletionibus non obviant, dicti magistri Petrus et Bonaventura, procuratores et sindici, procuratorio et sindicario nomine supradicto, quos ab excommunicationis seu excommunicationum sententiis, quas per dictos processus nostros vel alias, premissorum occasione, incurrerant, ad humilis ipsorum supplicationis instantiam prius duximus absolvendos, approbaverunt, ratificaverunt et emologarunt expresse, ac promiserunt solemniter et jurarunt sindicario et procuratorio nomine, et in animas constituentium predictorum, quod infra dictas kalendas ejusdem mensis septembris dicti universitas, populus seu Commune et persone singulares civitatis ejusdem super hoc ad sonum campane more solito congregati, prout in majoribus et arduis ipsorum negotijs extitit consuetum, predicta omnia et singula per eosdem sindicos et procuratores acta, gesta, promissa et jurata, rata et grata habebunt perpetuo et tenebunt, observabunt et adimplebunt et jurabunt, prout in literis dicte reconciliationis continetur, et quod contra ea vel ipsorum aliquod, nullo tempore facient vel venient aliqua ratione, occasione, colore vel causa. Denique ut universitas, populus et Commune prefati et singulares persone ipsorum, nos et dictam Sedem erga se sentiant propitios et benignos, nos, sub infrascripta moderatione cum eis misericorditer procedentes, sententiam interdicti, cui civitas, comitatus, territorium et districtus bononienses, nec non universitas civitatis ejusdem et alie universitates et communia eorum fuerunt per dictos nostros et ejusdem Legati processus et constitutionem ejusdem Bonifacij, vel provincialia seu sinodalia statuta et etiam Sacros canones, pro premissis contentis in dictis processibus nostris supposita, penas quoque et sententias in eisdem processibus nec non dicta constitutione ejusdem Bonifacij contentas contra prefatas civitatem et universitatem bononienses super privatione Studij generalis omniumque privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum apostolicorum et imperialium, et ab aliis quibuscumque concessorum eisdem usque ad prefatas kalendas ejusdem proximi futuri mensis octobris de dictorum Fratrum nostrorum consilio, apostolica auctoritate suspendimus de benignitate Sedis ejusdem et gratia speciali. Ita quod, durante suspensione predicta, possint officijs divinis ac Studio generali, nec non privilegijs, indul-

gentijs et gratijs supradictis gaudere sicut ante predictos excessus et culpas, per eos adversus prefatos Legatum et romanam Ecclesiam perpetratos, ac processus predictos potiri poterant et gaudere, non obstantibus quibuscumque contrarijs in dictis reconciliationis ejusdem vel quibusvis alijs literis nostris contentis, per que nullum presentibus impedimentum afferri vel obstaculum volumus interponi quominus declarationes, moderationes et suppletiones hujusmodi et omnia contenta presentibus literis plenum consequantur effectum et inconcussam habeant firmitatem, omnibus et singulis in eisdem literis contentis reconciliationis ejusdem contentis, quatenus non obviant presentibus, vel nisi quatenus per alias literas nostras aliquid extiterit immutatum, in suo robore duraturis. Tenor autem dicti sindicatus seu procuratorij talis est:

« In Christi nomine, amen, et gloriose Marie Virginis, matris ejus; nativitatis ejusdem anno millesimo trecentesimo quadragesimo, indictione octava, die quarto mensis aprilis; Generale Consilium Communis et populi civitatis Bononiensis, representans universitatem dicte civitatis et districtus ipsius, et in quo seu per quod magna et quantumvis ardua negotia dicti Communis et populi cujuscumque conditionis, nature vel ponderis existant, etiam si de alienatione vel distractione qualiumcumque bonorum seu jurium ipsius civitatis, comitatus vel districtus ageretur, tractantur, examinantur, ordinantur et terminantur, et tractari, examinari, ordinari et terminari consueverunt, et terminata robur perpetuum habere censentur et habere consueverunt, simul ad infrascripta tractanda, ordinanda, terminanda et peragenda specialiter habita licentia Congregationis ipsius Consilij a sanctissimo in Christo patre et Domino nostro, domino Benedicto divina providentia papa duodecimo, de qua constat per papales literas, bulla papali pendenti bullatas, convocati et coadunati: videlicet nobilis miles dominus Niger de Ruxatis de Brixia, Potestas civitatis Bononie, dominus Jacobinus de Regio, vices gerens Capitanei dicte civitatis et populi, de consensu et voluntate Antianorum et Consulum eorumdem civitatis et populi presentis mensis aprilis, et ipsi ijdem Antiani, omni auctoritate qua funguntur simul vel divisim in palatio novo dicti Communis sono campanarum ipsius Communis voceque preconum precedentibus, ut moris est, congregati pro infrascriptis Sindicis ad infrascripta constituendis et ordinandis; in quo quidem Consilio interfuerunt infrascripti, qui de numero Antianorum et Consulum et Consiliariorum faciunt ultra tres partes Antianorum, Consulum et Consiliariorum predictorum, nomina quorum Antianorum et Consiliariorum, qui interfuerunt, sunt hec: dominus Thadeus olim bone memorie domini Romej de Pepolis, dominus Mattheus quondam domini Bartholomej de Ursijs, dominus Lucas domini Bertolucij de Pretis . . . . (1), dominus Johannes Caldarinus, doctor decretorum, dominus Johannes de Gusbertis, legum doctor, dominus Laurentius domini Jacobi de Butrigarijs, legum doctor, dominus Petrus de Baxacomatribus, legum doctor, dominus Dinarellus de Ghixillerijs, dominus Nicolaus de Azzoguidis, dominus Rainerius de Oddofredis, dominus Maxolinus de castro Sancti Petri, dominus Johannes de Presbiteris jusperitus, dominus Alexander Lapi judex, dominus Philippus de Foscherarijs legum doctor, Paulus de Liazarijs decretorum doctor. . . . . (2); ibidemque prefati Potestas, Vicesgerens Capitaneus, de consensu et voluntate dictorum dominorum Antianorum et Consulum, et ipsi idem Antiani et Consules de consensu et voluntate Consiliariorum ibidem existentium, et ipsi omnes Consiliarii, cum auctoritate et consensu predictorum Potestatis, Vicesgerentis Capitanei et Antianorum et Consulum predictorum, et simul omnes predicti tamquam Universitas et Commune dicte civitatis et populi ac districtus ipsius, et Universitatem totam secundum mores et legem municipalem civitatis et populi bononiensium, ut dicebant, representantes, et tamquam generale Consilium eorumdem ad invicem concordantes, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt ipsorum et dicte civitatis, Communis et populi, ac Universitatis predicte Sindicos, Procuratores et Nuncios speciales, dilectos et honorabiles cives et ambaxiatores suos in Curia domini pape et sacrosante romane Ecclesie dominum Petrum de Bompetris, legum doctorem, et magistrum Bonaventuram Jacobini, absentes tamquam presentes, ita tamen quod ipsi vel eorum alter una cum alio per ipsos in concordia constituendo ad predicta, si ad hoc devenerint simul, et non divisim possint et debeant exequi infrascripta, specialiter ad se presentandum nominibus quibus supra, coram sanctissimo patre et domino Benedicto divina providentia papa duodecimo prefateque romane Ecclesie summo pontifice, et reverendissimorum patrum dominorum Cardinalium Sacro Collegio et in quocumque Consilio seu Consistorio publico vel privato prefati sanctissimi patris vel alibi, prout sanctissimo patri placuerit, et ad ipsius omnimodam voluntatem, et ad approbandum, ratificandum et confirmandum in eorum

(1 et 2) Occurrunt quamplurima alia nomina, quae brevitatis causa omittuntur.

presentia, vel ipsius patris sanctissimi, si eidem domino pape videbitur, recipienti suo nomine, et Ecclesie memorate cum reverentia et humilitate, premissa omnia et singula confessata, notata, premissa, acta et gesta coram prefato summo patre in ejus publico Consistorio, et ejus nomine quo supra, recipienti per Rolandum quondam fratris Johannis de Fantucjis sindicario nomine dicte civitatis et ejusdem Communis, Universitatis et populi circa reconciliationem tunc factam inter prefatum dominum papam et romanam Ecclesiam ac Commune bononiense, cives, subditos et districtuales ejusdem plene et expresse, pure et simpliciter, generaliter seu specialiter, ac de capitulo ad capitulum in omnibus et per omnia, prout in nota et instrumento ac literis apostolicis exinde secutis plenius continetur, publicatis in eodem Consistorio sub annis nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo trigesimo octavo, quarto idus octobris, pontificatus ejusdem sanctissimi patris anno quarto, seu aliquod vel aliqua ex predictis, et que ex eis, et prout eisdem Sindicis videbitur convenire, et ad obligandum se et Universitatem predictam solemniter, efficaciter, cum generali et solemni promissione et obligatione et hijpotheca bonorum suorum et Universitatis predicte de observando et adimplendo pure, fideliter et bona fide omnia et singula supradicta in dictis nota, instrumento et literis contenta, et de non contrafaciendo, vel veniendo in totum vel in aliqua sui parte aliqua ratione, occasione vel causa, modo aliquo vel colore, cum cujuscumque pene tam spiritualis quam temporalis adjectione et promissione ad omne beneplacitum prefati sanctissimi patris cum quibuscumque promissionibus, obligationibus realibus et personalibus, renunciationibus, confessionibus, adjectionibus clausulis et cautelis tam specialibus quam generalibus, de et in quibuscumque cum prefato sanctissimo patre convenerint, et que in nota et instrumento, vel literis apostolicis exinde fiendis quomodolibet inserentur, etiam si de eis vel eorum aliqua seu aliquibus in hoc sindicatu seu sindicatus instrumento oporteret expressam fieri nominationem, que omnia pro expressis et specificatis in hoc instrumento et sindicatu ex certa scientia haberi voluerunt et consenserunt. Item ad promittendum solemniter, et juramento firmandum modo et nomine quibus supra, sanctissimo patri predicto nominibus quibus supra recipienti, quod ipsi sindici et Commune Bononienses per eosdem sindicos vel alios ad hoc legitime ordinandos in romana Curia, et etiam ipsum Commune et Universitas bononienses, ad hec ad sonum campane et voce preconia, ut moris est, specialiter et solemniter congregato in civitate Bononie, postea ad ipsius patris sanctissimi beneplacitum, vel ejus quem miserit ad civitatem Bononie pro executione contentorum in nota, instrumento et literis antedictis prefato quem miserit existente in civitate Bononie, et in ejus presentia recipienti vice et nomine ipsius sanctissimi patris domini pape et romane Ecclesie memorate. Item ad cautelam et ad majorem predictorum omnium et singulorum firmitatem approbabunt omnia et singula supradicta, confessata, narrata, promissa, acta et gesta per Rolandum predictum, et cum eo, ut supra, et que agentur, promittentur, narrabuntur, et fient per ipsos sindicos, et que agentur et fient etiam cum eisdem, et se et sua bona et Universitatis predicte ad eorum omnium et singulorum observantiam obligabunt, ut supra, in omnibus et per omnia, prout ipsi Sindici facient in presentia prefati sanctissimi patris et domini, domini pape, nominibus quibus supra, recipientis. De quibus approbatione, ratificatione et confirmatione, et alijs, que circa predicta agentur et fient in civitate Bononiensi, fieri debeant publica instrumenta per fide dignum notarium de civitate Bononiensi, vel alium ad beneplacitum ipsius domini pape, vel sui nuntij, quem miserit ad predicta, quorum instrumentorum unum ad minus in publicam formam ad ipsum patrem sanctissimum remittatur, et prout in ipsis literis continebatur, seu continetur vel prout continebitur in alijs de novo faciendis infra terminum per prefatum sanctissimum patrem, et ad obligandum solemniter dictum Commune, Universitatem et populum Bononie et ipsius bona, et ipsum Commune, Universitatem et populum et se dicto nomine submittendum, supponendum jurisdictioni et coherctioni dicti sanctissimi patris et sancte romane Ecclesie et suorum officialium et auditorum quorumcumque pro observantia et executione plena et perfecta omnium et singulorum premissorum, et etiam ad prestandum corporale cujuslibet generis juramentum in animas, et super animabus constituentium, generale vel speciale, quodque ab eis petetur vel fieri occurrerit pro executione et observantia supradictis. Item salvis omnibus et singulis supra dictis ad supplicandum humiliter et devote et petendum et impetrandum, nominibus quibus supra, ab ipso sanctissimo patre correctionem et modificationem et declarationem certorum capitulorum in nota, instrumento et dictis literis contentorum maxime importabilium et non tollerabilium, et ipsas correctiones, modificationes et declarationes, si quas fecit, recipiendum et prosequendum, et illas et secundum illas vel etiam sine illis, si forte dominus noster papa aliquas correctiones, declarationes, vel modificationes nollet facere, vel quod fierent consentire, approbandi, ratificandi et confirmandi omnia et singula supradicta. Item ad

petendum, inpetrandum et obtinendum, nominibus quibus supra et etiam vice et nomine omnium et singulorum civium districtualium seu subditorum vel habitatorum dicte civitatis Bononie et districtus et quorumcumque etiam forensium qui infrascripta rata habebunt a sanctissimo patre predicto, absolutionis beneficium simpliciter, et ad cautelam juxta formam Ecclesie consuetam, et restitutionem in integrum ad famam, statum et ad honores ecclesiasticos, et temporales et ecclesiastica beneficia et quamcumque aliam restitutionem, relaxationem, remotionem et revocationem a quibuscumque sententijs, penis, processibus, tam a jure quam ab homine latis, positis seu inflictis, quos vel quas ipsi constituentes Commune et Universitas, aut aliquis predictorum incurrerint occasione aliquorum malorum, excessuum, vel culparum, aut aliorum contentorum in nota, instrumento vel litteris antedictis, vel ex contumacia, seu inobedientia aut non observantia premissorum vel aliorum quorumcumque, et de predictis et super predictis humiliter supplicandum sanctissimo patri predicto omni et quocumque nomine, modo, jure et forma quibus potest, et ad omnia et singula facienda, que in predictis vel circa predicta utilia fuerunt vel quomodolibet opportuna, et ad supplicandum humiliter, quod sanctitas sua dignetur alicui probo viro committere quod, in casu quo possessio civitatis Bononiensis fuerit, sicut in litteris reconciliationis continetur, Ecclesie restituta et ratificatio contentorum in ipsis litteris, salvis declarationibus quibusdam per ipsum dominum papam faciendis infra certum tempus per ipsum dominum nostrum papam limitandum, fuerit subsecuta, concedat, auctoritate apostolica super hoc sibi specialiter attributa, domino Thadeo de Pepolis absque alia nova nominatione de ipso per populum facienda, administrationem plenariam jurium et bonum ad romanam Ecclesiam in civitate, comitatu et districtu bononiensibus pertinentium, gerendam et exercendam nomine et vice Ecclesie predicte ad tempus de quo sanctitati ipsius videbitur expedire, sacramento tamen fidelitatis, dominio, mero et mixto imperio, jurisdictione et superioritate et horum recognitione, census constitutione, et de dandis armigeris obligatione, nec non et officialium ad jurisdictionem hujusmodi vice et nomine romane Ecclesie exercendam, et administratoris jurium et bonorum Universitatis ejusdem per Commune et populum bononienses nominandorum, et per ipsam Ecclesiam romanam eligendorum, ponendorum, constituendorum seu deputandorum electione. positione, constitutione et deputatione, prout in litteris reconciliationis continetur facienda, et alijs juribus universis in civitate, comitatu et districtu bononiensibus, Ecclesie romane competentibus, salvis semper et illesis permanentibus, et integraliter apud Ecclesiam remanentibus supradictam, prout in litteris apostolicis reconciliationis, et quibusdam alijs super certis modificationibus et declarationibus faciendis seriosius contineri reperietur. Volentes et expresse consentientes, ipsi constituentes et Commune et Universitatem predictam, ut premittitur, reppresentantes quod, non obstante concessione predicta dicto domino Thadeo, ut premittitur, facienda, ipsi constituentes et Universitas et Commune bononienses ad solvendum censum octo milium florenorum singulis annis sub certis forma, modo, termino et penis inter prefatum dominum papam et sindicos Universitatis et Communis bononiensium alias ordinatis romane Ecclesie perpetuo sint et remaneant obligati. Item ad constituendum et substituendum alium quemcumque sindicum, procuratorem et nuncium dicti Communis, Universitatis et populi in locum alterius eorum ad omnia et singula supradicta vel aliqua ex eis, de quo ipsi ambo simul concedentes convenerint, qui ab eis constituendus vel substituendus, una cum altero ex predictis, exequi valeat supradicta perinde ac si ad ea esset in hoc instrumento nominatus, et specialiter ad gerenda et procuranda omnia et singula supradicta, cum predictis sindicis vel altero eorum ordinatis a Communi, Universitate, populo et Consilio antedictis. Dantes et concedentes dictis eorum sindicis, simul gerentibus et predicta facientibus, seu substituendo seu constituendo ab eis ut supra, in premissis omnibus et singulis, et eorum occasione, et dependentibus ac emergentibus ex eisdem plenum liberum et generale ac speciale mandatum, cum mera, libera et generali ac speciali administrationem et omnem aliam auctoritatem et potestatem necessariam et utilem seu opportunam, prout eis videbitur in premissis, agendi et perficiendi predicta omnia et singula. et omnia alia que in predictis, vel eorum occasione, occurrerint facienda de jure, consuetudine vel de facto, vel partium voluntate. Nec non promittentes mihi notario infrascripto, ut publice persone stipulanti et recipienti vice et nomine prefati sanctissimi patris et Ecclesie romane et omnium et singulorum quorum interest vel intererit aut interesse poterit perpetuis temporibus, firma rata et grata habere, tenere, et inviolabiliter observare et adimplere, omnia et singula gerenda seu administranda, concedenda; promittenda, seu firmanda per ipsos sindicos, gerentes et administrantes, facientes ut supra in premissis et circa premissa, vel eorum occasione, sub obligatione et hypotheca omnium bonorum ipsius Communis, Universitatis et populi, in premissis omnibus casibus et quolibet casuum predictorum. Promiserunt insuper constituentes predicti sub quacumque pena

domini nostri pape, predicto arbitrio infligenda, quod ipsi predictos sindicos directe vel indirecte non revocabunt, nec datam eis per presens instrumentum Potestatem aliqualiter mutabunt, restringent vel limitabunt, donec negotium et potestas eis per hoc instrumentum sindicatus commissa, plenum et perfectum sint effectum sortita, quodque nihil dixerunt vel fecerunt, dicent, vel facient, quominus presens sindicatus et omnia et singula in eo contenta, plenam et inviolabilem habeant roboris firmitatem. Renunciantes insuper in hijs omnibus et singulis suprascriptis privilegio fori et alteri cuicumque, et omnibus et singulis statutis ac legibus municipalibus dicte civitatis bononiensis, tam factis quam faciendis generalibus vel specialibus, ex quibus predicta vel eorum aliqua annullari, infringi, diminui vel debilitari valerent, seu quomodolibet vitiari, nec non et doli, et in factum et quibuscumque exceptionibus alijs defensionibus juris vel facti, que pro expressis et specialiter hic nominatis voluerunt et volunt haberi perinde, et hujusmodi renunciationem valere et effectum habere per omnia, ac si omnibus et singulis casibus specialiter et expresse renunciatum fuisset, nec non et omni alteri cuicumque juris auxilio, tam canonico quam civili, ex quibus contra predicta obviari vel veniri quomodolibet videretur. Quibus omnibus et singulis sic peractis ad cautelam prefati Potestas, Vicegerens Capitanei et Antiani et Consules, rite, recte et legittime, gestis omni modo et forma quibus melius possunt de jure scripto vel non scripto et communi vel municipali, omni etiam solemnitate observata, que in talibus debet vel solet secundum consuetudinem civitatis bononiensis in talibus observari, ut dicebant, auctoritatem suam interposuerunt judiciariam et decretum, mandantes de predictis per me notarium infrascriptum publicum et solemne fieri instrumentum, et eidem apponi sigillum Communis bononiensis, in talibus seu similibus casibus consuetum.

Actum Bononie in palatio novo dicti Communis, in quo fieri solet ac congregari Consilium populi, presentibus dominis Anthonio de Lucha, vicario dicti domini Potestatis, Petro de Adigherijs de Parma, Jacobo de Larena de Parma, Martello domini Morischi de Montepulzano, omnibus Judicibus dicti domini Potestatis, Nicholao de Senis jurisperito, magistro Benintendi Nerij de Florentia, ser Zono Sasselli de Lucha, notario, et Ugolino Bellicti, Damiano Bartholomei et Dominico Benvenuti, bannitoribus Communis bononiensis, qui dixerunt predictos constitutos et constituentes cognoscere, testibus vocatis ad hec.

[L. † S.] Ego Johannes Bunucij Garfagnini, imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus et singulis, cum agerentur, ordinarentur et fierent, anno, mense, die, indictione et loco supradictis, presens una cum dictis testibus interfui, et ea de expresso consensu et voluntate omnium predictorum rogatus, publice et manu propria scripsi ».

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationum, moderationum, reformationum, suppletionum, intentionum, suspensionum et volontatum infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenioni, decimo octavo kalendas iulij, pontificatus nostri anno sexto.

LXVII.

1340, 15 iunii.

Ex eodem tomo *Codicis diplomatici bononiensis*, num. II., c. 297 r.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Beltramino episcopo cumano, apostolice Sedis nuncio, salutem et apostolicam benedictionem.

Dudum accedentibus ad apostolicam Sedem magistris Paulo de Liazarijs decretorum, et Machagnano de Aczoguidis ac Petro de Bompetris, legum doctoribus, ambaxiatoribus, ac Rolando quondam Johannis de Fantucijs, sindico et procuratore ac nuncio speciali Universitatis, Communis et populi bononiensium, civibus bononiensibus, ac coram nobis et Fratribus nostris in Consistorio publico comparentibus, ac per dictum sindicum, sindicario et procuratorio nomine constituentium predictorum nonnullis coram nobis et dictis fratribus in eodem consistorio recognitis, actis, gestis, promissis, datis, constitutis, factis, habitis et iuratis, nos super eis et hijs etiam que per nos de dictorum fratrum consilio concessa et disposita fuerunt, nec non super

tunc sperata reconciliatione ipsorum litteras bulla nostra munitas fieri fecimus ad perpetuam memoriam premissorum, quarum copiam sub bulla nostra tibi, ut super eis plenius instruaris, fecimus assignari.

Verum quia Universitas, populus et Commune prefati contenta in eisdem litteris adimplere, prout tenebantur, infra terminum ad hoc in dictis litteris eis prefixum minime curaverunt, in omnes penas et sententias, quibus propter eorum excessus et culpas ante dictarum litterarum confectionem tenebantur astricti, recidisse noscuntur, nos etiam ipsos in penas et sententias recidisse predictas per processus nostros, super hoc specialiter habitos, per diversas mundi provincias fecimus publicari. Demum vero Universitas, populus et Commune prefati eumdem magistrum Petrum de Bompetris, nec non magistrum Bonaventuram Jacobini, civem bononiensem, procuratores et sindicos eorumdem, ad nostram presentiam destinarunt, nobis per eos nec non per sindicatum et procuratorium eorumdem, quod in archivio romane Ecclesie facimus conservari, humiliter supplicantes, ut cum Universitati predicte seu ipsam regentibus in eisdem litteris quedam existere dubia, quedam vero contineri inobservabilia, et quedam fuisse omissa etiam videretur, huiusmodi dubia declarare, aliaque moderari, et predicta omissa supplere, eosque ad reconciliationis gratiam benigne recipere dignaremur. Nosque in omnibus quantum cum Deo possumus misericordiam amplectentes, eorum supplicationibus inclinati, nonnullas declarationes et moderationes circa premissa, et quasdam suppletiones contentas in quibusdam litteris nostris specialiter super hijs confectis, quas tibi bulla nostra bullatas assignavimus, duximus faciendas. De tue igitur circumspectionis industria in magnis et arduis experta negotijs, et laudabiliter comprobata, fideique constantia plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, predictis litteris nostris diligenter inspectis, teque ad civitatem, comitatum et districtum bononienses personaliter conferens, dictisque Universitati, Communi et populo civitatis eiusdem, prefatis litteris publicatis solemniter et expositis diligenter, factaque prius per eos actualiter, realiter et corporaliter restitutione et assignatione corporalis possessionis, et quasi, civitatis, comitatus et districtus predictorum ac meri et mixti imperij et omnimode iurisdictionis ceterorumque iurium eorumdem civitatis, comitatus et districtus ad nos et romanam Ecclesiam pleno iure spectantium, tibi recipienti nostro et successorum nostrorum ac romane Ecclesie predictorum nomine, ac per te nomine supradicto hujusmodi reali et corporali possessione, et quasi, recepta, apprehensa et habita pacifice et quiete, factis etiam per constituentes eosdem recognitionibus, ratificationibus, acceptationibus, affirmationibus, confirmationibus, emologationibus, cum iuramentorum prestationibus, obligationibus quoque super censu et alijs omnibus et singulis contentis in dictis litteris distincte, specialiter et expresse, ac premissis omnibus iuxta promissiones, obligationes et iuramenta dicti sindici ac secundum modum, formam et ordinem in eisdem litteris nostris expressos infra kalendas mensis septembris proximo futuras debite et efficaciter adimpletis iuxta predictarum formam et seriem litterarum, et de hijs omnibus et singulis confecto publico instrumento tabellionis, publica manu scripto, nobis infra kalendas proximi futuri mensis octobris fideliter destinando et realiter assignando; tu predicta omnia postulata et petita per dictum sindicum secundum dispositionem nostram in litteris prefatis expressam, ac etiam iuxta declarationes, moderationes et suppletiones predictas, eisdem Communi, Universitati et populo nisi quatenus per litteram nostram que incipit: « *Quoniam sicut per viros expertos etc.* » tibi directam super aliquibus ex hujusmodi postulatis et petitis per dictum sindicum aliquid extiterit immutatum, apostolica auctoritate concedas cum omnibus conditionibus, honoribus et oneribus, ac modis et formis enarratis in dictis litteris predictis, declarationibus, moderationibus et suppletionibus nostris in predictis omnibus plenarie observatis, de nostra et ipsius Sedis gratia speciali, ac predictam sententiam interdicti, cui civitas, comitatus et districtus predicti ac Universitates et Communia eorumdem propter premissa subiacere noscuntur, omnesque sententias atque penas per dictos processus et quoscumque alios ob premissa, vel eorum occasione postmodum subsecutos, et constitutiones felicis recordationis Bonifacij pape octavi predecessoris nostri que incipit: « *Felicis* », et alios canones ac provincialia et sinodalia statuta contra dictos civitatem, Commune, Universitatem et populum bononienses, ac comitatum et districtum ipsorum tam super privatione Studij generalis civitatis eiusdem, omniumque privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum apostolicarum et imperialium et ab alijs quibuscumque concessorum eisdem, quam alias quomodolibet occasione dictorum excessuum promulgatas, auctoritate predicta omnino relaxes, tollas et

auferas, casses, irrites, et totaliter aboleas et annulles, dictum Studium generale cum omnibus privilegijs, indulgentijs et gratijs supradictis restituendo et reintegrando eisdem in omnibus et per omnia sicut illud ante patrationem dictorum excessuum obtinebant. Omnes insuper personas ecclesiasticas et seculares, tam civitatis, comitatus et districtus predictorum quam quoscumque alios etiam forenses qui contenta in eisdem super dicta reconciliatione, et alijs super predictis declarationibus, moderationibus et suppletionibus litteris nostris confectis approbabunt et ratificabunt ab excommunicationis seu excommunicationum sententia vel sententijs, quam vel quas propter excessus et culpas olim contra venerabilem Fratrem nostrum Bertrandum, episcopum ostiensem, tunc in partibus illis apostolice Sedis legatum, et alios prelatos et personas ecclesiasticas tunc existentes in comitiva ipsius ac familiares eiusdem, nec non officiales prefate romane Ecclesie tunc in civitate, comitatu et districtu predictis morantes, faciendo insultus, aggressuras, spoliationes, obsidiones, cedes, vulnerationes, captiones, detentiones, incarcerationes et alia adversus eos maleficia perpetrando flagitioso et sacrilego ausu commissos, per processus nostros et dicti Legati dictamque constitutionem et alios canones, seu per provincialia et sinodalia statuta predicta vel alias premissorum occasione ab homine vel a jure prolatas quomodolibet, incurrerunt, dummodo humiliter petierint se absolvi ac restitutioni realis et corporalis possessionis, et quasi, civitatis, comitatus et districtus ac meri et mixti imperij et omnimode jurisdictionis, nec non ceterorum iurium predictorum tibi recipienti nostro et dictorum successorum ac romane Ecclesie nomine, faciende, et recognitionibus, ratificationibus, acceptationibus, affirmationibus, confirmationibus, emologationibus, cum iuramentorum prestationibus, obligationibus, etiam super dicto censu et alijs omnibus et singulis contentis in dictis litteris specialiter et expresse consenserint, easque fecerint et adimpleverint ut prefertur, salvis tamen manentibus declarationibus, moderationibus et suppletionibus supradictis, recepto etiam prius ab eisdem de stando mandatis Ecclesie atque nostris debito iuramento, per te vel alium seu alios in sacerdotio constitutos iuxta Ecclesie formam absolvas, mandans eis sub debito eiusdem prestiti iuramenti, quod passis iniuriam sive damna, si non satisfecerint, satisfaciant competenter et similia de cetero non committant, nec committentibus consentiant vel adhereant, sed eis in talibus penibus contradicant, et quantum in se fuerint impediant contrarium presumentes. Cum illis quoque personis ecclesiasticis ex eisdem qui predictis ligati sententijs per simplicitatem et iuris ignorantiam, non tamen in contemptum clavium, divina officia celebrarunt vel se ingesserunt eisdem, super irregularitate quam propterea contraxerunt, eis prius ad tempus iuxta tue discretionis arbitrium a suorum ordinum executione suspensis, eadem auctoritate dispenses, iniunctis eis super hoc penitentia salutari et alijs que de jure fuerint iniungenda prout animarum suarum saluti cognoveris expedire. Prefatos quoque Commune, Universitatem et populum, aliasque Universitates et Communia comitatus et districtus ipsorum et singulares personas eorum ex tunc auctoritate predicta restituas in integrum ad pristinum statum, famam, honores et privilegia et alia omnia et singula, ita quod status eorum occasione vel causa dictorum excessuum et culparum ac dictarum penarum et sententiarum et processuum quorumcumque premissorum occasione secutorum, in aliquo non vacillet nec remaneat diminutus, sed predicto Studio generali ac pristino statu, fama, honoribus, privilegijs et alijs beneficijs et iuribus plene in omnibus gaudeant et utantur sicut ante predictos processus ac predictorum commissionem excessuum uti poterant et gaudere de speciali nostra et eiusdem Sedis gratia et apostolice plenitudine potestatis.

Datum Avinioni, decimo septimo kalendas iulij, pontificatus nostri anno sexto.

LXVIII.

1340, 15 iunii.

Ex eodem tomo *Codicis diplomatici bononiensis,* num. III., c. 311 r.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Beltramino, episcopo cumano, apostolice Sedis nuncio, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam sicut per viros expertos et in regiminibus civitatum et aliorum locorum probatos civitates et loca ipsorum commissa regimini utiliter gubernantur, sic per inexpertos et novos

frequenter pacificus status locorum suo regimini commissorum evertitur, et multe oriuntur noxie, novitates, expedire cognoscimus ut in locis Ecclesie romane subjectis novitates, ex quibus possunt oriri pericula, quantum cum Deo possumus salubriter evitemus. Hijs igitur circa novitatem vitandam in regimine civitatis nostre bononiensis in scrutinium considerationis nostre deductis, fraternitati tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, presentium tenore committimus et mandamus, quatenus cum possessio, et quasi, civitatis bononiensis, comitatus et districtus et aliorum jurium juxta tenorem et formam literarum nostrarum super reconciliatione Universitatis, populi et Communis civitatis ejusdem hactenus confectarum, fuerit nobis et romane Ecclesie, seu tibi, quem ad id per alias nostras literas deputandum providimus, nostro et ejusdem Ecclesie romane et successorum nostrorum nomine restituta, et ratificatio omnium et singulorum contentorum in ipsis literis, salvis quibusdam declarationibus, moderationibus et suppletionibus noviter per nos factis super certis articulis contentis in literis memoratis, prout in literis nostris super hijs confectis plenius continetur, infra kalendas mensis septembris proxime futuras fuerit subsecuta, Thadeo de Pepulis, legum doctori, civi bononiensi, cujus provisione et diligentia dicti civitas, comitatus et districtus, sicut Universitas, populus et Commune bononienses nobis per eorum literas, nec non per magistros Petrum de Bonpetris, legum doctorem, ac Bonaventuram Jacobini, cives bononienses, sindicos et procuratores eorum, ad nos et Sedem apostolicam destinatos, sindicario et procuratorio nomine dictorum constituentium intimarunt, fuerunt hactenus in statu pacifico conservati, et sperant verisimiliter se imposterum conservandos, et ob hoc ijdem Universitas, populus et Commune, de ipsius Thadei regimine contententur; volentes nihilominus, et consentientes expresse per eosdem sindicos et procuratores habentes ad hoc speciale mandatum, ut ex procuratorio eorumdem evidenter apparet, quod in archivio romane Ecclesie facimus conservari, quod ijdem populus et Commune ad solutionem census nobis et successoribus nostris, ac Collegio Fratrum nostrorum sancte romane Ecclesie Cardinalium debiti faciendam etiam hujusmodi presenti concessione durante remaneant obligati, tu absque alia nominatione de ipso per dictos Universitatem, populum et Commune facienda, prius tamen eodem Thadeo a cujuslibet excommunicationis sententia vel sententijs, quibus propter contenta in literis reconciliationis predicte, vel auctoritate nostrorum processuum postmodum secutorum, fore noscitur innodatus post predicta per te plenarie executioni mandata, salvis declarationibus, moderationibus et suppletionibus supredictis, auctoritate nostra juxta formam Ecclesie absoluto, et injunctis sibi super hijs penitentia salutari et alijs que de jure fuerint iniungenda, admidistrationem plenariam jurium et bonorum ad eamdem Ecclesiam in civitate, comitatu et districtu predictis pertinentium gerendam et exercendam per eundem Thadeum, nomine et vice nostris et Ecclesie memorate, usque ad triennium apostolica auctoritate concedas, exceptis sacramento fidelitatis a Potestate et Capitaneo, quando cives bononienses per Capitaneum regi voluerint, ceterisque officialibus et civibus civitatis ejusdem recipiendo, nec non dominio ac mero et mixto imperio, jurisdictione et superioritate, et horum recognitione civitatis, comitatus et districtus predictorum, ad nos et dictam Ecclesiam spectantibus, census quoque annui nobis et successoribus nostris ac Collegio Fratrum nostrorum sancte romane Ecclesie Cardinalium ab eisdem civibus prestandi, ac etiam mittendorum equitum ad servitium ejusdem romane Ecclesie, receptione officialium quoque ad jurisdictionem hujusmodi vice et nomine romane Ecclesie exercendam, et administratoris jurium et bonorum Universitatis ejusdem per Commune et populum bononienses nominandorum, et per ipsam romanam Ecclesiam eligendorum, ponendorum, constituendorum seu deputandorum, electione, positione, constitutione et deputatione faciendis, et alijs juribus universis competentibus in civitate, comitatu et districtu bononiensibus eidem romane Ecclesie, secundum quod in dictis literis super dicta reconciliatione confectis, premissa plenius exprimuntur, que omnia nobis dictisque successoribus et romane Ecclesie integraliter reservamus, queque prout hec in dictis literis super dicta reconciliatione confectis plenius continentur, per nos et dictos successores ac eamdem romanam Ecclesiam, seu de mandato nostro et dictorum successorum et ejusdem Ecclesie, non tamen per eumdem Thadeum fieri volumus et etiam exerceri, salvis declarationibus, moderationibus et suppletionibus supradictis quas volumus observari. Recepturus ab eodem Thadeo, nostro et successorum nostrorum ac ejusdem Ecclesie romane nomine, juramentum fidelitatis debite sub hac forma: « *Ego Thadeus de Pepulis juro, quod ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro principi Apostolorum, et sanctissimo patri domino meo domino Benedicto pape duodecimo, eiusque successoribus canonice*

intrantibus, sancteque apostolice romane Ecclesie; non ero in consilio aut consensu vel facto, quod vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri erunt per se aut nuncios suos sive per literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam: et si scivero fieri vel procurari seu tractari aliquid, qucd sit in eorum vel Ecclesie predicte damnum, illud pro posse impediam, et si impedire non potero, illud eis et eidem Ecclesie significare curabo. Papatum romanum et regalia sancti Petri jura et jurisdictiones ipsius et successorum suorum ac romane Ecclesie, tam in hac civitate eiusque territorio et districtu quam alibi ubicumque existentia, adjutor ero ei et ipsis successoribus ac Ecclesie ad retinendum, defendendum et recuperandum, ac recuperata manutenendum contra omnem hominem, et quod hujusmodi officium per eumdem dominum meum dominum Benedictum papam michi commissum, et quicquid spectabit ad illud, vice et nomine ejusdem domini mei Pape, et successorum suorum et sancte romane Ecclesie bene et fideliter exercebo, universas et singulas conventiones, conditiones et promissiones in dictis litteris super dicta reconciliatione confectis, una cum declarationibus, moderationibus et suppletionibus supradictis, et omnia et singula, que in dictis literis continentur, plenarie, quantum in me fuerit, observabo, nec veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet, et hec sancta Dei Evangelia ». Denique eumdem Thadeum ex parte nostra horteris et inducas, ut sic laudabiliter et prudenter in administratione predicta se gerere studeat et habere, quod apud nos et Sedem eamdem non immerito valeat commendari, nosque et dicta Sedes ad prosequendum eumdem gratijs et favoribus ex ejus laudabilibus meritis rationabiliter inducamur.

Datum Avinioni, decimoseptimo kalendas iulij, pontificatus nostri anno sexto.

LXIX.

1341, 28 iulii.

Ex eodem tomo *Codicis diplomatici bononiensis*, num. XL., c. 710 r. (1)

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Thadeo de Pepulis, gerenti administrationem iurium nostrorum fiscalium in civitate, comitatu et districtu bononiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex hijs, que ad curiam hijs diebus scripsisti percepto, quod tu ad exaltationem honoris Ecclesie romane sincere zelo devotionis, sicut etiam teneris adstrictus, aspirans pridem ad requisitionem dilecti filij Thesaurarij provincie Romandiole, nobis et eidem Ecclesie immediate subjecte, pro reprimendis utilius rebellium ejusdem provincie presumptuosis temeritatibus non modicum apparatum equestris et pedestris gentis armigere ad eamdem provinciam promptis et devotis affectibus destinasti, quodque licet dilectus filius magister Philippus de Antilla prior ecclesie sancti Petri Scaradij Florentini, capellanus noster, rector ejusdem provincie dum nuper de Curia recedens ad civitatem applicuisset Florentinam, instigatus forsan pro parte dictorum rebellium te requisierit, ut gentem revocares eamdem: tu tamen certis rationibus eidem per literas tuas responsales pretensis id facere quousque aliter esses certioratus de nostro beneplacito super hijs omisisti, nos, premissis diligentius intellectis, devotionem tuam et circumspectam in hac parte diligentiam multipliciter in Domino commendamus, volentes, tuamque fidelitatem attentius exhortantes, quatenus circa premissa tam cum gente predicta quam alias, sicut utile ac expediens tibi et eidem Rectori videbitur, sibi taliter assistere non omittas, quod idem Rector tuo et aliorum fidelium et devotorum nostrorum et Ecclesie fultus auxilijs et favoribus eamdem, provinciam repressis rebellium et tiramnorum insolentijs, possit sub cultu pacis et justitie gubernare.

Datum Avinioni, quinto kalendas augusti, pontificatus nostri anno vij.

(1) Ex registro VII. Ep. sec., ep. 135, fol. 59.

LXX.

1341, 28 iulii.

Ex eodem tomo *Codicis diplomatici bononiensis,* num. XXXIX., c. 706 r.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Philippo de Antilla, priori ecclesie sancti Petri Scaradij florentini, capellano nostro, provincie Romandiole rectori, salutem et apostolicam benedictionem.

Super quibusdam, que dilectus filius nobilis vir Tadeus de Pepulis, gerens administrationem jurium nostrorum fiscalium in civitate, comitatu et districtu bononiensibus, nuper scripsit, eidem scribimus juxta formam, quam cedula continet presentibus interclusa. Cum autem attentis rationibus quas ipse tibi pretendisse dicitur et huc etiam misit, minime videatur expediens sic subita et festina revocatio gentis armigere per ipsum ad provinciam Romandiole, cujus Rector existis, pro reprimendis utilius rebellium presumptuosis temeritatibus destinate, volumus quod attentius, prudenter et mature hijs, que licent et expediunt hijs diebus, et que in recessu tuo tibi expressimus in memoria, recensitis, taliter ordinare studeas facta tua quod fidelium et devotorum nostrorum et Ecclesie, quorum aliquibus per literas quas tecum portasti, scripsimus, sicut nosti fultus si quando et quoties opus fuerit auxilijs et favoribus eamdem commissam tibi provinciam depressis rebellium et tiramnorum temeritatibus et insolentijs, per teque vitatis eorum fraudulentis astutijs, malitijs et blanditijs valeas, assistente tibi divina gratia, utiliter et feliciter gubernare.

Datum Avinioni, quinto kalendas augusti, pontificatus nostri anno septimo.

LXXI.

1341, 10 octobris.

Ex eodem tomo *Codicis diplomatici bononiensis,* num. XLI., c. 714 r.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Philippo de Antilla, priori ecclesie sancti Petri Scaradij florentini, capellano nostro, provincie Romandiole rectori, salutem et apostolicam benedictionem.

De te non sufficimus admirari, quod gentem armigeram quam pridem dilectus filius Thadeus de Pepulis, juris civilis professor, gerens administrationem jurium nostrorum fiscalium in civitate, comitatu et districtu bononiensibus, ad provinciam Romandiole pro rebellibus eiusdem provincie, ad nostram et Ecclesie romane obedientiam reducendis, antequam tu provinciam intrares eamdem non inmodico numero miserat, revocari contra consilium et persuasiones fidelium eiusdem provincie, ac in eiusdem Thadei displicentiam, licet nostras tibi ne ad hoc sic repente ac inconsulte prorumperes, destinavimus litteras, procurasti, propter quod rebelles predicti et tiramni dicte provincie invasores et occupatores iniuriosi et temerarij iurium bonorum et honorum nostrorum et Ecclesie predicte currum ascendentes elationis et superbie, contra nos et ipsam Ecclesiam ac fideles ipsius audacius et perniciosius solito sue malignitatis conatus exercent provincia, et fidelibus predictis remanentibus, sicut displicenter percepimus in maiori turbatione quam ante; quod grave non indigne gerimus et molestum presertim cum dictus Tadeus magnas pro missione dicte gentis expensas ex quibus nullus fructus propter revocationem eamdem collectus extitit, subisse dicatur, et ex facti evidentia ac ex hijs que referuntur ab aliquibus tua partialitate, nobis et Ecclesie ac fidelibus eisdem nociva non modicum, nunc valeas excusari. Rursus dilectum filium Ludovicum de Monte, archipresbiterum sancti Patritij imolensis diocesis, jurisperitum, qui diutius in eadem provincia officialibus et fidelibus nostris assistens, ut accepimus, fideliter et constanter pro conservatione bonorum iurium et honorum Ecclesie laboravit ad reprimendas calliditates et astutias

tiramnorum quarum habere dicitur notitiam se studijs sedulis impendebat, ab officio quod sibi velut fideli, utili et probato, ut fertur, dilectus filius Stephanus Bernerij, dicte provincie thesaurarius, dum officium vicerectoris in ipsa provincia gereret, committendum providerat, tu absque causa rationabili ac ignominiose pro tue voluntatis libito amovisti, alium in eodem officio deputando, sicque super hijs et alijs te gerendo quod status dicte provincie, qui ante tuum adventum ad eam per missionem dicte gentis non parum prosperari sperabatur, verisimiliter deterioratus est non modicum, et timetur, nisi provideatur aliter, damnis non reparandis faciliter subijci et iacturis. Ideoque quid te deceat et tibi expediat prospiciens diligenter actus tuos taliter corrigere ac dirigere non desistas, quod nos aliud super hijs agere quod deesse nequibit procul dubio nisi aliter prosperari audiverimus statum eiusdem provincie non cogamur, super quibus nobis rescribere poteris si et quando cognoveris oportunum. Prefatum autem Ludovicum ad officium predictum restituas, nisi forsan causa rationabili amotus ab illo fuerit, quam nobis non differas intimare.

Datum Avinioni, sexto idus octobris, pontificatus nostri anno septimo.

LXXII.

1342, 21 maii.

Ex tom. LXIII. p. I. *Codicis diplom. bonon.*, n. II., c. 5.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filijs nobili viro Thadeo de Pepulis, gerenti administrationem jurium nostrorum fiscalium in civitate, comitatu et districtu bononiensibus, ac Communi, Universitati et Populo bononiensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

In precelso throno divini culminis sapientie altitudo, sublimitas potentie ac prudentie plenitudo consistunt, et qualiter dispositione superna detur esse rebus, mutentur et varientur creaturarum conditiones et status aliaque gratiarum munera ineffabili providentia dispensentur, humani non capiunt intellectus. Supernus namque conditor in omnipotentia sua admirabilis dixit, et facta sunt, et que ipse voluit sunt creata et perfecta, habens tamquam ille, qui cuncta palmo concludit, ad singula potestatem, quandoque facit fortem ex debili, et nonnumquam ponit humiles in sublimi, ac sacrosanctam Ecclesiam catholicam, quam sibi charitatis inseparabilis dulcedine copulavit, salubriter dirigit et gubernat. Nuper siquidem felicis recordationis Benedicto papa XII. predecessore nostro, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, venerabiles Fratres nostri Episcopi, Presbyteri et Diaconi sancte romane Ecclesie Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione romani Pontificis convenientes in unum, Sancti Spiritus, ut moris est, gratia invocata, quasi per inspirationem ipsius in nos, sicut divine clementie placuit, vota sua concorditer direxerunt, nos ad conscendendam speculam apostolici culminis, et subeundam gravissimam totius orbis regiminis sarcinam eligentes. Verum cum ad tante dignitatis apicem obstupemus assumi, eo quod impotentie nostre humeri ad tantum onus non sufficerent supportandum, tandem sperantes in illo, qui reddit suave jugum suum et onus leve illa portantibus patienter, ad ipsorum Fratrum instantiam, votis acquievimus eorumdem, et colla nostra submisimus humiliter jugo apostolice servitutis, et subsequenter benedictionis et coronationis nostre solemnia juxta morem in personis felicis memorie romanorum Pontificum predecessorum nostrorum hactenus observatum suscepimus, ad gratiarum fontem de cujus accipiunt plenitudine universi, ad pastoris videlicet eterni clementiam in humilitatis spiritu recurrentes, ut ipse non juxta nostrorum meritorum exigentiam, sed secundum sue superabundantiam pietatis debilitati nostre sic tribuat roboris fulcimentum, quod susceptum onus ad laudem sui nominis, Ecclesie universitatis honorem et statum, salutem et tranquillitatem fidelium, ipso cooperante, deferre, ac in populis sollicitudini nostre creditis quarumlibet dissensionum ex eis amputata materia, ministrare bonum pacis, ad que nostra summe aspirat intentio, valeamus: sollicitudine itaque publice administrationis assumpta, et plena de vobis concepta fiducia quod ad supportandum tanti oneris molem in charitate illius qui vos optat celestis regni fore consortes, fideles eritis adjutores, universitatem vestram hortantes in Domino Jesu Christo, vobisque nihilominus per apostolica scripta mandamus, quatenus, sub

timore Domini dirigentes vestras continuis studijs actiones, letificetis exhibitione filialis devotionis et reverentie mentem vestram, de nostra et apostolice Sedis benevolentia confidentes quod vos tamquam devotos filios intendimus prosequi gratia et favore.

Datum Avinioni, xij kalendas junij, pontificatus nostri anno primo (1).

LXXIII.

1342, 12 iulii.

Ex eiusdem codicis parte I., n. IX., c. 49 r.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Thadeo de Pepolis, legum doctori, civi bononiensi, gerenti administrationem jurium fiscalium ad nos et romanam Ecclesiam in civitate et comitatu et districtu bononiensibus spectantium, salutem et apostolicam benedictionem.

Dudum per felicis recordationis Benedictum papam xij, predecessorem nostrum, reconciliatione dilectorum filiorum universitatis Populi et Communis civitatis, comitatus et districtus bononiensium ad nos et Ecclesiam romanam spectantium, qui serpentina deceptione seducti, ab ejusdem Ecclesie devotione desierant, sub certis modis, formis, conventionibus et conditionibus in literis prefati predecessoris inde confectis, contentis plenius et expressis recepta, volens predecessor prefatus regimini comitatus, civitatis et districtus predictorum utiliter et salubriter providere, venerabili fratri Beltramino bononiensi tunc cumano episcopo, quem ad civitatem, comitatum et districtum predictos super ratificatione contentorum in predictis literis per eum a prefatis Universitate, Populo et Communi nomine predecessoris et Ecclesie romane predictorum recipienda, et nonnullis alijs agendis et expediendis, ibidemque in literis commissionum sibi per prefatum predecessorem factarum super his exprimuntur, transmisit committendum, providit per suas literas, et mandandum, ut postquam possessio, et quasi, civitatis, comitatus et districtus et aliorum jurium predictorum juxta tenorem et formam literarum ipsarum confectarum, ut premittitur, super reconciliatione jam dicta, esset prefatis predecessori et Ecclesie romane, seu persone vel personis quam vel quas ad id duceret deputandam vel etiam deputandas, plenarie restituta; et ratificatio omnium et singulorum contentorum in ipsis literis, salvis tamen certis suppletionibus contentis in alijs ipsius predecessoris literis, existeret subsecuta, per cujus fidelitatem et circumspectam prudentiam sperabat civitatem, comitatum et districtum predictos in statu pacifico et cultu justitie posse regi, et maxime quia dictus populus reputabat de tuo regimine se contentum, administrationem plenariam jurium et bonorum ad eamdem romanam Ecclesiam in civitate, comitatu et districtu predictis pertinentium per te gerendam et exercendam nomine ac vice predecessoris et Ecclesie predictorum usque ad triennium auctoritate apostolica concedere procuraret, sacramento fidelitatis et receptione ipsius a Potestate et Capitaneo, quando Bononienses per Capitaneum regi vellent, a ceterisque officialibus et civibus civitatis ejusdem, nec non dominio ac mero et mixto imperio, jurisdictione, census constitutione, et mittendorum equitum ad servitium ejusdem Ecclesie obligatione ac officialium ad jurisdictionem hujusmodi vice et nomine ipsius romane Ecclesie exercendam, et administrationis jurium et bonorum Universitatis ejusdem per Commune ac Populum bononienses nominandorum, et per ipsam Ecclesiam eligendorum, ponendorum, constituendorum, sive deputandorum electione, positione, constitutione seu deputatione faciendis, et alijs juribus universis in civitate, comitatu et districtu predictis eidem romane Ecclesie competentibus, secundum quod in dictis literis super predicta reconciliatione, ut prefertur, confectis plenius continetur: salvis semper et illesis permanentibus et integraliter apud Ecclesiam remanentibus supradictam, que omnia, ut premissum est, prefatis literis factis super reconciliatione jam dicta plenius continetur. Preterea voluit predecessor predictus quod idem episcopus a te sub forma, que sequitur, fidelitatis reciperet juramentum: « *Ego Thadeus de Pepulis juro quod ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro principi apostolorum et sanctissimo patri domino meo, domino Benedicto pape xij, ejusque successoribus canonice intrantibus, sancteque apostolice*

(1) Ex Reg. VI. anni I.; *Epist. de coronatione,* pag. 76, fol. 4 r.

romane Ecclesie; non ero in consilio aut consensu vel facto quod vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione; consilium, quod mihi credituri erunt per se aut per Nuncios suos sive per literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam etc. ». Sane, cum prefatus episcopus, forma literarum ipsius predecessoris sibi directarum super his in omnibus observata, tibi dictum officium, auctoritate predicta duxerit usque ad triennium concedendum, itaque illud a te reverenter susceptum exercueris, sicut intelliximus, fideliter et prudenter, nos sperantes quod in eodem regimine, si tibi committatur ulterius, te laudabiliter, cum vir peritus et circumspectus existas, imposterum gerere ad honorem Dei ac nostrum et ejusdem Ecclesie nec non quietem et pacem bononiensis populi procurabis, tibi dictum officium, modo et forma quibus tibi per prefatum episcopum vice ac nomine dicti predecessoris et ejusdem Ecclesie romane concessum, ut prefertur, extitit, a fine dicti triennii jam instantis usque ad tres annos ex tunc continue subsequentes, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus, sub retentionibus et conditionibus supradictis. Ita tamen quod antequam hujusmodi officium pro tempore quo illud tibi de novo concedimus, incipias exercere, aut eidem te immisceas quoquomodo, dictum juramentum fidelitatis juxta formam premissam in manibus dilecti filij Rectoris Romandiole, vel alterius ab eo super hoc specialiter deputandi, non sui ratione officij sed auctoritate apostolica, nostro et Ecclesie romane nomine recipientis, prestare corporaliter tenearis: super qua quidem prestatione confici volumus publicum instrumentum tuo sigillo munitum, formam dicti juramenti et tenorem presentium de verbo ad verbum continens, quod nobis infra quadraginta dierum spatium post ejusdem prestationem juramenti per proprium nuncium destinare procures. Rursus quia desiderijs optamus intensis Populum civitatis, comitatus et districtus predictorum, velut nostrorum et Ecclesie memorate peculiarem, in cultu pacis et justitie sub nostris et ipsius Ecclesie fidelitate et obedientia, nec non ecclesias et personas ecclesiasticas civitatis, comitatus et districtus predictorum in suis juribus et libertatibus confoveri, discretionem tuam attentius exhortamur, tibique mandamus expresse quatenus ut votis nostris in hac parte, suffragante divina gratia, satisfiat, sic circa hec prudenter et provide studiosis et fidelibus sollicitudinibus elabores, quod praeter perennis mercedis premium, quod inde mereri poteris, nostram et Sedis ejusdem gratiam tibi vendices non indigne.

Datum Avinioni, quarto idus julij, pontificatus nostri anno primo (1).

DE THADAEO PEPULO.

APPENDIX MONUMENTORUM SUMMARIE DESCRIPTORUM.

Quoniam in Thadaei Pepuli vita, quae in praecedenti tomo occurrit, plures apostolicas literas ad ejus et gesta et imperium spectantes daturos nos in Appendice polliciti sumus, obligatam fidem liberare aggredimur; et ita quidem, ut uberiorem etiam monumentorum illius temporis copiam exhibeamus. Hujusmodi historiae particulam, quae non mediocris est momenti, illustrare et ignotis hucusque monumentis firmare opportunum duximus, non modo quia rem ipsam penitus noscere jucundum et utile est, sed etiam quia cum Universitatis ejusque non paucorum professorum, de quibus post Thadaeum scripsimus, historia magnam habet conjunctionem. Ad rem autem e voto perficiendam fatemur ingenue profuisse nobis magnopere quae vir clarissimus Ludovicus Montefani Caprara, iurisconsultus eximius, et bibliothecae Instituti scientiarum ab immortali Benedicto XIV. praefectus, pro adornando eiusdem bibliothecae indice summo labore summaque industria collegit. Et ne tot apostolicae literae, quae longissimae saepenumero sunt, magna fortasse legentium molestia una jungerentur,

(1) Ex Reg. I com. epist. 1785.

plerasque ita contraximus, ut ea, quae scitu digna iisdem continerentur, accurate exponeremus; quae vero abundarent, relinqueremus. Ipsa, quantum licuit, epistolarum verba retinenda duximus, quae si non elegantiam, majestatem certe gravitatemque haud exiguam praeseferunt, et praeterea excerptis ipsis majorem quodammodo fidem conciliare videntur. Omnia autem hausimus partim ex *Codice Diplomatico civitatis Bononiae* (1), de quo in additamentis in primo huius operis tomo, pag. 276 locuti sumus, partim ex altero, qui inscribitur *Catalogus veterum monumentorum bononiensium,* quique auctorem habet Philippum Antonium Ronconium, iurisconsultum pisaurensem, secretioris vaticani tabularii olim custodem (2). Rem totam exordimur a literis Benedicti XII., quas graves admodum et minaces Bononiensibus perscripsit, postquam nec hortationibus nec precibus ad officium eos revocari potuisse intellexit:

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filijs Communi Bononiensi, spiritum Consilij Sanioris.

Monet ut ad bonam frugem revertant, ac praeteritorum criminum veniam humiliter poscant, alioquin graviores poenas ipsis minatur. Datum Avinioni XI. kal. novembris, anno II. (3)

Cum nihil adhuc profecisset Pontifex, initio insequentis anni, hoc est MCCCXXXVII., contra Bononienses processum instituit, in quo late et diffuse initium, progressus et consumatio eorumdem rebellionis contra sanctam Sedem una cum poenis appositis, et a potestate pontificia latis, per extensum continentur: et ut ejusdem aliqua habeatur notio, operae pretium fuerit dictum processum summatim, prout sequitur, expendere. Bononienses postquam in publico Consistorio fassi fuerant coram Johanne XXII. suam antiquam subjectionem erga sanctam Sedem, in unum postea congregati, et de more, generali praehabito Consilio, subjectionem eamdem evertere non dubitarunt. Hostiliter igitur agentes, Bertrandum ostiensem et veliterensem episcopum in civitate Bononiae Legatum commorantem, una cum ejus familia et curia in castro per eum constructo et sito infra Communitatem praedictam, per decem dies obsederant, nunc bellicis instrumentis et balistis, nunc lapidibus praedictum castrum expugnare tentantes, nunc vero, ruptis aquaeductibus igneque posito in aliquibus fortalitiis dicti castri, ut Legatus cum gente sua fame periret, fovea seu fossata facta, adversus alloquentes vel victualia Legato ferentes rigorosis poenis adjectis, alta voce proclamabant: « *Moriatur Legatus, et illi de Lingua Occana* », fere ut vix datum fuerit Legato festinanter e castro ac a civitate recedere. Tempore obsidionis Oliverius Berardi, miles maresciallus gentis Ecclesiae ejusque officiales in eorum palatio prius aggressi, postea depraedati, et tandem in vinculis et compedibus ferreis constricti ac ab eorum officiis amoti fuerant. Bertrandus archiepiscopus ebredunensis, Petrus mirapiscensis et Bertrandus Bononiae episcopus, cum Abbatibus Nonantulae et sancti Stephani Bononiae, nedum depraedati verum etiam coacti episcopale palatium incendio suppositum, castra episcopatus et ecclesiasticos omnes depraedatos sub oculis cernere. Inter caeteros Abbas nonantulanus usque ad femoralia nudatus, carceribus detentus est, et Bertrandus de Glar, qui episcopi familiaris erat, occisus, evisceratus, per frusta concisus, carnibus ejus projectis

(1) *Monumenta civitatis Bononiae* in Bibliotheca Universitatis Bononiensis.

(2) *Romanorum pontificum atque imperatorum epistolae ac diplomata, quibus celeberrimam Bononiam urbem eiusque cives eximiis honoribus ac privilegiis decorarunt, ex secretioris vaticani tabularii codicibus nunc primum eruta ac summatim recensita studio ac labore Ph. Ant. Ronconi.* (In Bibliotheca Universitatis Bononiensis cod. mss. n. 317).

(3) Vide sub num. LIX., car. 97.

et canibus in escam datis, usquequo tandem furore damnabilis indignationis iidem bononienses accensi, devictum castrum Legati magnis quidem expensis romanae Ecclesiae aedificatum funditus sunt demoliti; et postea in civitatem et districtum, jam liberatis a carceribus pluribus homicidiariis et maleficis hominibus, ad civitatem bannitos et hostes romanae Ecclesiae, marchiones nempe Estenses cum eorumdem stipendiariis Bononiam introduxerunt. Idcirco quemadmodum ultimis diebus pontificatus Johannis XXII. nil fieri potuit, ita Benedictus XII., ejusdem successor, praemissis necessariis monitionibus et in irritum cessa expeditione Archiepiscopi ebredunensis, de Fratrum consilio monet Defensorem populi, Potestatem, Capitaneum, Consules, Consiliarios, de quibus omnibus in hac eadem litera nomina habentur, ut infra duorum mensium spatium in pristinum statum omnia reducant, et tandem aliquando in manibus episcopi florentini, vel imolensis, provinciae Romandiolae Rectoris, in pacificam possessionem civitatis, comitatus et districtus sanctam Sedem restituant, sub poena majoris excommunicationis et interdicti, quorum ne valeant ignorantiam allegare, praescribitur in eodem processu modus eos citandi, qui fuit contra omnes singularibus nominibus vocatos et in eodem processu contentos [1]. Datum Avenione IV. non. januarii ann. III.

Nomina eorum, qui in apostolico processu citantur:

Franciscus, episcopus cenetensis, Alamannus de Opicis de Luca, miles, Thadaeus de Pepulis, legum doctor, Johannes et Jacobus, ejus filii, Johannes de Pepulis, frater dicti Thadaei, Comes de Pepulis, ejus filius, Lippus de Pepulis, Bornius de Samaritanis et Raynerius ejus filius, milites, Bitinus de Samaritanis, Brandalisius de Gozzadinis, miles et legum doctor, Calorius Bartholuccius, Carlinus de Gozzadinis, Paulus de Liazariis, doctor decretorum, Franciscus de Liazariis, legum doctor, Macagnanus de Azzoguidis, antiquior, legum doctor, Thomas de Formaginis, legum doctor, Petrus de Bompetris, legum doctor, Jacobus de Buttrigariis, legum doctor, Bartholomeus et Laurentius de Buttrigariis, legum doctores, Bonincontrus, filius Johannis Andreae decretorum doctoris, Ferrinus de Galluciis, miles, Colatius et Bechadinus de Beccadellis, Mazarellus de Cuzano, Dinarellus de Gisleriis, Carlinus de Gisleriis, Michael et Jacobus de Argelata, Philippus de Asinellis, miles, Raynerius de Odofredis, miles, Nicolaus de Sala, Bonromeus de Suricis, Dinarellus de Thebaldis, Maghinardus de Primadiciis, Bertus de Bazaleriis, Bazalerius quondam Nicolai de Bazaleriis, Jacobus de Cazanimicis, Albertus, alias dictus Delbruza, de Cazanimicis, Guiduccius de Ramponibus, Fulco de Borellis, Paulus et Laurentius de Bonacaptis, Blancalinus Jardinus, Brintinus Blanchus, Bertus et Jacobus de Blanchis, Tifolus de Galluciis, Gilinus et Gardinus de Papazonibus, Passipauper de Passipauperibus, Franciscus de Guastavillanis, Zacharias de Tinathis et Muzolus de Tinathis, Jacobus de Dalphinis, Nerius de Dalphinis, Salvaticus de Dalphinis, Branchinus de la Cavezas, Franciscus de Bentivoliis, Bentus de Bentivoliis, Jacobus de Bentivoliis, Muzolus de Baldovinis, Carducius et Laygonus de Basacomatribus, Bertus et Petrus de Basacomatribus, Donnus de Pretis, Thomas de Carneleva alias de Pretis, Guiducius de Pretis, Mattheus de Pretis, Betinus de Clarissimis, Franciscus de Claris, Antonius, Nicolaus et Tazolinus de Albergatis, Berthucius de Prendipartibus, Minus de Garisendis, Nutus de Ticiis, Bertus de Ursis, Jacobus, Bertus et Ferrantes de Ferrantis, Thadaeus et Paulus de Bom-

(1) Vide sub num. LXV., car. 108 et seqq., et etiam in cit. *Cod. dipl.*, vol. 80, num. LXXI-LXXXIII., et vol. 81 num. I-VII., nec non in Ronconi, op. cit., vol. I., c. 277-302.

barone, magister Julianus de Preuntis, medicus, Fulco de Tencarariis, Paulus Masi, Nicolaus de Burellis, Nicolaus de Magnanis, Jacobus de Magnanis, Guido et Nannes de Scanellis, Bunasellus de Bunasellis, Franciscus et Jacobus Mascaronis, Thomas Tancredi, Thorellus de Thorellis, Paulus et Nicolaus de Zambeccariis, Bartholomeus, Johannes et Fulco de Zapolino, Jacobus et Blasius de Unzola, Bartholomeus et Petrus de Sancto Alberto, Paulus de Albirolis, Benvenutus de Ticiis, Jacobus, Franciscus et Petrus de Manzolino, Bertucius de Pavanensibus, Jacobus et Berthinus de Angelinis, Sandrus de Sancto Petro, Bertus de Serravalle, Jacobus et Pavolinus de Canonicis, Paulus et Petrus de Octobonis, Petrus Rubeus et Nicolaus de Albirolis, Thomas de Bagnarola, Rombolinus et Corsus de Rombolinis, Facius, Berthus et Bartholomeus de Bonromeis, Johannes de Baratheriis, Franciscus de Mezavillanis, Simon de Sperzonatis.

Archiepiscopo mediolanensi.

Quod praedictum processum publicet in civitate Mediolani. Datum ut supra (IV. nonas ianuarii, anno III.[1])

Archiepiscopo Ravennae.

De eadem re et sub eadem data[2].

Florentino et imolensi episcopis et Rectori provincie Romandiolae.

Quod processum praedictum in suis dioecesibus et provincia publicent, et quatenus secure publicatio ejusdem fieri nequeat in civitate Bononiae, in vicinioribus locis id agatur, quodque tandem possessionem civitatis, comitatus et districtus bononiensis recipiant nomine Ecclesiae romanae teneant. Datum ut supra[3].

Communi, Universitati et Populo civitatis nostrae bononiensis.

Paulus de Liazariis, decretorum magister, Machagnanus de Azzoguidis et Petrus de Bompetris, legum doctores, oratores et nuncii atque concives Bononiae, una cum Rolando quondam Johannis de Fantucis, syndico, procuratore et nuncio speciali ejusdem civitatis, supplices et humillimas in publico consistorio domino Papae porrexerunt preces pro impetranda venia criminis laesae majestatis a Bononiensibus contra apostolicam Sedem paulo ante commissi. Quapropter, recognitis prius actis, gestis, promissis, pactis et factis ab iisdem supradictis oratoribus, summus Pontifex ad perpetuam rei memoriam quasdam apostolicas literas ex benignitate et ingenita misericordia et clementia concessit, quarum plena executio ne in ancipiti remaneret, eosdem oratores certiores fecit, pro implemento conditionum ab eisdem Communitatis nomine promissarum, Bononiam missurum magistrum Guigonem de Sancto Germano, notarium, et apostolicae Sedis nuncium, coram quo omnes adimplendae erunt conditiones et promissa pacta ac ab illo deinde honorum, dignitatum et absolutionis obtinenda reintegratio. Datum Avenione, secundo idus octobris, anno quarto[4].

Magistro Guigoni de Sancto Germano, notario nostro, apostolicae Sedis nuncio.

In hac epistola Nuncius fit certior inter caetera privilegia Bononiensibus concessa, alterum versari in eo quod iidem Bononienses in Potestatem, Capitaneum, Defensorem,

(1) Ronconi, op. cit., vol. I., c. 239 r.
(2) Loc. cit., c. 239 r.
(3) Loc. cit., c. 239 v.
(4) Loc. cit., c. 239 v. e 240 r.

Conservatorem vel Confalonerium ejusdem civitatis, tres cives qualibet vice pro singulis hujusmodi dictis officiis nominare possint; ea tamen conditione ut electio ad dictam sanctam Sedem pertineat: et in casu quo nominatae personae Papae non placuerint, aliae tunc sint ab eadem Communitate nominandae; dummodo tamen Potestas et Capitaneus per sex menses eligantur, et eorum quilibet juramentum fidelitatis praestet: super quibus omnibus decernit Pontifex Nuncium acturum juxta formam cujusdam literae apostolicae, quae circa praesentem versabatur materiam. Datum Avenioni, ut supra (1).

Communi Bononiae.

Quod benigne dictum Nuncium recipiant, et de octo florenis auri quolibet die eum provideant. Datum ut supra (2).

Rectori Provinciae Romandiolae.

Quemadmodum juxta conventa inter Papam et Syndicum Bononiae pactum fuerat quod, secuto obitu Potestatis vel Capitanei, tunc pro residuo temporis eorumdem officialium nominatio, non ratione officii, sed auctoritate apostolica, Rectori provinciae Romandiolae competeret, ita demandetur ei ut juxta formam in literis apostolicis contentam agat; dummodo praedictorum officialium nominatio ad sex menses, praevio juramento, per eum fiat, nulla penitus recepta mercede. In fine autem hujus epistolae idem Rector provinciae certior fit de adventu Nuncii apostolici ad civitatem Bononiae. Datum ut supra (3).

Excerpta ex apostolica ejusdem Benedicti XII. Constitutione:

Ad gremium sanctae Sedis cives bononienses redire cupientes, ad Curiam denuo praedictos oratores et Rolandum Fantuzzi, eorum syndicum et specialem nuncium, legaverant, qui in consistorio publico pro venia commissorum excessuum et absolutione excommunicationis incursae humiliter supplicantes, praemissis variis pactis et promissionibus hinc inde conventis, prout petierant et exoptaverant, hujusmodi grave negotium ad finem perduxerant.

Haec est summa praefatae apostolicae Constitutionis; at quia plura pacta hujusmodi reintegrationis praecesserant, operae non inutilis pretium erit singillatim ea omnia indistincte in eadem apostolica Constitutione contenta (retenta tamen methodo ibi servata) reducere ad capitula, quae erunt sequentia:

Primum capitulum promissum et juratum, prout ea omnia alia fuerunt, consistit in eo quod Rolandus de Fantuziis in consistorio, prout fecerat, fateatur dominium civitatis, comitatus et districtus Bononiae ab antiquo tempore, una cum mero et mixto imperio, ad sanctam romanam Ecclesiam pertinuisse ac pertinere.

II. Quod Bononienses Papam et sanctam romanam Ecclesiam in dominum recognoscant.

III. Reintegratio sanctae Sedis in pleno dominio et mero et mixto imperio una cum traditione clavium civitatis, quae in consistorio publico quoque traditae fuerant.

IV. Quod actus tradendae possessionis fiat in manibus cujuscumque personae a

(1) Loc. cit., c. 240 r. e v.

(2) Loc. cit., c. 240 v.

(3) Loc. cit., c. 241 r.

sancta Sede destinandae, cum praefixione termini ad ratificandum, usque nempe ad medietatem proximae quadragesimae.

V. Consistit in juramento non recipiendi Ludovicum de Bavaria, neque eum in imperatorem recognoscendi, nec etiam aut ei aut aliis Ecclesiae romanae rebellibus ingressum in civitatem Bononiae permittendi absque expressa licentia sanctae Sedis.

VI. In juramento praestando super fidelitate ab eodemet Syndico, prout in publico consistorio praestitum fuit.

VII. Consistit in formula juramenti per singulares cives praestandi, quae ibi inserta habetur.

VIII. Quod omnes ejusdem civitatis, comitatus et districtus juxta traditam formam jurent.

IX. Quod ligas aut confoederationes Bononienses numquam faciant cum hostibus sanctae Sedis; sed immo cum hostibus hostes, et cum devotis romanae Ecclesiae amici eorumque fautores et defensores, Bononienses existant.

X. Quod in subsidium romanae Ecclesiae vel cujuscumque loci eidem sancte Sedi immediate subjecti, Bononienses debeant praestare auxilium ducentorum armatorum hominum per tres menses quolibet anno usque ad septuaginta milliaria longe a civitate Bononiae; nisi tamen eadem civitas obsessa foret, aut hostes contra eam insidias molirentur.

XI. Quod injurias et damna Legato, Episcopis mirapiscensi et bononiensi illata, emendare debeant juxta ordinationem Annibaldi episcopi tusculani.

XII. Quod emendatio in praedictum modum quoque fiat eorumdem familiaribus.

XIII. Consistit in reintegratione ecclesiarum, bonorum et personarum ecclesiasticarum civitatis, comitatus et districtus.

XIV. Expulsos a civitate motivo partialitatis et non ratione delicti, reintegrandos fore in libertate et bonis, etiamsi publicatis; dummodo tamen iidem expulsi ad patriam redeuntes, vectigalia ut alii cives solvant, mandatis civitatis pareant ac in eorum congressu juramentum fidelitatis favore sanctae Sedis praestare non recusent.

XV. Quod tam expulsis, quam cuicumque personae civitatis, comitatus et districtus damna illata emendent.

XVI. Statuta vel praefatis capitulis contraria vel ecclesiasticae libertati opposita vel occasione rebellionis facta, revocentur, et ab actis sive cartulariis deleantur.

XVII. Quod si contigerit vel Papam vel Legatum apostolicum in eadem civitate residere, tunc, ultra consuetam et antiquam jurisdictionem quam romani Pontifices ubique locorum ubi cum romana Curia residere solent, per eorum officiales vel Legatum libere exercent, tam idem Papa quatenus resideat, quam Legatus Bononiae in ejus absentia, debeant inter cives Bononiae in Potestatem et Capitaneum eligere quoscumque voluerint absque ulla communitatis ejusdem intelligentia et nominatione.

XVIII. Quod quolibet anno in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli Bononienses seu eorum communitas solvere debeant censum octo millia florenorum auri boni et legalis ponderis de Florentia, sub poena contra Potestatem et alios officiales civitatis in casu contraventionis infra tres menses excommunicationis ipso facto, incurrendae, et in casu ulterioris contumaciae aliorum trium mensium, sub poena interdicti et suspensionis Studii generalis omniumque aliorum privilegiorum; et tandem, durante adhuc contumacia, sub poena privationis generalis Studii ac omnium praerogativarum ac beneficiorum ecclesiasticorum eisdem Bononiensibus competentium.

XIX. Quod non ex eo quod census solvitur et ducentorum armatorum hominum

subsidium promittitur, sancta Sedes teneatur propriis expensis civitatem Bononiae defendere, nec ex his jus aliquod intelligatur eidem civitati translatum; sed quod immo Communitas et Populus bononiensis remaneant et existant sub protectione apostolicae Sedis.

XX. Quod ratificatis intra praefixum tempus praefatis capitulationibus, ac tradita seu restituta sanctae Sedi possessione dominii, Communitas nominare possit tres personas, quarum una a sancta Sede in Potestatem Bononiae sit eligenda, dummodo tamen nominata persona eidem sanctae Sedi grata sit, et quatenus non nova fieri debeat nominatio: et addito quod hujusmodi officium de semestri in semestrem, quoad personam illud exercentem, renovari debeat; et si casus evenerit, mortis nempe Potestatis ante semestrem, tunc Rector pro tempore provinciae Romandiolae, non ratione officii, sed auctoritate apostolica sibi commissa, jus eligendi intra tres nominandas personas habeat, praestito semper a quocumque Potestate juramento Potestariae officium nomine romanae Ecclesiae exercendi.

XXI. Idem agatur in electione Capitanei, quatenus a Capitaneo gubernare Bononiensibus placuerit.

XXII. Quod pro pacifico et utili statu Universitatis deputetur persona idonea, provida et Ecclesiae romanae devota, quae in seditionibus cohibendis et in libertate ac bono conservando regimine, fideliter agat, quaeque appelletur Defensor vel Conservator aut Confalonerius Bononiae. In electione hujusmodi servetur forma nominationis trium personarum, et juxta praescripta in cap. XX. et XXI. nominatus in Confalonerium ad placitum sanctae Sedis eligatur, et ad biennium et non ultra; eoque amoto ab officio, nemo ei obediat; et eo decedente, iterum fiat nominatio. Idem Confalonerius juramentum praestet regendi et administrandi nomine sanctae Sedis. Eidem Confalonerio pro tempore non competat facultas expellendi aliquem a civitate, aut jus aliquod exercendi in eis quae ad Potestatem seu Capitaneum pertinent. Tandem hujusmodi officium, de consensu tamen Communitatis, arbitrio sanctae Sedis evelli et destrui possit.

XXIII. Quod eidem communitati nominatio competat minorum officialium, dummodo tamen quae civitatis sunt, nomine Communitatis, et quae fisci, nomine romanae Ecclesiae, administrentur.

XXIV. Quod super hujusmodi administratione qualibet vice a praedictis officialibus de bene administrando juramentum praestetur, et in hoc distincte promittatur, Confalonerium sive Defensorem aut Conservatorem vel Capitaneum civitatis Bononiae in nihilum quoad praedicta per eos recognosci.

XXV. Quod deputentur a Papa quatuor Judices appellationum, qui juxta patrias leges judicent, et mercedem accipiant ab eadem Communitate.

XXVI. Quod stipendiarii, qui ad dictae civitatis stipendia pro tempore assumentur, in manibus unius ex Judicibus appellationum praedictorum capitulorum observantiam jurent, ea adjecta conditione quod iidem stipendiarii a Papa valeant amoveri et quod in hoc casu substitui debeant personae sanctae Sedi gratae et acceptae.

XXVII. Quod omnino et indistincte ac sine mora, usque tamen ad sanctae Sedis beneplacitum, omnia fiscalia exigantur, teneantur et habeantur in liberam administrationem ejusdem Communitatis, quae tamen ea debeat in civitatis et romanae Ecclesiae utilitatem convertere, ac ex ipsis et aliis emolumentis stipendia solvere officialibus, et de quibuscumque necessariis et opportunis providere civitatem, comitatum atque districtum, ad quorum conservationem vel defensionem nihil de proprio sancta Sedes erogare debeat.

XXVIII. Quod compellantur per communitatem intrinseci contradictores praedicta capitula observare.

XXIX. Quod capitula hinc inde conventa solemniter acceptari debeant, convocato Consilio generali, ac una simul ratificari infra medietatem proximae futurae quadragesimae, et ad omnia teneri sub poena quinquagentarum marcarum auri.

XXX. Quod omnia humiliter ab eadem Communitate expetita, rata et grata habeantur a sancta Sede, quae, praemissa absolutione a poenis incursis, reintegret Bononienses ad omnia privilegia ex beneficentia apostolica ipsis collata.

Hujusmodi Constitutio data fuit Avenione IV. idus octobris, anno quarto (1).

Magistro Guigoni, apostolicae Sedis Nuncio.

Superioris Constitutionis apostolicae tenor hic inseritur: ac instructo magistro Guigone de iis quae acciderant, demandat ei Pontifex, quod Bononiam se transferat, et in casu, quo Communitas ratificaverit praefatam apostolicam Constitutionem, omnia in eadem contenta exequantur. Datum ut supra (2).

Eidem:

Quod possessionem civitatis Bononiae, sive per se sive per alium capiat; et de actibus possessionis duo fiant instrumenta, quorum alterum Avenionem transmittat. Datum ut supra (3).

Eodem anno, idibus octobris, dedit Pontifex perhonorificas literas Thadaeo Pepulo, quae inscribuntur:

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Thadeo de Pepulis de Bononia, juris civilis professori, salutem et apostolicam benedictionem (4).

Aquilejensi et Gradensi Patriarchis, eorumque suffraganeis.

Quamvis tam publice et solemniter oratores et nuncii Communitatis Bononiae fere ad evidentiam demonstraverint ad gremium sanctae Sedis redire velle, et summus Pontifex ex benignitate apostolica cum eisdem convenerat de triginta capitulis, in registro anni quarti epist. LXVI. contentis, vix tamen ad civitatem Bononiae accesso magistro Guigone, ut possessionem ejusdem civitatis una cum juramentis fidelitatis reciperet, verum facies in totum mutata est.

Idem enim Nuncius in palatio Communis receptus a Thadaeo de Pepulis, statim ac eidem Thadaeo ac Universitati et Populo petiit conventorum ratificationem, ab eodem Thadaeo multa minus verecunda et quasi seditiosa verba in responsum habuit, quorum summa est: Quod tunc impossibile erat observare ea quae in literis apostolicis continebantur, quodque circa nominationem Confalonerii et officialium, cum jam ipse a civitate et populo ad vitam in Conservatorem fuisset electus, intendebat omnino in eodem officio permanere, sequenti dicendi formula utens: « *quod equus suus in tantum ante processerat, quod non poterat retrocedere* ».

Deinde, quasdam super jam solemniter conventis reformationes proposuit, quae praefata triginta capitula mitiora redderent. Nuncius apostolicus civium simulationes et dolos videre sibi visus, per aliquot dies eos fraterne monuit ut ad lumen veritatis

(1) Loc. cit., c. 241 r., 246 v.

(2) Loc. cit., c. 246 v.

(3) Loc. cit., c. 247 r.

(4) Vide sub num. LXIII., c. 103.

redirent; at postquam intellexit nihil proficere posse, de omnibus certiorem fecit summum Pontificem, qui, expectato prius adventu medietatis quadragesimae, promissae ratificationis termino, ac ulterius aliis pluribus mensibus transactis, tandem comperto tum quod Thadaeus pro Conservatore civitatis se gereret tum quod omnes alii officiales in eorum officio continuarent, tum demum quod magistri scholarum edocebant, scholaresque audiebant, ajentes quod saltem in suburbiis studia fieri possent, completis monitorialibus omnibus terminis, in hac apostolica epistola decrevit Thadaeum a nullo in Conservatorem civitatis Bononiae recognosci, ac eamdem civitatem beneficiis, feudis, praerogativis ac Studio generali privatam intelligi, et dictum Thadaeum, quatenus in termino aliorum trium mensium non resipisceret, durioribus poenis fore vexandum. Quorum omnium eisdem, de quibus in titulo hujus processus, publicationem demandat. Datum Avenioni VI. kal. septembris, anno quinto [1].

Postmodum instructus fuit alter contra Bononienses processus, qui continet omnia quae magister Guigo de Sancto Germano, apostolicae Sedis Nuncius, egerat in civitate Bononiae et quae eidem contigerant agendo de reconciliatione juxta formam primarum literarum cum Communitate et populo civitatis et districtus bononiensis, ac cum Thadaeo de Pepulis et quibuscumque aliis personis. Quemadmodum vero haec legalis relatio continet exactum diarium, non abs re erit illud summatim hic indicare.

Sub anno MCCCXXXVIII., XXX. septembris, et pontificatus Benedicti XII. anno quinto, praedictus Nuncius ingressus fuit in civitatem Bononiae, ac in eadem honorifice acceptus a civibus, scholaribus et Thadaeo de Pepulis, cum quo prorsus extitit in palatio Communis civitatis praedictae, quod tunc ab eodem Thadaeo inhabitabatur.

Die prima januarii MCCCXXXIX. exposita fuit ab eodem Nuncio tam Thadaeo de Pepulis quam fere sexagiunta civibus sui adventus causa, ad formam capitulorum in primis literis reconciliationis contentorum; quo audito Thadaeus asseruit quod cum jam ipse fuerit ad vitam electus Conservator civitatis, non poterat quidem praefata reconciliationis capitula amplecti, utens sequenti dicto: « *Quod jam equus tantum ante processerat, quod non poterat retroire* », addendo ulterius in eisdem literis apostolicis plura contineri capitula quae inobservabilia propemodum erant; inter quae sibi valde displicebat: I. in quocumque capitulo adesse clausulam (quam serpentinam vocavit) quod nempe intelligeretur apposita poena reincidentiae in casu contraventionis unius etiam ex tot conventis capitulis; II. injustum esse capitulum circa expulsos ex eo quia quoties eorumdem admitteretur ingressus in civitate, iidem vindictae dulcedine allecti nefanda scelera committerent; III. quod capitulum circa reintegrationem bonorum Cardinalis Legati, cum plura fuissent ab eodem Cardinali oppignorata pro MD. florenis, eorumdem restitutio non quidem satisfactionis sed extorsionis saperet naturam; IV. quod cum variae clausulae in eisdem literis contentae capitulis difformes essent, hinc sequeretur vel negotium absque earumdem clausularum irritatione compleri non posse, aut quod saltem fieri oporteret nova expeditio ad Curiam ad hoc ut praefata capitula reformarentur.

Hisce exceptionibus respondit Nuncius quod cum ad certam causam destinatus fuerit, non poterat nisi executoris figuram gerere, et quod in consequens omnia per eos proposita penitus respuebat.

(1) Vide sub. num. LXV., c. 108 et seqq.

Die secunda januarii iterum Thadaeus de Pepulis cum nonnullis, qui vocabantur Sapientes, in numero CCC. et ultra pro moderatione capitulorum, apostolicum Nuncium requisiverat. At idem Nuncius protestatus fuit, velle omnino coram eis capitula ac literas apostolicas perlegere, ut eadem omnia juxta conventa ratificarentur. Hinc inter eosdem Sapientes pluribus sermonibus et congressibus habitis, tandem ab eis responsum datur quod cum jam sibi ipsis praedicta capitula innotescerent, eadem haud fore auditores, multoque minus accepturos, nisi factis quibusdam moderationibus, sine quibus, ut ipsi ajebant, *dicta reconciliatio, pax, seu concordia dici poterat potius desperatio.* Ac tandem in eadem quamplures clausulas contineri a Cardinalibus et ab eodem Legato ostiensi post facta capitula adjunctas, ita ut necesse foret Nuncium reformationes obtinendi gratia rediret ad Curiam, addendo (sunt Bononiensium verba) *quod mirabantur, quod adhuc tantum Bononiae moraretur.* Tunc Nuncius alta voce protestatus fuit per ipsum non stare quominus concordata capitula non exequerentur.

Die lunae quarta januarii nonnulli, fere viginti, Antianorum et Consiliariorum bononiensium ad domum monasterii sancti Salvatoris Bononiae, in qua Nuncius residebat, venerant, orantes eum ut rediret ad Curiam pro reformatione obtinenda, iterum admirantes eum quoque in civitate morari, et protestantes numquam praefata capitula ratificare. His quoque Nuncius respondit juxta conventa agendum esse.

Die sexta januarii idem Nuncius apostolicus se contulit ad palatium vetus Bononiae, in quo jus reddebatur, ac ubi Antiani et Populus una cum Thadaeo, Potestate, Consiliariis, Sapientibus ac multitudine populari usque ad tria millia, iterum protestatus fuit eisdem legere literas apostolicas tum sibi pro executione capitulorum tum Populo civitatis praedictae directas; at inutiliter, cum ei tantum facta fuerit potestas legendi dumtaxat unam ex literis apostolicis sub datum Avenioni secundo idus octobris, pontificatus Benedicti XII., eidem Communi et Populo civitatis directam, in qua dumtaxat in genere agebat de ratificatione capitulorum infra medietatem futurae quadragesimae faciendam, taliter ut Consiliarii omnes vetarunt ne aliae literae apostolicae sibi ipsis legerentur.

Quibus auditis Nuncius protestatus fuit paratum esse legere alias apostolicas literas, dummodo conventa cum Ambasciatoribus bononiensibus acceptarentur, addendo ipsos interim posse pure et simpliciter praefata capitula acceptare, et quod deinde acturi erunt pro abrogatione eorum, quae intolerabilia fore exaggerabant.

His actis, nonnulli de Consilio et praesertim oratores iidem qui praefata capitula juraverant et eorumdem ratificationem promiserant, inter caetera dixerunt quod, quemadmodum Papa promiserat eis, providere velle de nonnullis capitulis, ita ratificatio sequi haud deberet, nisi prius reformationes praecesserint.

Alter vero Consiliarius seu Antianus nomine Ferrinus de Gallutiis, miles, dixit: *Quod nihil intererat domini nostri Papae, nec aliquid facere habebat super officio Conservatoris praedicti, ideoque Thadaeum a Communitate factum ad vitam, et durare debet in dicto officio.* Thadaeus autem de Pepulis, tam nomine suo quam dictae civitatis et Communis, iterum protestatus fuit nunquam ratificaturum praedicta capitula, nisi prius corrigerentur, eoque magis quia syndicatus factus per Universitatem in personam Rolandi de Fantutiis nulla roboris firmitatem haberet, cum tunc a domino Papa civitas eadem Bononiae Communitatis et Universitatis praerogativis privata fuerit, instante quoque ut Nuncius celerrime pro correctione capitulorum ad Papam rediret, his dictis gentium multitudine in clamore approbante Thadaei responsionem et nihilominus semper conclamante pro modificatione capitulorum Avenionem accedere.

De quibus omnibus, necessariis testibus praesentibus, factum extitit hoc exactum relationis istrumentum, quod reperitur insertum in *Registro Privilegiorum* (1).

Magistro Guigoni de Sancto Germano, praeposito Ecclesiae Nicensis, notario nostro et apostolicae Sedis nuncio.

Injungitur ei quod in casu dumtaxat in quo Bononienses concordiae et reconciliationis capitula accipiant et ratificent, tunc super commissionibus sibi factis procedat, alioquin ad Avenionem sollicite redeat. Datum Avenioni IX. kalendas februarii, anno quinto (2).

Beltramino, episcopo Cumano, apostolicae Sedis nuncio.

Postquam magister Guigo de Sancto Germano, Nuncius pontificius in civitate Bononiae, haud potuerat Bononienses inducere ad acceptanda et ratificanda triginta capitula quae ab ejusdem civitatis oratoribus promissa fuerant, et postquam ad compescendam Thadaei de Pepulis ac Bononiensium omnium contumaciam, summus Pontifex censuras ecclesiasticas et interdictum in amplissima forma publicaverat, tandem aliquando ad lumen veritatis sincero corde redire cupientes, Bononienses miserunt ad Curiam magistrum Petrum de Bonpetris, nec non magistrum Bonaventuram Jacobinum bononiensis Curiae doctores et syndicos, Universitatis praedictae nomine, humiliter exorantes ut sanctitas sua dignaretur ad gremium sanctae Sedis eos recipere, eodemque tempore declarare et moderari omnia dubia quae in primis reconciliationis literis continebantur. Pontifex itaque in hac epistola de his omnibus Beltraminum plene instruens, ac in uberioris instructionis comprobationem novam promissae reconciliationis et veniae bullam inferes, eidem districte committit ut illico Bononiam se conferat, ibique receptis juramentis et confessionibus super antiqua et moderna subjectione civitatis, comitatus et districtus bononiensis erga sanctam Sedem nec non super praestatione census, una cum contentis in aliis literis apostolicis quae incipiunt: « *Quoniam sicut* », pro iisdem actibus circumscribat et praefigat tempus infra kalendas mensis septembris proxime futuras, nec non moderationis literas publicet, sententias censurarum et interdicti inhibeat, ac tandem civitatem ac omnia privilegia reintegret. Datum Avenioni, XVII. kalendas julii, anno sexto (3).

Eidem: haec est epistola quae incipit: « *Quoniam sicut* », in qua Pontifex, ne in regimine bononiensi inconvenientia succedant, demandat eidem Nuncio quod postquam obtinuerit ratificationem possessionis civitatis Bononiae juxta formam aliarum literarum, salvis semper quibusdam declarationibus super certis articulis in eisdem literis contentis, de quibus infra, debeat inde Thadaeo de Pepulis, legum doctori, impertiri plenariam administrationem jurium et bonorum omnium ad eandem romanam Ecclesiam in civitate, comitatu et districtu praedictis pertinentium, dummodo tamen hujusmodi officium ad triennium gerat nomine Ecclesiae romanae, ac ea adjecta conditione quod in iis quae Potestatem, Capitaneum ac caeteros officiales respiciunt, in nihilum se ingerat, et ut latius dictum fuit in primis literis reconciliationis, quae tam in hac parte quam in altera, in qua agitur de censu et de subsidio ducentorum armatorum hominum, confirmata intelligantur, salvis tamen declarationibus et suppletionibus in novissimis literis

(1) *Registr. gross.*, tom. I., c. 74, in Archivo Maximo Bonon.

(2) *Monum. civit. Bonon.*, vol. 80, num. LXXXII.

(3) Ronconi, loc. cit., c. 250 r. et v., et 251 r.

indicatis. In eadem postea epistola Beltramino injungitur quod ante omnia Thadaeum de Pepulis a sententiis excommunicationum absolvat, eumque ad juramentum fidelitatis juxta consuetam formam admittat. Datum Avenioni, XVII. kalendas julii, anno sexto (1).

Raimbaldo, episcopo imolensi, Rectori Provinciae Romandiolae.

Mandatur ei quod circa nominationem Potestatis, Capitanei et Conservatoris Bononiae, quoties post deputationem quam de eisdem faciet Beltraminus Nuncius nova eorumdem officialium deputatio contingeret, omnino servet formam in literis reconciliationis contentam, eo addito quod, ne Bononia ex aliquo accidenti remaneat absque praedictis officialibus, ipse valeat, quoties tamen Bononiensibus opportunum videretur, praemature etiam ad dictam electionem devenire. Datum ut supra (2).

Cum in literis suppletionum et declarationum, quae incipiunt: « *Dudum accedentibus* », insertum fuerit quoddam capitulum quod expulsos a civitate, quorum reditus denegabatur, quoties ab eo seditiones aut tumultus praeviderentur, ac omissum extiterit, ad quem in hoc casu cognitio seu declaratio pertineret, in hac ideo apostolica Constitutione de consensu magistrorum Petri de Bompetris et Bonaventurae Jacobini, syndicorum Communis Bononiae, decernitur ad sanctam Sedem specialiter hujusmodi declarationem reservandam fore. Datum ut supra (3).

Excerpta ex apostolica Constitutione:

Haec apostolica Constitutio incipit: « *Dudum accedentibus* » et facta est super declarationibus et moderationibus quorumdam ex triginta capitulis, quae in literis primae reconciliationis continentur. Valde quidem longa et prolixa, juxta tamen gravitatem negotii, est hujusmodi Constitutio; cujus idcirco argumentum brevitate carebit, quatenus, ut opus est, omnia in ea contenta specialiorique nota digna enucleari debeant: in ea enim continentur historia primariae deditionis, seu potius recognitionis dominii facta a Bononiensibus erga sanctam Sedem, seditio et tumultus contra Beltrandum, Bononiae Legatum, expeditio ambaxiatae ad petendam veniam, una cum capitulis et conventionibus supradictis, inutilis destinatio Nuncii apostolici, qui re infeta a Bononia discedere coactus fuit in causa cur excommunicatio et interdictum contra bononienses publicarentur: et postremo latus sermo haberetur de nova petita venia de novisque expostulatis moderationibus et declarationibus super primis apostolicis literis reconciliationis una cum procuratorio et sindicatu bononiensium, ac nominibus Potestatis, Conservatoris, Antianorum ac Consiliariorum civitatis Bononiae, qui huic solemni conciliari actui interfuerint. Idcirco, omissis eis quae inutilia sunt, quae tamen reformata, declarata fuerunt, in sequentibus capitulis continentur:

I. Quod infra kalendas mensis septembris possessio, seu quasi possessio, civitatis Beltramino nuncio vel ab eo deputandae personae detur.

II. Quod in praesentia apostolici Nuncii in generali Consilio solemniter fiat ratificatio possessionis infra praedictum tempus, salvis declarationibus infrascriptis.

III. Quoad capitulum de censu decernitur, observandam esse formam solutionis in primis literis contentam, et in casu contraventionis, easdem poenas praescriptas in illis.

IV. Quoad capitulum de praestandis ducentis hominibus equitibus, armis bonis bo-

(1) Vide sub num. LXVIII, c. 133, et apud Ronconi, loc. cit., c. 251 r. et v., et 252 r.

(2) Ronconi, loc. cit., c. 255 r.

(3) Loc. cit., c. 252 v.

nisque equis munitis, transmittendis ad servitium romanae Sedis per tres integros menses, quolibet anno, servari debeat primarum literarum forma. Reformatio tamen hujus capituli fuit, quod ad commodius praestandum praedictorum equitum subsidium duodecim dierum spatium concederetur.

V. Quod in casu quo Universitas vel illius major pars a sancta Sede rebellaret, tunc intelligerentur revocatae omnes gratiae Bononiensibus concessae, et contra eos renovatae omnes poenae in eisdem puris literis impositae. Quemadmodum autem reviviscentia quoad omnes et quaslibet poenas in primis literis contentas afficiebat quemlibet casum, in quo cuicumque ex triginta capitulis verificaretur contraventio, ita in hisce suppletoriis literis decernitur primarum literarum poenas reviviscere dumtaxat quoties hisce praefatis quinque capitulis ex parte Communitatis, seu ex ejus culpa, contraventum fuerit.

VI. De expulsis a civitate, quod nempe ipsi patriam redeant et publicata bona recuperent, dummodo cum securitate civitatis hoc fiat, dummodoque super publicatis bonis jus tertii laesum non foret. Quoad hoc capitulum Reformatio consistit in eo, quod *expulsos* intelligatur de illis qui expulsionem sint passi post commotionem populi contra Legatum, quodque quemadmodum favore privatorum, ita etiam favore Universitatis particularia jura super publicatis bonis reservarentur, quodque demum eorumdem expulsorum regressus ad patriam non debeat admitti, quatenus ex eo seditio timeri valeat.

VII. Vetus capitulum quoad stipendiarios civitatis erat, praestandum fore ab illis fidelitatis juramentum in manibus unius ex Judicibus appellationum, nec non ad placitum Pontificis et sanctae Sedis eos removeri posse, et in casu remotionis eligendos fore alios sanctae Sedi gratos et acceptos. Quoad hoc capitulum decernitur quod solummodo Conestabiles dictorum stipendiariorum, quorum quilibet sub suo vexillo quadraginta homines retineat, praestare debeant coram uno ex Judicibus appellationum fidelitatis juramentum, consistens in fideli servitio sanctae Sedis, in conservandis ejusdem juribus, et in obligatione non admittendi in eorum societatem homines sanctae Sedi indevotos. Ac ulterius praescribitur alterum fidelitatis sacramentum praestandum quoque esse ab eodem Judice appellationis, cujus forma erit non recipiendi nempe Conestabiles infideles, infidelesque privandi et a civitate et districtu expellendi.

VIII. Capitulum quoad Judices appellationum et quoad eorumdem jurisdictionem et modum electionis et nominationis in nihilum differat a forma in prioribus literis contenta.

IX. Circa impositum censum et circa obligationem praestandi auxilium ducentorum armatorum hominum servetur quoque forma in primis literis praescripta, in eo scilicet quod respicit exemptionem contributionis sanctae Sedis in parandis defensionibus civitatis, comitatus et districtus Bononiae. At in hac parte adest solemnis et seria declaratio, quod nec ex hoc pacto, nec ex aliis jam dictis aut infra dicendis capitulis pontificia intentio fuerit in primis literis reconciliationis abdicandi seu tollendi jura et bona Universitatis, singulariumque personarum dominum; sed quod immo haec eadem omnia ejusdem communitatis remaneant, ac eidem restituantur, dummodo de caetero jurisdictionis origo ac illius effectiva possessio penes sanctam Sedem remaneant.

X. Quod ultra actualem restitutionem possessionis, seu quasi possessionis, civitatis, comitatus, districtus, ratificatio intra jam dictum tempus, kalendarum nempe mensis septembris, fiat, et infra kalendas octobris ratificationis instrumentum transmittatur ad Curiam.

XI. Capitulum quod, cadente dubietate super interpretatione harum Reformationum, decisio privative ad sanctam Sedem pertineat.

XII. Quod praedicti Syndici Communitatis Bononiae has reformationes una cum plena acceptatione capitulorum quae reformata non sunt, observare et ratificare promittant.

Hisce praehabitis, Constitutio descendit ad insertionem tenoris syndicatus seu procuratorii ejusdem civitatis, habiti in palatio novo sub anno MCCCXL., indictione octava, die IV. mensis aprilis, in quo a generali Consilio, pariter hic inserto, una cum consiliariorum nominibus fit deputatio ambaxiatorum ad sanctam Sedem, ad effectum nempe obtinendi declarationes et reformationes de quibus supra, et ad hoc ut actus vere juridicus esset, Potestas, Consules ac Antiani decretum approbationum emiserunt, et Ambaxiatorum commissio ad tria puncta redacta fuit:

Primo nempe ad petendas priorum capitulorum reformationes, Papae absolutionem, ab omnibus censuris, et privilegiorum ac praerogativarum reintegrationem obtineant, et tandem quod, secuta ratificatione literarum apostolicarum, deputetur absque alia denominatione populi bononiensis Thadaeus de Pepulis in administratorem jurium et bonorum Ecclesiae, dummodo sacramentum fidelitatis, recognitio dominii meri et mixti imperii, census constitutio et obligatio militaris subsidii, nec non minorum officialium deputatio juxta formam primarum literarum nunquam ad Thadaeum, sed ad eamdem Universitatem pertineant; et in his omnibus consistit summa praefata apostolicae Constitutionis, quae datata fuit Avenione XVIII. kal. julii, anno sexto [1].

Beltramino, episcopo cumano, apostolicae Sedis nuncio.

Deputatur idem ad recipiendum fidelitatis juramentum ad formam praedictarum reformationum a Conestabilibus stipendiariorum; et quod insimul alias personas deputet, ut hujusmodi juramenta recipiant. Datum Avenioni XVII. kal. junii, anno sexto [2].

Eodem igitur anno, prima augusti, Beltraminus devenit in civitatem Bononiae, ac statim in bannitores seu praecones constituit et deputavit in solidum Damianum Benvenuti, Nicolaum Dosii et Vivianum Thomasii, qui, praestito juramento faciendi omnes proclamationes sibi ipsis a Nuncio commissas, et de iisdem referendi juxta mandata ejusdem apostolici Nuncii, proclamarunt nomine Papae omnes de Consilio die sequenti sub poena viginti solidorum insimul congregari debere ad audiendum quid eis Nuncius faciendum proposuerit. Proclamationes factae fuerunt in quarterio portae sancti Petri, in quarterio portae Steriae, in quarterio sancti Proculi et quarterio portae Ravennatis. De hujusmodi facto habetur instrumentum cum rogitu trium notariorum.

Die II. mensis augusti, Consilium generale de licentia Papae et de mandato Beltramini nuncii convocatur in eodemmet loco, in quo ardua civitatis negotia pertractantur coram Consiliariis Communitatis, universitatis et populi, quorum nomina per extensum dantur, et coram nobilibus viris Nigro de Bruxatis de Brixia, milite pro Potestate, et Jacobino de Regio, Provicegerente Capitanei, et Thadaeo de Pepulis. In generali Consilio Nuncius de tribus eos omnes interrogavit, primo an Consilium esset plenum, generale et solemne; secundo an essent tot numero quot necessarium erat; et tertio an ipsi repraesentarent Universitatem civitatis, comitatus et districtus; quibus, affirmative recepto responso, statim mandavit per notarium literas apostolicas legi, quarum

(1) Vide sub num. LXVI., c. 124. (2) Vide sub num. LXVII., c. 131.

tenorem tam per se ipsum, quam per Thadaeum de Pepulis latino et vulgari sermone, una cum triginta capitulis, de quibus supra in registro Benedicti XII. epistolis praedictis, foliis praedictis, et cum moderationibus et reformationibus inde concordatis, exposuit. Tenor literarum, quae lectae fuerant, ibi inseritur una cum eisdem moderatoriis capitulis, quorum apostolica Constitutio incipit: « *Dudum accedentibus* »: et est ea de qua in registro super Benedicti XII., foliis praedictis. Quibus perlectis, renovataque interrogatione an iidem omnes eadem capitula acceptare vellent, affirmativo obtentoque responso, in dicto instrumento subsequitur juramentum super capitulorum observantia una cum reintegratione dominii ac revocatione expulsionis Bertrandi episcopi ostiensis, et Bononiae Legati; indeque Thadaeus de Pepulis, Potestas ac Consiliarii omnes expresse concurrerunt pro libera traditione clavium portarum civitatis, castrorum, fortalitiorum, comitatus et districtus, facta potestate eidem Nuncio publicandi bannimenta nomine sanctae romanae Ecclesiae ad hoc ut ex his omnibus de Bononiensium subjectione erga eamdem sanctam Sedem dubitari amplius non contingeret. Omnia haec tamen ab apostolico Nuncio accepta fuere cum expressa declaratione referendi omnem actum ab ipso gerendum ad dominium sanctae romanae Ecclesiae, ita ut quaelibet dominii species per unicum actum satis comprobata foret; obtentoque etiam super hoc expresso consensu Bononiensium omnium, renovata promissione circa observantiam capitulorum juxta tamen formam reformationum, ac facta demum expressa renunciatione quibuscumque sibi ipsis competentibus exemptionibus pro uberiori acceptatione capitulorum, Bononienses deputarunt Nicolaum Brandani de Saliceto ac Ugolinum domini Pauli de Bonacavis speciales Syndicos et Procuratores ad emittendam effectivam restitutionem civitatis, comitatus et districtus, quorum usurpativa possessio ab eis penitus avulsa intelligeretur, una cum juramento ab eisdem Syndicis Nuncio praestando. Hisce autem praehabitis, idem Beltraminus quoscumque emissos processus contra Bononienses irritavit, ac super praerogativis, privilegiis communitati, populo et bononiensi Studio competentibus in amplam formam reintegrationem concessit, et de iis omnibus coram testibus et quinque Notariis praefatum instrumentum emologatum extitit.

Die III. augusti anno MCCCXL. Brandanus de Saliceto, tamquam Syndicus civitatis, specialique procurae mandato suffultus, tradidit Nuncio omnes et singulas claves portarum omnium civitatis Bononiae, quae receptae fuerunt relative ad actum Consilii externa die habiti. Hinc Nuncius aperuit et clausit portam civitatis appellatam sancti Mathiae, ac declarationi ab eo factae aperitionem et clausuram hujus portae referendam fore ad recuperationem possessionis civitatis praedictae, Syndicus civitatis consensum suum praebuit, et claves inde remanserunt penes Nuncium, qui ante dictam portam coram testibus instrumentum hujus actus conscribi facere non omisit.

Eadem die Nuncius se contulit ante alias portas dictae civitatis, quarum una appellabatur porta Saragozae, alia vero porta Peradelli, et alia porta sancti Felicis, ac hic quoque coram Syndico consentiente actum fuit prout superius; ac postea deputato procuratore quodam suo familiari ad claudendas alias portas civitatis in eadem die coram testibus et Notario, procurator Nuncii clausit portas infrascriptas, scilicet portam de Lamis, portam burgi de Galeria, portam de Mascarella, portam sancti Donati, portam sancti Vitalis, et portam stratae Majoris, quibus actis, claves restitutae sunt Nuncio, qui, ut dicitur in instrumento, « *fecit eas deponere juxta caput sui lecti, testibus praesentibus* ».

Eadem die, presentibus testibus, Ostasius quondam Guidonis de Bononia in novum

Praeconem fuit deputatus, cui, prout et aliis, commissum extitit a Nuncio faciendi nempe primam praeconizationem seu gridam in die crastina, quae fieri consueverat in initio regiminis cujuslibet Potestatis, formae sequentis: « *Intimentur omnes et singuli banniti Communis et Populi civitatis praedictae propter homicidium, sive maleficium, nec non latrones, robbatores stratarum, falsarii monetae, jncisores bursarum, assassini, haeretici, gazarii, patareni, sodomitae, et generaliter omnes et singulae aliae infamatae personae incontinenti de civitate, comitatu et districtu bononiensi se debeant segregare, sub poena et banno averis et personarum, nec quod possint recipi in domibus vel consortiis, sub poena destructionis domorum et aliis poenis; item quod nullus vadat de nocte per civitatem post tertium sonum campanae, et contra arma offensiva* », de quibus, die IV. relatione facta, rogatum extitit instrumentum.

Die IV. augusti in domibus ecclesiae Fratrum Praedicatorum ante Nuncium se contulerunt praedicti Syndici civitatis Bononiae ac universitatum et populi, castrorum, fortalitiorum, comitatus et districtus atque cum eis Thadaeus de Pepulis et Consiliarii omnes, de quibus inserta nomina habentur, juramentum fidelitatis coram testibus dederunt. Forma autem juramenti fuit prout sequitur: « *Ego . . . . civis bononiensis, juro quod ab hac hora in antea fidelis et obediens ero divo Petro, principi apostolorum, et sanctissimo patri domino papae Benedicto XII., ejusque successoribus canonice intrantibus, atque apostolicae romanae Ecclesiae. Non ero in consilio aut consensu vel facto, quod vitam perdant aut membrum, aut capiant[ur] mala captione. Consilium, quod mihi credituri erunt per se aut per Nuncios suos sive per literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam; et si scivero fieri, procurari seu tractari aliquod, quod sit eorum vel Ecclesiae praedictae damnosum, illud eis vel eidem Ecclesiae significare procurabo. Papatum romanum et regalia sancti Petri, jura et jurisdictiones ipsius et successorum suorum et romanae Ecclesiae, tam in hac civitate ejusque territorio et districtu, quam alibi ubicumque existentia, adjutor ero ei et ipsius successoribus, atque Ecclesiae ad restituendum, defendendum et recuperandum, et recuperata manutenendum contra omnem hominem. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia* ». Ita actum fuit in manibus Nuncii, qui plura fecerat super hoc actum instrumenta conscribere.

Eadem die IV. augusti, Nuncius ad effectum comprobandi plenum ejusdem dominium soli apostolicae Sedi pertinere, praesente et consentiente Nicolao Brandani, aperuit sequentes civitatis portas, scilicet stratae Majoris, sancti Vitalis, sancti Donati et de Mascarella; ac eadem die ejus procurator eas clausit.

Die vero V. ejusdem mensis augusti, et die VI. ab eodem procuratore Nuncii apostolici eaedem supradictae portae apertae ac clausae fuerunt, et de his omnibus confectum est instrumentum.

Die IV. ejusdem mensis, alter procurator ejusdem Nuncii aperuit et clausit, modo quo supra, sequentes portas, nempe portam burgi Peradelli, communiter nuncupatam portam stratae Lamarum, portam stratae Galeriae et portam sancti Felicis.

Hac die V., ac VI. idem actum fuit, et de his omnibus habetur instrumentum. Ex eodem instrumento patet non sine custodibus has portas civitatis Bononiae fuisse. Custos enim portae Lamarum erat Blasius Joannis de Mirasole una cum Gerardo quondam Radulphini, et Bellino quondam Thomasii civibus bononiensibus.

Die IV., V. et VI. augusti a procuratore deputato ab eodem Nuncio coram testibus et juxta supradictam formam apertae et clausae sunt portae infrascriptae, nempe porta stratae Saragozae, porta stratae sancti Mammi, porta stratae Castellionis et porta

stratae sancti Stephani, et de iis omnibus actum fuit iustrumentum. Notandum est testes huic actui praesentes omnes patritios Bononiae fuisse, inter quos adfuit Jacobus quondam Lambertini de Bononia.

Die XVIII. mensis augusti ad totam diem XXI. clausae et apertae fuerunt supradictae portae, factumque solitum instrumentum.

Die XVIII. ejusdem mensis, apertae et clausae fuerunt sequentes portae: porta stratae Peradelli, cujus custodes erant Guillelmus quondam Cambii, Lisius Masii, ac Naninus quondam Friderici; porta sancti Felicis, cujus erant custodes Guillelmus de Reola, Bernus de Bologneto et Laurentius Baldini, cives bononienses; porta Galeriae, cujus custodes erant Andreas Jacobi, Martinus Philippi et Leucius Gridi, et de his conscriptum extitit instrumentum.

Die supradicta XVIII. augusti, clausae et apertae fuerunt a procuratore Nuncii apostolici sequentes portae, nempe porta burgi de Mascarella, porta stratae sancti Donati, porta stratae sancti Vitalis et porta burgi stratae Majoris. Et hoc idem actum fuit sub diebus XIX. et XX.

Ad hoc ut recuperationis dominii penes sanctam Sedem aliud invincibile resultaret argumentum, sub die IV. augusti Nuncius apostolicus se contulit ad palatium vetus Communis Bononiae, in quo jus redditur et merum et mixtum imperium ac jurisdictio exercentur; ibique praesentibus Potestate et magna parte advocatorum ac officialium omnium dictae civitatis, pro tribunale sedens, ut ubi dicitur ad banchum seu discum Ursi consuetum, protestatus fuit cuique velle jus reddere ac alios actus juridicos exercere, prout principi et domino competit, ibique Syndicis et procuratoribus consentientibus, fieri mandat super hoc actu publicum instrumentum.

Eadem die IV. augusti, virtute facultatum sibi a Benedicto XII. concessarum, plures processus criminales de recenti inchoatos idem Nuncius complet, ac una simul quamplures reos capitales absolvit, aliosque condemnat, ac judicio civili curatores minoribus constituit, decreta contractibus interponit et sententias profert, de quibus omnibus series in dicto instrumento habetur.

Sub eodem anno MCCCXL. die VIII. augusti, idem Nuncius apostolicus et Nicolaus de Saliceto syndicus Bononiae se conferunt in cassaro seu turri principali sancti Joannis in Persiceto, comitatus et districtus bononiensis, ibique assignatis Nuncio clavibus turris et castri, idem Nuncius inhibet Petro filio quondam Joannis de Caviciis, clavigero et custodi praedictae turris, ne amplius in eadem se ingerat, in ejus locum deputando Zogalinum quondam Zogoli, civem bononiensem, cui claves cassari consignat; claves vero castri dat Jacobo quondam Francisci, massario ejusdem loci, a quibus juramento fidelitatis recepto, tam de cassaro, tam de castro quam de villis sancti Joannis in Persiceto, praesente et consentiente Syndico, possessionem capit.

Die IX. idem agitur in castro vocato Crevalcorium et turri ejusdem, ac ibi remoto Petruccio Berti Clarini de Bononia, capitaneum dictae turris et castri, eligit Mirolum quondam Vencturae tinctoris, civem bononiensem, eique claves portarum dicti castri, super quibus turres existunt, assignat, et aliarum portarum claves tradit Alberto gastaldo de Crevalcorio, massario dicti castri, et ab eis solitum recipit juramentum.

Eadem die, idem sic in castro Nonantulae ac turri nova principali ac fortiori ipsius castri Dandolus quondam Joannis de Caviciis, claviger et custos turris et castri, removetur, et eligitur Joannes quondam Bartholomaei Andreae, civis bononiensis, cui claves dantur, ac aliae claves portarum dicti castri, super quas turres non existunt,

Nicolao quondam Alberti massario dicti castri assignantur, et ab eis juramentum fidelitatis recipitur ac possessio capitur.

Die X. idem agitur in castro Franco et in Turri mediolanensi vocata, et per eam omnium villarum et aliorum castrorum, fortalitiorum et locorum comitatus et districtus Bononiae possessio capta intelligitur. Removetur ser Michael Albertucii, civis Bononiae, claviger et custos dicti castri et turris, et subrogatur Marcus Cavalinus, civis bononiensis, cui claves, ut supra, traduntur, et aliae dantur Magoni de Gouriis, massario dicti castri et ab eis juramentum recipitur.

Eadem die idem fit in castro de Plumacio et turri. Prinus de Tinello, civis bononiensis, claviger et custos, removetur, et in ejus locum eligitur Joannes Dominici de Bononia, cui omnes claves, tam castri quam turris consignantur.

Die XI. in castro de Bazano, burgo ac villis et locis ab eo dependentibus idem fit: et Joanne Geminiano de Equis, tunc praedictorum locorum clavigero et custode remoto, eligitur Ugolinus de Calderaria, cui omnes claves traduntur, et ab eo juramentum recipitur.

Die XII. in castello castri et locis de castro sancti Petri ac omnibus villis et locis ab eo dependentibus agitur ut supra, et Jacobo de Luricis tunc clavigero et custode castelli et praedicti castri remoto, subrogatur in ejus locum Petrus de Britis, civis bononiensis, cui omnes claves traduntur, et ab eo et a Massario juramentum fidelitatis praestatur.

De iis omnibus plura facta sunt instrumenta a quibus, prout a praedictis superius extensis, constat in comitatu et districtu bononiensi specialiter de sequentibus castris possessionem captam fuisse, nempe de castro sancti Joannis in Persiceto, de castro Crevalcorii, de castro Nonantulae, de castro Franco, de castro Plumacio, de castro de Bazano, et de castro tandem sancti Petri.

Die XIV. augusti, sapientes viri domini Petrus de Bompetris, legum doctor, Paulus de Bonacattis, Bartholomaeus de Luricis, Robacante de Carisonibus jurisperiti, cives habitatores civitatis Bononiae, communitatis nomine, praestito prius juramento de parendo mandatis Ecclesiae, a censuris incursis absolutionem obtinuerunt.

Eadem die dictus Nuncius constituit Judices appellationum pro domino Papa, conditione tamen procedendi juxta formam statutorum Bononiae, et ab iis juramentum fidelitatis de bene administrando sibi ipsis commisso officio, recipitur; et de iis etiam fit publicum instrumentum.

Anno MCCCXL., die XIV. augusti, Niger de Bruxatis de Brixia, qui in adventu Nuncii pro Potestate ipsius civitatis publice se gerebat, solemnem consensum praebens, possessionis civitatis favore sanctae Sedis, absolutionem ab iucursis censuris obtinet, et promittit imposterum potestariam solo nomine romanae Ecclesiae exercere.

Anno eodem, et sub die XXII. augusti, Nuncius apostolicus penes se retinens claves omnium portarum civitatis Bononiae, tradidit eas Jacobo de Grepa, praeposito de Marsalia, mediolanensis dioecesis, familiari suo, impsumque procuratorem et specialem nuncium nomine sanctae Sedis constituit, ut eas consignaret magnifico viro domino Thadaeo de Pepulis, civi bononiensi, legum doctori; cui idem Nuncius auctoritate apostolica, plenariam administrationem jurium et bonorum ad dictam Ecclesiam in civitate, comitatu et districtu bononiensi pertinentium, gerendam et exercendam nomine Ecclesiae usque ad triennium, sub certa forma in literis apostolicis contenta, commisit; et traditionem hujusmodi clavium mandavit fieri ipsi Thadaeo tamquam administratori jurium

praedictorum, et solo fine et effectu per medium nempe hujusce administrationis continuandi et corroborandi possessionem ac merum et mixtum imperium ad dictam Ecclesiam super civitate, comitatu et districtu Bononiae spectantium. Quo facto, coram testibus, eadem die praedictus Jacobus accessit ad Thadaeum de Pepulis, cui, procuratorio nomine et ut supra, claves tradidit, et caedem claves a prefato Thadaeo tamquam simplici administratore et ad finem et effectum de quibus superius dictum est, recipiuntur, ac inde in domo habitationis ipsius Thadaei, praesentibus testibus et cum rogitu duorum notariorum confectum extitit publicum instrumentum.

Post haec Thadaeus civitatem ex indulgentia pontificis integerrime administravit, ut jam diximus in ejus vita. Cum autem Benedictus XII., anno MCCCXLII., die XXV. aprilis decessisset, atque in ejus locum suffectus fuisset eodem anno, die IX. maij, Clemens VI., hunc etiam pontificem benevolum habuit Thadaeus; quemadmodum constare potest ex literis quae incipiunt:

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis nobili viro Thadeo de Pepulis, gerenti administrationem jurium nostrorum fiscalium in civitate, comitatu et districtu bononiensibus, ac Communi, Universitati et Populo bononiensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Datum Avenioni, XII. kalendas junii, anno I. (1)

Confirmatio Thadaei de Pepulis in administratorem jurium fiscalium sanctae romanae Ecclesiae in civitate et districtu Bononiae ad aliud triennium:

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Thadeo de Pepulis, legum doctori, civi bononiensi, gerenti administrationem jurium fiscalium, ad nos et romanam Ecclesiam in civitate et comitatu et districtu bononiensibus spectantium, salutem et apostolicam benedictionem.

Datum Avenioni, IV. idus julii, anno I. (2)

---

(1) Vide sub num. LXXII., car. 137.

(2) Vide sub num. LXXIII., car. 138.

MONUMENTA

SPECTANTIA

AD PROFESSORES JURIS CANONICI.

I.

Ineunte saeculo XII.

Ex *Mitrale Sicardi, cremonensis episcopi,* in cod. n. 1135 Bibliothecae Vaticanae (1).

[Prooemium Auctoris]

Divitem prudentem, qui necessarios suos ad cenam invitare voluerit, cenaculum et officinas construere convenit et ornare, utensilia preparare, ministros instituere, vestibus decorare, demum singula officia singulis assignare ministris. Sic dives ille cui omnia serviunt, in principio creavit celum et terram, mare et omnia que in eis sunt, et mundi machina cum mundialibus fabricata, formavit hominem de limo terre et spiravit (2) ei spiraculum vite, et posuit eum in Paradiso voluptatis, assignans ejus victui omne lignum pulchrum visu et ad vescendum soave (3). Cumque finis universe carnis venisset coram eo, quia terra fuerat iniquitate repleta, ad seminarium scilicet (4) originis conservandum, arcam ei de lignis levigatis et imputribilibus fieri, et in eam ex omnibus escis, que mandi possunt, ut essent ingressuris in victum, comportari et Noe cum filiis suis (5) intrare precepit. Magister etiam noster, cum (6) in terris visus est, et cum hominibus conversatus, volens cum fratribus suis et discipulis secundum legem comedere Pascha, dixit illis: ite in civitatem et occurret vobis homo amphoram aque baiulans . . . . Sic et nos licet imitatores indigni penitus, et imbecilles tamen ad cultum Paradisi, ad sacramentum Baptismi, ad cenam Domini, quando (7) in ecclesia sunt celebranda, fratres et filios invitaturi prius de ecclesia, que paradiso et arche (8) grandive cenaculo assimilatur, hedificanda, ornanda et utensilibus ejus agamus (9). Secundo de institutione et vestibus et habitu ministrorum. Tertio de officiis eorumdem. Quarto de ordine officiorum, que non solum ponere, sed etiam intendimus ad unguem exponere institutiones singulorum, et causas adijcientes institutionum, sed in causis perse-

(1) Mitrale Sicardi, cremonensis episcopi, in cod. vatic. 1135, membranaceo admodum antiquo, quique eiusdem auctoris aetatem redolet. Eius hic titulus est aliquanto recentiori litera scriptus: *Tractatus grandis utilitatis: Opus Mitralis Sycardi Cremonensis episcopi De Oficio et Ordine ecclesiastico per circulum anni.* In prima libri pagina picta est Sicardi imago, mitra et pedo, aliisque pontificalibus insignibus ornata. Ita autem toti operi Sicardus praefatur.

Edidit primum I. P. Migne, in opere c. t.: *Patrologiae cursus completus,* tom. CCXIII (Parisiis, 1855) fol. 14, iuxta apographum in bibliotheca comitis de l'Escalopier.

(2) Migne: *inspiravit.*

(3) M.: *suave, praeter lignum scientiae boni et mali.*

(4) M.: *secundae.*

(5) M.: *cum suis.*

(6) M.: *dum.*

(7) M.: *quae.*

(8) M.: *arcae.*

(9) M.: *agemus.*

quendis (1) fortassis auctorum mentes excedam, non tamen ob hoc velox vel (2) emulus calumpniator arguat (3) me perniciose scripsisse, quia dicit Augustinus in libro I. *De Doctrina christiana: « Si quis in Scripturis aliud sentit, quam ille qui scripsit, nec perniciose fallitur, nec omnino mentitur; si tamen fallitur, ea sententia, que edificet* (4) *caritatem* (5), *quia* (6) *errore deserit viam, sed eo per agrum pergit, quo via illa perducit; si via patet, corripiendus est, si via latet, docendus est viam non deserere, ne consuetudine deviandi cogatur in transversum vel perversum ire »*. Cum ergo auctorum officii consiliarius non extiterim, nec eorum mentes liberum est alterius (7) indagari licet excedere, libet in his etiam peragrari (8), dum tamen excursus edificande sit utilis caritatis (9).

Totum opus dividitur in novem libros. Primus agit De locis, *nempe:*

De institutione ecclesie.
De fundatione ejusdem.
De altari.
De partibus ecclesie.
De nominibus ejusdem.
De consecratione ejusdem.
De reconciliatione.
De ornatu et utensilibus ejusdem.

Liber secundus est De personis, *nimirum*

De ordinibus eorumque moralitate.
De dignitatibus.
De vestibus sacris et regalibus insignibus.
De induendis ministris.

Liber tertius continet quae ad Missae sacrificium pertinent. Ac primo De nomine, tum de institutione et partibus ejusdem.

Dividit autem Missam in VII. partes, ac de singulis distinctis capitibus pro dignitate pertractat.

Sequitur liber quartus, qui De officiis Ecclesie inscribitur. *Agit autem:*

De ferialibus nocturnis.
De festivis.
De VII. canonicis horis.
De matutinis laudibus in ferialibus diebus.
De iisdem in festivis.
De vespertina synassi.
De collationibus et completorio.
De officio monastico.

Liber V. inscribitur: De multiplicitate librorum et varietate temporum. *Refert autem hoc libro quae pertinent ad officium* Adventus *pro qualibet dominica ejusdem.*

Tum quae ad vigiliam Natalis Domini et ad reliquos solemnes dies Natalis, Epiphania etc. spectant, usque ad Septuagesimam.

Sequentibus duobus libris VI. et VII. continentur Officia, *quae a Septuagesima usque ad Octavam Paschae.*

Libro VIII. Officia, *quae ab Octava Paschae usque ad XXIV. dominicam post Pentecostem occurrunt.*

Libro postremo Officia Sanctorum habentur. Sunt autem ab Adventu ad Nativitatem Domini.

De sancto Nicholao.
De sancta Lucia.
De sancto Thoma.

Tum sequuntur nomina sanctorum quorum festa occurrunt a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam:

De festo sancti Stephani.
De beato Johanne evangelista.
De festo Innocentium.
De festo Felicis in Pincis.
De festo Marii, Marte, Audifacis et aliorum.
De sanctis Fabiano et Sebastiano.
De festo sancte Agnetis.

A Septuagesima usque ad Resurrectionem:

De festo sancti Blasii.
De sancta Agatha.
De festo Cathedre sancti Petri.
De festo sancti Mattie.
De annunciatione Virginis.

De festis a Resurrectione usque ad Octavam Pentecostes:

De sancto Marcho.
Philippi et Jacobi.
De Inventione Crucis.
De festo sancti Johannis ante Portam latinam.
De festo sancte Marie ad Martyres.
De victoria sancti Michaelis.

(1) Migne: *prosequendis.*
(2) M.: *ut.*
(3) M.: *arguet.*
(4) M.: *edificat.*
(5) M.: *ita fallitur ut.*
(6) M.: *qui.*
(7) M.: *ulterius.*
(8) M.: *peragrare.*
(9) M.: *charitatis.*

Ab Octava Pentecostes usque ad Adventum Domini:

Atque hic definit IX. et postremus liber Mitralis, quem ita absolvit auctor:

Hec sunt fercula et meri vini pocula, que vobis, fratres et filii (1), ut pincerna in cena et cenaculo presentavimus, quibus ostia claudimus, ne fauces masticando fatiscant, nec (2) stomachus plenus eructet, quia omne supervacuum pleno de pectore manat. Comedite igitur (3) et bibite, quod satis est, justitiam tamen esurientes et in presenti epulo sitientes, ut in futuro satiemini cum apparuerit gloria Domini. Amen.

II.

1155, 1 februarii.

Ex archivo familiae Lambertiniae apud abbatialem ecclesiam Podii Rognatici, fasc. I., num. 11.

Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quinto, kalendis martij, indictione tercia, in presencia Guidonis Lamberti de Mundo et Ugonis de Riosto, sicque Petrus de Cento adque Verardo de Riosto, Martignone juravit promissionem Henrici filii Ramberti atque Guidoni filii sui, quod ipsi debent fieri quietum feudum, quod Lambertinus filius prenominati Guidonis adquisivit ad Archiepiscopum in Comitatu Ferarie in nomine ipsius Lambertini racione aut forcia, bona fide, sine fraude. Et si contigerit pro racione facienda aliquod spendium, prenominato Lambertino facere debet. Et si quis pro predictum feudum tuendum vel quietantum (4) litem vel violenciam fecerint prenominato Henrico vel Guidoni filio suo in comitatu Bononie, predicto Guido de Lamberto de Mundo pro se et Lamberto filio suo adjuvari promisit. Sexto idus marcii, indicione predicta, in presencia Petri de Cento et Ugo de Ariosto, et me presente Ugo (5) tabellione, Henricus filius Ramberti prescripta omnia vera esse testificavit et jure jurando firmavit, et sub pena decem librarum lucensium prescripta omnia firma tenere promisit (6).

III.

Anno 1162.

Ex tom. XLIII. *Cod. dipl. Gymn. bonon.* (num. 83), doc. III., c. 17 r.

Alexander papa III. (7) dilecto filio magistro D.

Literaturam, honestatem et prudentiam tuam diligenti consideratione pensantes, et quod in ecclesia Dei non modicum imposterum proficere poteris attendentes, ad commodum et profectum tuum in quantum honestas permittit pro nostri officii debito libenter intendimus et necessitati

(1) Migne: *fratres et filii, que vobis.*
(2) M.: *ne.*
(3) M.: *ergo.*
(4 et 5) *Sic.*
(6) A tergo membranae, vulgari, ut dicitur, sermone, saeculi XIV. literis scriptum: *MCLV. in kalendi de marzo signato D.* (M.)
(7) Ex cod. vatic. n. 6024, fol. 152, an. MCLXII.

tue, presertim cum beneficium satis parvum et tenue habeas scilicet quod honeste substentationi tue non sufficit, prompto studio subvenire curamus. Unde, cum lincolniensis ecclesia nullum ad presens episcopum habeat, nosque non in partem sollicitudinis, sed in plenitudinem potestatis, licet immeriti, a Domino sumus vocati, te ejusdem ecclesie authoritate beati Petri et nostra canonicum instituimus, et primam prebendam quam in ea vacare contigerit, ea qua fungimur potestate, concedimus: statuentes ut si episcopus vel alius quislibet contra hoc venire presumpserit, ejus in hac parte factum nullas vires obtineat, sed cassum et vacuum penitus habeatur, nec concessio sive donatio, quia jam ab alio facta, tibi in hoc aliquid possit nocumentum prestare. Decernimus ergo, ut nulli hanc nostre concessionis, etc. (1)

IV.

Anno 1162.

Ex eodem tomo, doc. IV., c. XIX. r.

Alexander papa III. (2) Decano et Capitulo lincolniensi.

Quoniam ad nostrum spectat officium viris honestis et literatis in ecclesia Dei locum congruum assignare et eorum provisioni animo libenti intendere, dilectum filium nostrum magistrum D. virum utilem, literatum, providum ac discretum, et non solum canonicatui, sed episcopali etiam, in quantum nos comprehendere potuimus, idoneum dignitati, Ecclesie vestre canonicum aucthoritate apostolica constituimus, et ipsi primam prebendam, quam in eadem Ecclesia vacare continget, ea qua fungimur potestate concessimus. Unde quoniam de tanti viri consortio debetis non immerito plurimum gratulari, presertim cum per eum Ecclesie vestre magisterium, quam ipsi per Ecclesiam videatur collatum fuisse, Universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus et in virtute obedientie injungimus, ut eum cum ad vos venerit, in fratrem et concanonicum, omni contradictione, dilatione et appellatione postposita, recipiatis; et illi certum locum in choro et capitulo assignantes, ipsum de prima prebenda, que in Ecclesia vestra vacare continget authoritate nostra investiatis, et aliis, si que solent in prebendarum investituris de Ecclesie vestre consuetudine solemnitatibus adhibitis, concessionem nostram precipiatis ab omnibus irrefragabiliter observari. Si autem aliquis episcopus vel alius quislibet contra hoc venire presumpserit, et prebendam, cum vacaverit, alii concedere vel assignare tentaverit, ejus in hac parte factum nullas vires obtinere volumus, sed irritum et vacuum prorsus haberi, neque donatio seu concessio, quia jam ab alio facta, ei in hoc impedimentum aliquod, sive nocumentum possit prestare. Interim vero vos precibus nostris volumus exoratos haberi ut prenominato D. aliquod beneficium annuum pro beati Petri et nostra reverentia et obtentu literature et probitatis sue liberaliter concedatis, et donec prebendam vacare contigerit, assignetis, ut nos devotioni vestre multiplices interim gratias teneamur exsolvere, et preces ac pe[ti]tiones vestras, cum opportunitas se obtulerit, promptius et efficacius exaudire. In hoc enim aliquid donationis in eum facte comprobabitur indicium et necessitati sue qualecumque subsidium conferetur . . . .

V.

Anno 1162.

Ex eodem tomo, doc. V., fol. 21 r.

Alexander papa III. (3) Decano et Capitulo sancti Pauli londoniensis.

Constitutus in presentia nostra dilectus filius noster magister D., canonicus vester, vir utilis, literatus, providus et discretus et nobis ob literaturam et probitatem suam carus pariter et acceptus, auribus nostris diligentius intimavit quod, cum in Ecclesia vestra prebendam satis tenuem

(1) *Sanctionis* formula in codice desideratur. (M.)

(2) Ex cod. vatic. num. 6024, fol. 152.

(3) Ex cod. vatic. n. 6024, fol. 152.

et modicam habeat, vos ei in scholis jam per triennium et eo amplius commoranti, partem de communia, que parva dicitur, duas scilicet marcas et dimidium ad minus annis singulis subtraxistis, nec ipsam ei sepius per illum et amicos suos exinde requisiti, reddere voluistis; licet vos ipsi obtentu discretionis et honestatis sue de vestro, nedum de suo, deberetis maxime dum scholasticis disciplinis intendit, nec multum abundet, non semel sed sepius liberaliter contulisse; unde quoniam commodis et incrementis ejus tanto propensius volumus, sicut tenemur, intendere, quanto ille literarum studiis et alios ultra vires et facultates suas noscitur ferventius aspirare; universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatenus ea que memorato D. de prescripta communia, ex quo hac secunda vice Bononie scholasticis disciplinis intendit, subtraxisse noscimini, eidem, vel alij nomine suo, cui ipse mandaverit, omni mora, excusatione et appellatione cessante, reddatis; et quod cum de cetero continget, ipsi, vel alij nomine suo, absque diminutione solvatis, et ita nostris in hac parte mandatis atque preceptis deferre curetis, quod adversum vos non debeamus merito commoveri, nec propter hoc inobedientiam vestram punire, sed potius obedientiam commendare. Si enim, sicut aliquando consuevistis, nobis in his presumpseritis obviare, pro certo sciatis quod nos id incorrectum et impunitum nullatenus omittemus, cum vobis pro tanta honesta causa et pro viro tam idoneo scripta nostra mittamus . . . .

VI.

Anno 1163.

Ex eodem tomo, doc II., c. XIII r.

Alexander papa III. (1) illustri Anglorum regi.

Inter ceteros magnificentie tue nuncios qui ad nostram presentiam accesserunt, dilectus filius noster magister D. scholasticis disciplinis et studiis, quibus Bononie vacabat, relictis, nostro se conspectui presentavit. Et ad promovenda negotia tua sicut vir literatus, providus et discretus, studium et operam quantam potuit adhibere curavit, et se excellentie tue fidelem in omnibus et devotum existere certis jndiciis comprobavit. Nos autem, qui viris ecclesiasticis et illis maxime, qui inter ceteros literatura, honestate et discretione prefulgent, ex nostri officii debito subvenire debemus, et eorum commodis cura propensiori intendere, jam dicti D. scientiam, egestatem et prudentiam ad animum sollicite revocantes, ipsum munificentie tue duximus studiosius commendandum. Licet enim nos pro eo tua clementia sollicitare deberet, quia tamen personam ejus, statum quoque et facultatem ipsius plenius novimus, tuam pro eo sublimitatem nostris precibus prevenimus. Unde quoniam in regno tuo, de quo extitit oriundus, natalis soli dulcedine captus, potius quam in extera regione desiderat permanere, nos illi in eodem regno curavimus providere. Credentes siquidem et sperantes quod munificentie tue non debeat displicere, si ejus necessitati pro commissi nobis ministerij auctoritate proxpeximus, eidem primam prebendam, quam in Ecclesia lincolniensi vacare contigerit, pia discretione concessimus, presertim cum eum non solum canonicatu sed et episcopatu dignum esse credamus, et ad hec, quantum nos comprehendere potuimus, idoneum judicemus. Cum enim Ecclesia jam dicta proprio sit hoc tempore destituta pastore, juxta nostri officii auctoritatem vices episcopi in ea, de regia devotione ac sinceritate confisi, supplevimus, et memoratum D. de prima prebenda, que ibidem vacabit, canonicum instituimus ne forte, aliquo casu interveniente, nostre provisionis impediretur effectus, et idem desiderato gratie tue munere frustraretur. Ad regie siquidem magnificentie cumulum non est dubium pertinere viros literatura et honestate perspicuos, et eos maxime qui de regno tuo oriundi existunt, ita beneficiis et aliis gratie muneribus retinere, ne paupertatis occasione se ad exterorum regna cogantur transferre. Inde siquidem est quod serenitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus et exhortamur in Domino, ut quod a nobis super hoc factum est, quantum ad tuam celsitudinem spectat, ratum velis et firmum haberi et ita executioni mandari, ut idem ab aliquo malitiose turbari nequaquam sustineas, nec occasione donationis vel pro-

(1) Ex cod. vatic. n. 6024, fol. 152.

missionis in alium a quolibet facte id aliquatenus impediri permittas; sed ita nostras in hac parte preces exaudias, sicut tuas a nobis, cum opportunitas se obtulerit et, quantum cum Deo poterimus, volueris exaudiri. In hoc enim sicut credimus dignam a Deo mercedem recipies, et coram hominibus laudem multiplicem non immerito reportabis . . . .

VII.

Anno 1163.

Ex eodem tomo, doc. VI., c. 23 r.

Alexander papa III. (1) illustri Anglorum regi.

Antequam secundi nuntii tui ad nostram presentiam accessissent, dilecti filii nostri R. archidiaconus seresberiensis et Ricardus Bar et magister D. nostro se conspectui presentarunt, et iniuncto sibi negocio, omnem quam decuit curam et sollicitudinem adhibuerunt, et apud nos plus iusto etiam institerunt. Unde cum alijs supervenientibus et quia in labores illorum intrantibus, ea, que nobis proposuerant locum nequaquam habebant, prefati viri una cum alijs, qui postremo venerant, diligentes et studiosi fuerunt, et maxime prefatus archidiaconus et magister D. postquam R. socius illorum a nostra Curia recesserat, non solum sicut et ceteri ad promotionem negotii tui cum alijs, sed etiam sine illis diserte ac sollicite laborarunt. Verum, si de illis in alijs literis nostris mentionem non fecimus, mirari non debes, nec id alia credas ratione omissum, nisi quia secundi nuntii tui pro eo quod cum illis non venerant, ipsos in literis suis nolebant apponi, sed sicut verbum gratius et magis acceptum attulerant, sic responsum regie sublimitati soli reportare volebant, licet constanter proponerent quod eos post adventum suum de mandato regio detinebant. Quare nos fidei et solicitudini, quam circa iniunctum sibi et sociis eorum negocium habuerunt, significatione presentium testimonium duximus perhibendum, presertim cum indignum esset, ut qui in his non minus efficaciter alijs laborarunt, sed cum eis potius in toto negocio usque ad consumationem steterunt, minorem a regia munificentia gratiam obtinere deberent . . . .

VIII.

Anno 1163.

Ex eodem tomo, doc. VII., c. 25 r.

Alexander papa III. (2) episcopo londoniensi.

Et quoniam dilectus filius noster magister D., Ecclesie tue canonicus, vir utique literatus, providus et discretus et tibi etiam fidelissimus, apud nos pro negocio tuo tam secreto quam publice coram nobis et fratribus nostris sollicite institit, et ejus executioni omnem quam potuit, et etiam ultra quam debuit, studium et diligentiam adhibere curavit, diligentiam tuam per apostolica scripta rogamus attentius et monemus, quatenus eumdem pro reverentia beati Petri et nostra, et obtentu sui ipsius, qui tibi adeo fidelis et devotus extitit, habeas propensius commendatum, nec adversus eum pravis aliquorum sugestionibus credas, vel de ipsius in aliquo fidelitate diffidas; sed eius obsequium ita remuneres, quod ipse tibi et tuis debeat omni tempore fidelis et devotus existere, et nos id gratum acceptumque tenentes, affectioni tue multiplices interim gratias teneamur referre . . . .

(1) Ex cod. vatic. n. 6024, fol. 152.

(2) Ex cod. vatic. n. 6024, fol. 152.

IX.

1165, 8 iulii.

Ex archivo familiae Lambertinae apud abbatialem ecclesiam Podii Rognatici, fasc. I., num. 3.

Anno Domini milesimo centesimo sesagesimo quinto, VIII. idus julii, indicione XIII., in presentia comitis Rodaldi et comitis Ugolini et Alberti de Corrigio et Alberti Ursonis et Buvalelli et Pelavace et Ubaldi de Albaro et Munsi de Petro de Asinella et Ricardini de Petro Garisindo et aliorum quamplurimum, facta concordia inter dominum Lambertinum et homines Galerie dandi obsides de hominibus Galerie quantos et quales dominus Lambertinus vellet [pro] offensa, que videbatur facta ipsi domino ab hominibus Galerie, Niger, Verardinus, Petrocinus de Petrobono, Arnolfus, Gratiadeus Accarisius, Johannes de Aimo, Petrus de Calvo, Paganellus Vosererus, Segnoritus, Guizardinus, Leo, Inginolfus, Ricardinus de Malzermo, Albertinus de Anoilda, Martinus, Blancus, Bernardus de Bono, Apolonius, Kabriel, Martinus Bonofus, Leozolus de Martino Vilano, Petrocinus de Markisella, Galiatore, Garivaldus, Paganellus de Aldevertis, Odericus de Martino de Sicco, Petrocinus de Elica, Dominicinus de Sancto Venanzo, Rambertinus de Petro piscatore, Albertinus de Martino Solo, Albertinus de Saracina, Albertus Basardus filius de Bella donna, Gerardus de Liuto, Johannes da Sala, omnes isti dederunt se obsides predicto domino Lambertino, et tactis sacrosanctis scripturis, juraverunt manere bona fide in ostazaria predicti domini Lambertini ubicumque ipse vellet, nec de ea exire nisi voluntate domini Lambertini vel sui certi nuntii; et hoc totum factum fuit voluntate et concordia populi Galerie etc.

Actum in Galeria, indictione predicta.

Ego Angelus sacri palatii notarius his omnibus interfui et rogatus scripsi.

X.

1199, 1 ianuarii.

Ex archivo monasterii sancti Naboris et Felicis, nunc in ecclesia sancti Bartholomei de Beveraria, lib. I., n. 1, nunc in Arch. Max. bon., sect. « *Demaniale* », n. $\frac{1}{829}$.

Hoc est exemplum cujusdam publici et autentici instrumenti cum die et Consule, cujus tenor sequitur in haec verba, videlicet:

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo nono, kalendis januarij, indictione secunda, testes: magister Ugicio pisanus et magister Omnebonum et Petrus sancti Caesarij et Andreas frater abbatis et Augustinus; in quorum presencia donnus Lanfranchus abbas monasterij sancti Felicis, et sui fratres monaci ejusdem monasterii, scilicet donnus Oddo et donnus Rambertus, et donnus Rolandus, et donnus Albertus Aygonie, nec non et vicini sancti Bartholomei de Beveraria, scilicet Zuzilione nunc consul Beverarie, et Sinibaldus et Johannes Gotti, et Bernardus et Guidoctus quondam Azonis Tincherij et Laurencius de Landulfis pro se et pro hominibus alijs convicinis, ut ipsi asserebant, in Beveraria habitantibus, fuerunt in plena concordia quod presbiter Bonifacius debeat remanere in prefata ecclesia sancti Bartholomei pro prefato Abbate et ejus fratribus et pro omnibus vicinis in Beveraria habitantibus. Et sic deinceps omnes presbiteri qui erunt in prefata Ecclesia debent manere in ipsa Ecclesia pro prescripto Abbate et ejus Fratribus et pro omnibus vicinis Beverarie, qui ibi habitant; hoc tamen addito quod si donnus Abbas eo tempore quando erit necesse mictere presbiterum in dicta Ecclesia, habebit bonum et ydoneum atque utilem presbiterum de suis, scilicet monachum vel conversum, quem voluerit mictere in prefata

Ecclesia, quod vicini debent recipere, et ipse presbiter debeat ibi manere pro Abbate et Fratribus et vicinis communiter, alioquin debet Abbas et ejus Fratres communi concordia cum vicinis prefate Ecclesie invenire alium presbiterum bonum et ydoneum bona fide, sine fraude, et dimictere in prefata Ecclesia, qui debeat ibi manere pro Abbate et Fratribus et vicinis communiter. Actum juxta claustrum dicti monasterij. Ego Ventura, quondam regis Henrigi notarius, interfui, et, ut suprascritum est, mandato ambarum parcium subscripsi.

(L. † S.) Ego Paulus quondam Lentii de Cospis, civis bononiensis, publicus apostolica imperiali et Comunis Bononie ac Curie episcopalis bononiensis auctoritate notarius, suprascriptum exemplum per Raynaldum notarium infrascriptum scriptum et exemplatum a suo publico et instrumento autentico antedicto, in presentia venerabilis virj dominj Andree de Suncino, licentiatj in jure canonico, reverendj in Christo Patris dominj Bartholomej Dej et apostolicae Sedis gratia Episcopi Bononie Vicarij generalis, una cum Johanne et Raynaldo notarijs infrascriptis, vidj legi diligenter ac fideliter abscultavj; et quia idem dominus Vicarius vidit et cognovit dictum exemplum cum dicto authentico instrumento per omnia concordare, ut ipsi exemplo tamquam instrumento predicto adhibeatur deceptero plena fides, suam et Episcopalis Curie bononiensis auctoritatem interposuit et decretum, mandans michi Paulo notario ut huic exemplo me subscribere debeam; cuius domini Vicarij mandato hic me subscripsi Bononie in episcopalj palacio, presentibus presbitero Johanne de Duglolo, rectore parochialis ecclesie sanctj Donatj bononiensis, Bernardo quondam Jacobi de Ulgiano, notario dicte Curie, et Bartholomeo de Primaditijs, clerico ecclesie sancti Petri de Bagnarola, Bononiensis diocesis, testibus ad premissa vocatis et rogatis. Sub annis a nativitate Domini nostrj Jhesu Christi millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, indictione tertia, die quarto mensis januarij, pontificatus dominj nostrj dominj Bonifatij pape viiij anno quinto (1).

XI.

1199, 23 februarii.

Ex archivo Ecclesiae Metropolitanae ravennatis I., n. 4180.

In Christi nomine, die martis, qui fuit sextus exeunte februario, in presentia episcopi comaclensis, Guillelmi de Mapello et Iohannis judicis de Crema, domini Azulini marchionis de Este et aliorum plurium, in castro Arzente, dominus Ugutio episcopus Ferarie in concordia et voluntate domini Guillelmi archiepiscopi Ravenne et domini Henrici episcopi Mantue statuit et ordinavit colloquium a die dominico proximo venturo usque ad tres edomadas, ad quod colloquium precepit per sacramentum Potestati Ravenne et Potestati Mantue ut cum suis ambaxatoribus in loco Regum (2) adcederent, et precepit Potestati Ferarie ut ad predictum colloquium apud Mutinam cum suis ambaxatoribus adesse debeant, ita quod inter utramque civitatem simul se convenirent. Insuper parabola ejusdem domini Archiepiscopi et Episcopi dillatavit, et prefinxit treugam (3) inter predictas civitates, videlicet inter Ravennam et Mantuam, ex una parte, et Ferrarienses ex altera, usque ad octavum die[m] Pasce resurectionis proximi venientis, secundum modum et ordinem alterius treuge condam Gaybane constatute, quam treugam predicte Potestates pro suis terris et comunibus receperunt, et firmam habere promiserunt. Millesimo C. n[onagesimo] nono, indictione secunda.

(1) Sequuntur subscriptiones Johannis quondam Martini de Duiolo et Raynaldi Comacini de Formaglinis Comunis et Curiae episcopalis bononiensium notariorum. (M.)

(2 et 3) *Sic.*

XII.

1206, 13 decembris.

Ex archivo sancti Joannis in Monte, lib. II., n. 47 (1).

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ego magister Gratia ex delegatione domini Guale cardinalis et apostolice Sedis Legati, cognitor controversie que vertebatur inter donnum presbiterum Albertum sancte Marie de Portu ravennatis et magistrum Guidonem senensem et Benencasam, nepotem magistri Benencase, de cuius deposito agitur, fideicomissarios ipsius magistri ex una parte, et donnum Priorem et Fratres sancti Johannis de Monte ex altera, que causa talis erat: dicebant predicti fideicomissarij magistrum Benencasam esse mortuum, et debere sibi dare a dompno Priore et Fratribus predicte ecclesie depositum magistri Benencase, quod est xxxiij. marche et una uncia argenti, centum quinquaginta et viij. massamlicine simplices, et xv. duplices, et xxxiiij. frigiatici, ut distribuerent et solverent ex ipso deposito legata et fideicomissa pro anima predicti magistri, sicut ipse magister mandaverat eis, ut in instrumento publico continetur. Econtrario ser Jacobus scindicus sancti Johannis respondebat sepedictum magistrum non esse mortuum, et depositum de quo supradicitur, dictis fideicomissarijs non debere restitui, sed depositum ecclesiam sancti Johannis habere non negabat, visis testibus et instrumentis, et intellectis ex parte fideicomissariorum productis, consideratis etiam diligenter que hinc inde a partibus proposita fuerunt, habita quoque mecum diu deliberatione, et plurium sapientum recepto consilio, predictum Jacobum scindicum sancti Johannis, nomine ipsius ecclesie predictis fideicomissarijs recipientibus pro se et pro predicto Benencasa, nomine procuratorio, auctoritate dicti domini Legati, qua fungor, condempno, et precipio quod eis depositum supra dictum tribuatur, nec pia ipsius magistri voluntas ultra debitum prorogetur.

Utraque parte presente.

Actum in claustro supradicte ecclesie sancti Johannis de Monte.

Recitata fuit hec sententia in presentia domini Alberti judicis Carbon., domini Federici Pascipovero, Guilielmi de Sanguin. notarij, dompni Gilberti et presbiteri Mainardi et multorum ecclesie sancti Johannis, et in presentia Rainaldi et Guidonis et Jacobi scolarium aretinorum, et Johannis scolaris senensis.

Anno Domini mccvj., idus decembris, indictione viiij.

Ego Leo, nunc Comunis Bononie notarius, interfui et subscripsi etc.

XIII.

1218, 10 septembris.

Ex archivo sancti Stephani, nunc in Tab. Max. bonon., sect. « *Demaniale* » caps. $\frac{20}{950}$, n. 181.

Nos dominus Abbas sancti Proculj et magister Johannes decretorum et magister Vernatius, judices delegati a domino Papa in causa appellationis que vertitur inter monasterium sancti Stephanj, ex una parte, et Jacobellum et Hospinellum ex alia, filios quondam dominj Madij, sicut pronuntiavimus, sic adhuc pronuntiamus, scilicet quod liceat partibus testes producere super novis dumtaxat capitulis. [C]apitula autem proposita a filiis domini Madii pronuntiamus non esse nova, quoniam sub veteribus continentur. Et statuimus terminum peremptorium ad testes

(1) Haec sententia iam in Archivo monasterii sancti Johannis in Monte, nunc in Archivo maximo bonon. adservato, inveniri non potuit. (M.)

producendos super novis capitulis, sicut dictum est supra, xv. dies post festum sancti Michaelis proxime venturi, ita tamen quod capitula, super quibus debent partes testes producere, prius nobis hostendantur et dentur.

Actum Bononie.

Hec sententia lecta et recitata fuit in camera magistri Johannis predicti, presente Veltro de Guarinis, domino Ortolano et Bonatesta de Galegada, anno Dominj millesimo cc. xviij., die x. intrante septembri, indictione vj., presente Sindico sancti Stephani et Hospinello et Samaritano, procuratore domini Jacobelli ad sententiam audiendam.

(L. † S.) Ego Albertus, Dei gratia sacri palatij notarius, interfuj, et mandato predictorum Judicum scripsi.

XIV.

1220, 31 iulii.

Ex archivo Metropolitanae ecclesiae sancti Petri bononiensis, fasc. B, 1, num. 20.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistris Rufino doctori decretorum, Vernatio tarvisino et Amatorj senensi canonicis, Bononie commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Suam ad nos dilectj filij Archipresbiter et Capitulum bononiense querimoniam destinarunt, quod, cum institutio presbiterorum, clericorum, capellarum et plebatuum tam civitatis quam diocesis bononiensium ad ipsos spectare noscatur, quidam monachi et conversi pomposienses ac quidam alij civitatis et diocesis earumdem se in quasdam parochiales ecclesias, in dictis plebatibus existentes, eis irrequisitis, intrudere ac in eis divina officia celebrare presumunt contra lateranensis statuta Concilij in eorum et ecclesie sue preiudicium et gravamen. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus, vocatis qui fuerint evocandj, audiatis causam, et, appellatione remota, fine debito terminetis; facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem, appellatione cessante, cogatis veritatj testimonium perhibere. Quod si non omnes hijs exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

[Datum a]pud Urbem Veterem ij. kalendas augusti, pontificatus nostrj anno quinto.

XV.

1221, 27 augusti.

Ex archivo Metropolitanae ecclesiae sancti Petri Bonon., in lib. *Axium* noncupato, c. xxxvij, n. 50.

☙ Hoc est exemplum cujusdam instrumenti cum die et Consule, sic incipientis:

In nomine Domini, amen. Magister Gratia Archidiaconus bononiensis pro honore et statu Capituli bononiensis infrascripta Capitula et Statuta secundum infrascriptam formam, semper in bononiensi Capitulo inposterum observanda, presentibus J. archipresbitero, domno Probo, domno Ottaviano, domno Alberto, domno Guidone, domno Angelo presbiteris, magistro Oddone, Petro Succida, Guidone Grasso, Andrea, magistro Martino diaconibus, Guidone de Bagnolo, Guidocto, magistro Lamberto, Jacobo, magistro Tancredo subdiaconibus, et Henrigipto canonicis bononiensibus, tactis sacrosantis Evangeliis, iuravit: « Ego magister Gratia, Archidiaconus bononiensis, consilia et decreta Capituli bononiensis, que precepta erunt esse secreta per Archidiaconum et Archipresbiterum vel eorum alterum, vel, eis absentibus, per Capitulum, nulli pandam; ultra decimum octavum Canonicorum numerum in bononiensi Ecclesia constitutum, nullum in Canonicum eligam vel recipiam; ordines servabo in Capitulo bononiensi, videlicet sex Presbiteros et sex

Diaconos et quatuor Subdiaconos et duos Acolitos, ita tamen cum primo vacaverit ordo Subdiaconatus eligam loco eius unum ad Acolitatum. De hac tamen observatione et ordinum districtione nolo iuramento teneri, nisi cum fuerit per superiorem hoc Capitulum seu Ordinum districtio confirmata. Nullum eligam vel recipiam in Canonicum bononiensem nisi ad eum, quem per mortem alicujus Canonici vel alio modo legitimo, vacare contigerit ordinem, vel superiorem.

Nota: fructus prebendarum non percipiendos per non existentes in sacris.

☞ Nullum quoque electum et confirmatum in Canonicum admittam ad perceptionem beneficij, nisi primo receperit Ordinem, ad quem assumetur vel eligetur. Non permittam Canonicum in primo sui canonicatus anno percipere benefitium vel prebendam preter victualia sola, sed illius anni benefitium vel prebenda in comunes utilitates et neccessitates Capituli expendatur, ita tamen quod inter Canonicos non dividatur. Possessiones, iura et honores, instrumenta seu cartas sive privilegia Capituli contra omnes homines adiutor ero ad conservandum, defendendum et recuperandum, sicut Capitulo vel maiori parti, melius et utilius videbitur; possessiones immobiles ad bononiense Capitulum pertinentes non alienabo, nec alienari consentiam, nisi pro emptione vel permutatione alterius possessionis immobilis utilioris vel eque utilis, vel constructione alicuius edifitij ad communem utilitatem pertinentibus, vel alia evidenti utilitate communi, ita tamen quod inter Canonicos non fiat divisio pretii de possessione recepti super agendis et utilitate Capituli, quam scienter non impediam; requisitus, quod magis utile credam consilium dabo; scienter non fraudabo Capitulum, sive offitium habeam, sive non, de iis, que venient ad manus meas pro Capitulo vel ad Communitatem pertineant vel pertinebunt; literas a Curia romana contra hec capitula non impetrabo, nec impetratis utar. Nullum electum et confirmatum in Canonicum admittam ad perceptionem benefitij, vel Consilia Capituli, nisi primo iuraverit ad sancta Dei Evangelia omnia et singula predicta capitula observare. Sic me Deus adiuvet et hec sancta Evangelia ».

Secundum prescriptam formam prescripta capitula iuraverunt Archipresbiter et singuli prescripti. Presentibus Archidiacono antedicto et aliis prescriptis universis.

Actum in civitate Bononie in canonica sancti Petri, in camera dicti Archidiaconi, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo, die quinta exeunte mense augusti, indictione nona.

Ego Albizus Petri Albici, imperatoris Federici notarius, hiis omnibus interfui et mandato dicti domini Archidiaconi et dicti domini Archipresbiteri et ceterorum predictorum Canonicorum scripsi.

(L. † S.) Ego Bernardus filius Bencevennis Boninsegne, imperiali auctoritate notarius, ut in predicto instrumento inveni ita per ordinem fideliter exemplavj.

XVI.

1222, 24 iulii.

Ex archivo sancti Stephani, nunc in Tab. Max. bonon., sect. « *Demaniale* », caps. $\frac{33}{972}$.

Anno Domini millesimo ducentesimo vicessimo secundo, die octavo exeunte iulio, indictione decima, apud ospitale Cruciferorum, presentibus presbitero Durante et presbitero Johanne Placentino, et domino Bonatesta Albertinus Placentinus ex parte domini Jordani paduani Episcopi, et domini magistri Guilielmi doctoris decretorum, et magistri Guilielmi Vaschi decretaliste, obtulit et dedit Bonoadiuto sindico Ospitalis Cruciferorum et Capitulo et Fratribus Ordinis Cruciferorum quasdam literas cum tribus sigillis sigillatas, quarum tenor hic erat: « Jordanus, Dei gratia Paduanus Episcopus, et Guilielmus doctor Decretorum, delegati domini Pape, et Guilielmus Vasco, doctor Decretalium, subdelegatus domini parmensis Episcopi, viris providis et discretis, Priori et Fratribus Ordinis Cruciferorum de Bononia, salutem et fraternam in Domino caritatem. Plurimum nec imme[rito adm]iramur, quod ad terminum vobis statutum super causa seu questione que coram nobis ex delegatione domini Pape inter vos, ex parte una, et Abatem sancti Stephani de Bononia, ex altera, noscitur agitari, non venistis, nec aliquem responsalem mittere procurastis. Volentes igitur, prout tenemur et debemus, mandatum apostolicum in hac parte in omnibus

adimplere, ea qua fungimur auctoritate, vobis districte et peremptorie percipiendo mandamus, quatinus decimo die post harum representationem, die representacionis in numero computato, apud Episcopatum bononiense coram nobis, Guilielmo doctore Decretorum, et Guilielmo doctore Decretalium, et coram domino magistro Alexandro theologie, subdelegato mei Episcopi paduani, prefato abati super eadem questione veniatis plenarie responsuri ». Et has literas prefatus nuntius dedit predictis Sindico et Fratribus Ordinis Cruciferorum; et ipsas receperunt dicentes quod bene facerent que in literis continebantur.

Ego Can[bi]us, sacri Palatii notarius, ut supra legitur, rogatus interfui et scripsi.

XVII.

1235, 4 ianuarii.

Ex tom. XXVII. *Cod. dipl. Eccl. bonon.* (num. 84), doc. XXXV.

Gregorius IX. (1) magistro Zoen, Archipresbitero bononiensi.

Celestis patrisfamilias, licet insufficientibus meritis, vicem gerentes in terris, qui servos suos talenta duplicantes sibi credita constituit super multa, subiectorum nostrorum actiones exquirimus et in eis, qui acceptum donum scientie non sub terra cum inutili servo recondunt, sed tradunt nummularijs et multiplicant acceptis honoribus, honores etiam cumulamus. Pensat enim apostolica sedes, quod ij potissimum sunt specialis gratie prerogativa donandi et provehi debent de gratia in gratiam, qui moribus ornant scientiam et conversationem muniunt honestate. Eapropter, dilecte in Domino fili, honestatem morum et scientie merita, quibus pollere dignosceris, attendentes, cum per Dei gratiam dudum secus fluenta iuris plantatus adeo altis radicibus adoleveris, quod doctus in eo alios merueris edocere, ac per hoc volentes tibi gratiam facere specialem, presentium tibi auctoritate concedimus ut lectoratum baciensis (2) Ecclesie, quem non habentem curam animarum annexam canonice te proponis adeptum, una cum Archipresbiteratu bononiensis Ecclesie, curam animarum habente, quem post assecutionem lectoratus huiusmodi suscepisti, libere valeas retinere, proviso quod eidem baciensi Ecclesie facias per Vicarium idoneum in lectoratus officio deserviri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Perusij secundo nonas januarii, pontificatus nostri anno octavo.

XVIII.

1247, 13 iunii.

Ex eodem tomo *Cod. dipl. Eccl. bon.*, doc. CXV.

Innocentius IV. (3) Episcopo cerviensi, Bononie commoranti, et magistro Bernardo, canonico bononiensi, capellano nostro.

Cum, sicut ex parte dilecti filii Abbatis monasterii de Nonantula, ordinis sancti Benedicti, ad romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, fuit propositum coram nobis, idem considerans, quod confectus senio jam non potest portare sarcinam consuetam, velit regimini cedere abbatie, mandamus, quatenus ipsius cessione recepta, et provisione sibi congrua de bonis ejusdem monasterii assignata, mandetis ex parte nostra conventui dicti monasterii ut infra tempus, quod eis prefigendum duxeritis, ad presentiam vestram in tuto loco veniant, vel aliquos de ipsorum Col-

(1) Ex registro IV. Gregorii IX., epist. 393, fol. 247, anno MCCXXXV., IV. ianuarii.

(2) *Sic.*

(3) Ex Reg. I. Innocentii IV., ep. 828, fol. 409, an. MCCXLVII., XIII. iunii.

legio habentes ab eis mandatum sufficiens mittant, ut de Abbate sibi provideant de vestro consilio et assensu; alioquin vos ex tunc vice nostra preficiatis ipsi monasterio personam idoneam in Abbatem, facientes sibi ab ejus subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepto ab ipso sub forma, quam vobis sub bulla nostra transmittimus, nostro et Ecclesie romane nomine fidelitatis solite juramento, contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postoposita, compescendo. Forma autem juramenti, quam ipse prestabit, studeatis nobis per ejus patentes literas, suo sigillo signatas, per fidelem nuntium destinare. Datum Lugduni idibus junii, pontificatus nostri anno quarto.

XIX.

(Medio saeculo XIII.)

Ex *Libro Judicum* magistri Johannis de Deo, in cod. vatic. n. 2343, c. 75 et 138 (1).

Venerabili patri ac domino magistro Zoen (2) archipresbitero bononiensi, digno morum copia maiori qualibet dignitate, magister Johannes de Deo, sacerdos, ejus discipulus et amicus, salutem, qui est omnium vera salus, idcirco tibi venerabili patri et magistro C. archipresbitero bononiensi dignissimo qualibet maiori dignitate, quem Dominus ad maiora sibi conservat providum servitorem, quoniam inter sapientes italos, idest italicos, prerogativa scientie, discretionis et prudentie decoravit, utpote tamquam lucerna ardens intus per opera caritatis et lucens extra per opera pietatis, tibi, inquam, dirigo stillum meum, obnixe et humiliter supplicans et devote, quatenus tam presens opusculum quam alia mea opuscula, scilicet *Breviarium Decretorum* et *Casus Decretalium cum Canonibus concordatis*, et *Distinctiones super toto Jure canonico*, et *Cronicam*, et *Arborem iustificatam*, per tuam piam prudentiam et iustum patrocinium in civitate Bononie ad honorem summe Trinitatis . . . .

. . . .

Precibus et instantia congruenti et mandato domini, scilicet illustrissimi A[lphonsi] quondam regis legionensis filij, ego magister Johannes Yspanus, compostellanus natione, ad honorem sacre romane Ecclesie et studentium utilitatem summam super titulis Decretalium aggredior componere . . . .

XX.

1251, 18 iunii.

Ex tom. XXVII. *Cod. dipl. Eccl. bonon.* (num. 84), doc. CXXI.

Innocentius quartus (3) Archipresbitero et Capitulo plebis sancte Marie de Montebellio, bononiensis diecesis.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente, complere. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, venerabilis frater noster Episcopus bononiensis ad supplicationem Potestatis et Communis bononiensis, qui ecclesiam sancti Appollinaris ejusque domos sitas juxta palatium Communis, ad plebem vestram spectantem, diruerunt funditus, in recompensationem hujus damni vacantem ecclesiam sancti Ambrosii bononiensis, in qua juspatronatus habebant vobis et dicto plebi, Capituli sui accedente consensu, duxerint cum suis juribus et pertinentiis concedendam, prout in instrumento publico inde confecto, cujus tenorem de verbo ad verbum presentibus

(1) Incipit *Liber Judicum* a magistro Johanne de Deo, hispano, qui per IV. libros et C. titulos est distinctus.

Primus est *De Judicibus et Arbitris et Assessoriis et Contigentibus illis.*

Secundus *De actoribus et de impugnatione* etc.

Tertius *De reis et de eorum defensione.*

Quartus *De communibus personis,* scilicet *De Advocatis et Syndicis,* etc.

(2) Vide Savigny, *St. del Dir. rom. nel M. E.,* ed. cit., II, 472, n. *g*.

(3) Ex Reg. II. Innocentii IV., fol. 182, an. MCCLI., XVIII. iunii.

inseri fecimus, plenius continetur. Nos, vestris supplicationibus inclinati, concessionem hujusmodi gratam et ratam habentes, ecclesiam ipsam cum predictibus juribus et pertinentiis vobis, et per vos dicte plebi, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem ipsius instrumenti tali est: « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, die decimatertia intrante augusti, indictione octava, tempore domini Innocentii pape quarti, Bononie in palatio Episcopatus bononiensis, presentibus et rogatis testibus fratre Benvegnuto sancti Michaelis de Bosco, fratre Prudentio de Ordine Predicatorum, dominis Thomasio quondam Albertini Ugetti legum doctore, Guinizello domini Magnani judice, Jacobo Martini beccarii, Arimundo domini Albrici de Sancto Petro, Scapulino quondam domini Lambertini Scappe, Jacobino quondam Bonincuntri, Matheo quondam Alberti de Libris notario, et aliis pluribus. Cum nobilis vir dominus Rizardus de Villa, Potestas, et Commune bononiense occasione cujusdam statuti ipsius Communis facti, ecclesiam sancti Appollinaris et domos ipsius ecclesie positas juxta palatium Communis bononiensis pertinentes nullo medio ad plebem sancte Marie de Montebellio, bononiensis diecesis, diruerunt totaliter, et distruxerunt sine consensu et auctoritate venerabilis patris domini fratris Jacobi bononiensis episcopi, et ipsius Capituli, ipsi tandem Potestas et Commune bononiense, volentes satisfacere dicte plebi et archipresbitero et Capitulo dicte plebis, et eos conservare indemnes tam de dicta ecclesia, terreno et domibus ipsius et de damnis, que dicti archipresbiter et Capitulum plebis Montisbellii propter hoc incurrerunt, supplicaverunt humiliter et devote venerabili patri domino fratri Jacobo episcopo et Capitulo bononiensi, quatenus ecclesiam sancti Ambrosii bononiensis, vacantem, in qua dictum Commune dicit se juspatronatus habere, darent et assignarent, et traderent domino Petro archipresbitero dicte plebis, recipienti vice ac nomine ipsius plebis et ipsius Capituli, cum omnibus pertinentiis suis, juribus et actionibus pertinentibus ad dictam ecclesiam sancti Ambrosii in eadem libertate ac potestate et jure secundum quod habebant dictam ecclesiam sancti Appollinaris, videlicet ut archipresbiter, qui pro tempore fuerit in dicta plebe, habeat in ecclesia sancti Ambrosii institutionem et destitutionem liberam, et quod possit ponere ibi quem vel quos voluerit de fratribus suis canonicis, et removere quem voluerit, secundum quod facit in aliis suis obedientiis manualibus et facere consuevit, et Potestas et Commune Bononie parati sunt remittere juspatronatus, quod se habere dicunt in dicta ecclesia quantum ad presentationem seu electionem rectoris, et Parochiani dicte capelle, si quod jus habent in electione ac presentatione rectoris ratione juspatronatus aut alicujus consuetudinis, facient illud idem, et Potestas et Commune Bononie satisfacient, si quod melioramentum fuerit in domibus sancti Appollinaris, quantum ad domos sancti Ambrosii, et restituent totum melioramentum ad extimationem et arbitrium magistri Alberti de laborerio Sancti Petri, scilicet usque ad quantitatem sexaginta librarum bononiensium, seu plus vel minus, secundum quod taxaverit qui datus est ad extimandum casamentum et domos sancti Appollinaris et casamentum et domos et terras sancti Ambrosii. Unde predictus dominus Episcopus et Canonici, qui tunc erant presentes, scilicet venerabilis pater dominus Octavianus sancte Marie in via Lata Diaconus Cardinalis, apostolice Sedis Legatus tamquam Canonicus bononiensis, presbiter Octavianus de Florentia, dominus Jacobus Guidonis Lambertini, dominus presbiter Ugolinus de Barbarolo, presbiter Bartholomeus, magister Bernardus parmensis, dominus Arimundus quondam domini Andalo, et domini Ubaldinus et Octavianus nepotes predicti domini Cardinalis, annuentes petitionibus dictorum Potestatis et Communis bononiensis, volentes etiam tam Communi bononiensi, quam Archipresbitero et Capitulo predicte plebis gratiam facere specialem, dederunt, concesserunt et tradiderunt predictam ecclesiam sancti Ambrosii vacantem, cum domibus, possessionibus, juribus et actionibus et aliis rebus mobilibus et immobilibus ad dictam ecclesiam pertinentibus, domino Petro archipresbitero dicte plebis, recipienti vice ac nomine ipsius plebis dictam dationem in recompensationem ecclesie sancti Appollinaris predicte, ita videlicet ut de cetero dicta ecclesia sancti Ambrosii plebi Montisbellii nullo medio sit subjecta sicut olim fuit ecclesia sancti Appollinaris; et Archipresbiter, qui pro tempore fuerit in dicta plebe, libere habeat institutionem et destitutionem in dicta ecclesia sancti Ambrosii, et quem aut quos voluerit, possit ibi de fratribus suis canonicis ponere, et, quando voluerit, removere, secundum quod facit in aliis suis obedientiis manualibus et facere consuevit. In aliis vero juribus spiritualibus cano[ni]ci, qui pro tempore fuerint in dicta ecclesia sancti Ambrosii, obediant et intendant domino Episcopo et Ecclesie bononiensi secundum quod faciebant ed obediebant,

dum in ecclesia sancti Appollinaris morabantur, ita quod omnia bona dictarum ecclesiarum sancti Appollinaris et sancti Ambrosii simul uniantur et conjungantur, et de cetero sint unita; dantes insuper dicti dominus Episcopus et Canonici plenam et liberam potestatem prefato archipresbitero transferendi ad ecclesiam sancti Ambrosii fratres olim commorantes in ecclesia sancti Appollinaris, et sua auctoritate intrandi possessionem dicte ecclesie sancti Ambrosii et omnium bonorum, mobilium et immobilium, jurium et actionum ad ecclesiam sancti Ambrosii pertinentium. Ad hec dominus Thomasinus de Gallopensio (1) et dominus Passius Ugonis de Ymola, sindici Communis bononiensis, ad dictam concordiam confirmandam constituti vice et nomine ipsius Communis, habentes speciale mandatum ad omnia et singula complenda, ut in instrumento scripto manu Ugolini de Brixia notarii plenius continetur, vice ac nomine Communis Bononie, que tractata fuerunt per dominum Episcopum et Capitulum bononiensem et per Potestatem et Antianos Communis bononiensis, ut supra premissum est, in petitione Communis Bononie facta domino Episcopo et Capitulo bononiensi, presente dicto domino Rizardo de Villa, Potestate bononiensi, et mandante, consenserunt predictis omnibus et ratum habuerunt, et juspatronatus, quantum ad electionem seu presentationem spectat, remiserunt expresse dicto archipresbitero ac dederunt, stipulanti et recipienti vice et nomine ipsius plebis et ecclesie sancti Ambrosii, salvo jurepatronatus ipsi Communi in omnibus aliis, ita quod idem Archipresbiter et sui successores liberam habeant electionem rectoris in dicta ecclesia sancti Ambrosii; promittentes predicti Sindici, nomine et vice ipsius Communis, predicta omnia attendere et observare et non contravenire per se vel per alium seu alios occasione aliqua vel exceptione juris vel facti, sub pena mille librarum imperialium et obligatione bonorum dicti Communis et refectione impensarum, solemni stipulatione premissa, archipresbitero sepedicto pro se suisque successoribus stipulanti, et quod dictum Commune et Sindici predicti defendent dictum dominum Archipresbiterum et Capitulum plebis Montisbellii et ecclesiam sancti Ambrosii a qualibet alia persona, que dictam ecclesiam sancti Ambrosii vel rectorem ipsius inquietaret seu questionem contra ipsam moveret super juspatronatus quantum ad jus presentandi seu elegendi, et quod facient illam desistere ab illa molestatione seu querela sub pena predicta, ita quod pena in omni Capitulo et pro quolibet Capitulo toties peti possit et exigi quoties commisa fuerit, penaque soluta vel non, dicta firma sint et rata. Preterea Nicolaus Oradini notarius, Sindicus seu Procurator parochianorum ipsius ecclesie sancti Ambrosii, habens ad hoc speciale mandatum, ut in charta scripta manu Mathei Alberti de Libris notarii continetur, a dictis parochianis, vice ac nomine ipsorum parochianorum, consensit, dedit et remisit expresse omne jus patronatus, si quod habent ratione juspatronatus, aut consuetudinis in predicta ecclesia sancti Ambrosii, dicto domino Petro archipresbitero plebis Montisbellii stipulanti et recipienti vice ac nomine dicte plebis et ecclesie sancti Ambrosii antedicte, ita quod liberam habeat electionem rectoris in dicta ecclesia sancti Ambrosii; promittens in omnibus et per omnia, et sub eadem pena, secundum quod Sindici Communis Bononie predicti promiserunt nomine Communis Bononie ut superius continetur, eodem die Bononie in camera domini Andree infrascripti, presentibus testibus presbiteris Formento et Aldevrando cappellanis sacristie ecclesie sancti Petri bononiensis et Carnelevario clerico, domino Gabriele quondam domini Ubertini episcopi, domino Arimundo domini Albrici de Sancto Petro et aliis pluribus, dominus Andreas Reuzus canonicus bononiensis jacens in lecto infirmus, omnibus et singulis supradictis consensit, et ea omnia et singula approbavit et ratificavit. Eodem die in camera domini Prioris sancti Salvatoris bononiensis, presentibus testibus domino Gabriele et domino Arimundo predictis, magistro Bernardo parmensi et magistro Berardo de Camerino, dominus Oddo prepositus Faventie, canonicus bononiensis, jacens in lecto infirmus, omnibus supradictis consensit, et ea omnia et singula approbavit et ratificavit. Eodem anno et indictione predicta, die decimaquarta intrante augusto, in sala domus presbiteri Bombologni infrascripti, presentibus testibus presbitero Guillelmo ecclesie sancti Prosperi, domino Gabriele et domino Arimundo predictis, et Nicolao Oradini, Matheo quondam Alberti de Libris et aliis pluribus, dominus presbiter Bombolognus archipresbiter bononiensis, omnibus et singulis supradictis consensit, et ea omnia et singula approbavit et ratificavit. Eodem die Bononie in Curia domus seu hospitii quondam domini Aldrevandini de Prendipartibus, presentibus dictis testibus, dominus Tisius, Electus feltrensis et belunensis, canonicus bononiensis,

(1) *Sic.*

omnibus et singulis supradictis consensit, et ea omnia et singula approbavit et ratificavit. Eodem anno et indictione predicta, die nona exeunte augusti, in canonica bononiensi, presentibus testibus domino Azolino archipresbitero plebis sancti Petri in Casale, magistro Guidone de Senis, domino Bingo de Florentia et Nicolao Oradini notario, dominus Albertus prior de Gangalangis, canonicus bononiensis, omnibus et singulis supradictis consensit, et ea omnia et singula approbavit et ratificavit. Eodem anno et indictione predicta, die septima exeunte augusti, in canonica sancti Petri bononiensi, presentibus testibus domino Azolino archipresbitero sancti Petri in Casale, Zanotto, qui fuit de Allegralcore et Parmesano, qui stat cum domino Jacobo Guidonis Lambertini, dominus Ubertinus de Montasigo, canonicus bononiensis, omnibus et singulis supradictis consensit, et ea omnia et singula approbavit et ratificavit. Ego Thomasinus de Magr[et]a, imperiali auctoritate notarius, interfui, et ut supra legitur rogatus scribere scripsi ».

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et communitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Perusii quartodecimo kalendas julii, pontificatus nostri anno nono.

XXI.

1253, 12 ianuarii.

Ex tomo XLIII. *Cod. dipl. Gymn. bon.* (num. 83), doc. XXVII.

Innocentius IV. (1) Archidiacono et fratri Danieli Ordinis Predicatorum Bononie.

Dilecti filii, Rectores et Universitas scholarium bononiensium quedam dicuntur edidisse Statuta salubria et honesta, que ad utilitatem et bonum statum ipsorum redundare noscuntur; ad quorum observationem se, juramento prestito, obligarunt. Nos itaque, ipsorum supplicationibus, inclinati, mandamus quatenus Statuta ipsa, prout sunt licita et honesta, auctoritate apostolica confirmantes, ea faciatis firmiter observari, contrariis non obstantibus, si aliquibus est ab apostolica Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Perusii, secundo idus januarii, pontificatus nostri anno decimo.

XXII.

1253, 9 septembris.

Ex eodem tomo, doc. XXVIII., c. XXII.

Innocentius papa IV. (2) Archidiacono bononiensi.

Ad explicandos nodos multiplicium questionum, quos in rebus jugiter contingentibus circa varios positivi juris articulos humane indaginis nectit infirmitas, nonnulla temporibus nostris novarum Constitutionum et Decretalium epistolarum remedia emanarunt, que predecessorum nostrorum strenuis sunt subjecta laboribus, per quos fuit ad comunem omnium et maxime studentium utilitatem vigilantissimis excogitationibus desudatum. Verum, sicut accepimus, eisdem Constitutionibus et Decretalibus quedam alie sub nostro confecte nomine ab aliquibus inseruntur, quas nostre approbationis eo non provexit auctoritas, ut cum aliis, quas locum habere censuimus in judiciis et scholis debeant eisdem juris vinculis contineri. Ne igitur per commixtionem hujus opinionis cuilibet, umbra speciem sibi veritatis usurpans, aliquos in confusionis deducat errorem,

(1) Ex reg. II. Innocentii IV., ep. 338, fol. 229, an. MCCLIII., XII. ianuarii.

(2) Ex reg. tertio Innocentii IV., ep. *De curia IV.*, fol. 129, an. MCCLIII., IX. septemb.

Constitutionum et Decretalium epistolarum principia, quas tempore nostri pontificatus edidimus, quasque in *Corpore juris* contineri decrevimus, tibi competentibus assignata titulis duximus transmittenda: mandantes quatenus ea magistris et scholaribus diligenter exponens ex parte nostra distincte prohibeas, ne quis alias sub nostro nomine editas vel edendas, in judiciis vel in scholis admittat absque mandato Sedis apostolice speciali. Principia vero illarum hec sunt et ii sunt tituli, quibus competere dignoscuntur: capite de Rescriptis: *Cum in multis juris articulis presenti decreto duximus statuendum. Dispendia litium equitatis compendio;* capite de Electore et Electi potestate: *Statuimus ut si quis electionem, postulationem, vel provisionem. In electionibus, postulationibus, ac scrutiniis;* capite de supplenda negligentia Prelatorum: *Romana Ecclesia etc. Edictum vero per Remensem etc. Grandi non immerito etc.;* capite de officio Vicarii: *Romana Ecclesia etc. Cum Remensis Archiepiscopus etc.;* capite de officio et potestate Judicis delegati: *Statuimus ut Conservatores;* capite de officio Legati: *Officii nostri debitum remediis*; capite de officio Ordinarii: *Romana Ecclesia etc. prohibemus;* capite de Judiciis: *Juris esse ambiguum non videtur*; capite de Foro competenti: *Romana Ecclesia etc. Ne appellationis;* capite de Lite non contestata: *Exceptiones peremptorie;* capite de restitutione spoliatorum: *Frequens et assidua nos querela;* capite de dolo et contumacia: *Actor qui venire*; capite de eo qui mittitur in possessionem causa rei servande: *Eum qui super dignitate personatu vel beneficio;* capite de Confessis: *Statuimus, ut positiones negativas;* capite de testibus: *Romana Ecclesia etc. In appellationis causa. Ad hec, que in quadam Epistola;* capite de Exceptionibus: *Pia consideratione statuit;* capite de Sententia et re judicata*; Cum enim Tribunal Judicis;* capite ad apostolice dignitatis etc.: *Sane Abbas de Bonifacio abbate etc.;* capite de Appellationibus: *Cordi nobis est lites minuere. Legitima suspitionis. Romana Ecclesia etc. Cum suffraganeorum Remensium;* capite de concessione prebende et ecclesie non vacantis: *Quia cunctis;* capite de rebus Ecclesie non alienandis: *Dum etc. Dictus vero Archidiaconus;* capite de Censibus et Procurationibus: *Romana Ecclesia etc. Statuimus ut quilibet Archiepiscopus;* capite de homicidio: *Pro humana redemptione generis;* capite de privilegiis: *Volentes libertatem;* capite de penis: *Romana Ecclesia etc. Licet aut Remensis;* capite de penitentiis et remissionibus: *Romana Ecclesia etc. Questoribus autem;* capite de Sententia excommunicationis: *Cum medicinalia solet a nonnullis. Statuimus, ut nullus Judicum. Quia periculosum. Romana Ecclesia etc.* Ceterum interdici: Dilecto filio Decano Aurelianensi etc. Capite de verborum significatione: *Veniens etc.* per illa verba.

Datum Assisii, quinto idus septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

XXIII.

1255, 12 iulii.

Ex tom. XXVIII. *Cod. dipl. Eccl. bonon.* (num. 85), doc. VI.

Alexander papa IV. (1) Magistro Bernardo, canonico bononiensi, capellano nostro.

Intellecto dudum, quod dilectus filius Cirsaceus quondam abbas monasterii de Nonantula, Ordinis sancti Benedicti, ad romanam Ecclesiam pertinentis nullo medio, senectute ac infirmitate incurabili pregravatus, minus erat sufficiens regimini monasterii memorati, tibi et venerabili fratri nostro Episcopo imolensi direximus scripta nostra, ut si dictus abbas, senectuti ac anime sue consulens, vellet cedere regimini monasterii antedicti, admitteretis cessionem hujusmodi vice nostra et faceretis eidem monasterio de persona idonea, quam sine assensu nostro nolebamus eligi; decernentes, si secus fieret, irritum et inane, per electionem canonicam provideri, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Ipso igitur abbate in manibus vestris ipsius monasterii regimini sponte cedente, ac a vobis hujusmodi cessione recepta, conventus prefati monasterii eligendi seu postulandi personam idoneam in abbatem eorum, tribus de ipso conventu commiserunt unanimiter potestatem; qui tres de assensu vestro dilectum filium Bonacursum, abbatem monasterii sancti Proculi bononiensis, virum, ut asseritur, providum et discretum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in abbatem jam dicti monasterii de

(1) Ex reg. I. Alexandri IV., ep. 492, fol. 72, an. MCCLV., XII. iulii.

Nonantula concorditer postularunt. Nos itaque presentatam nobis postulationem hujusmodi admittentes, mandamus quatenus ipsum Bonacursum abbatem in corporalem dicti monasterii de Nonantula possessionem auctoritate nostra inducas et defendas inductum, faciens sibi a subditis suis obedientiam et reverentiam debitas exhiberi, recepturus ab eo postmodum pro nobis et Romana Ecclesia fidelitatis solite juramentum. Forma autem juramenti etc. (1)

Datum Anagnie, quarto idus julii, pontificatus nostri anno primo.

XXIV.

1255, 13 iulii.

Ex eodem tomo, doc. VII.

Alexander IV. (2) Cirsacco quondam Abbati monasterii de Nonantula, Ordinis sancti Benedicti.

Intellecto dudum, quod tu, senectute ac infirmitate incurabili pregravatus, insufficiens eras regimini monasterii de Nonantula, quod ad romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, venerabili fratri nostro Episcopo imolensi et dilecto filio magistro Bernardo canonico bononiensi, capellano nostro dedimus nostris literis in mandatis, ut si tu, senectuti ac anime tue consulens, velles cedere regimini monasterii memorati, dicti Episcopus et Capellanus, vice nostra, hujusmodi cessionem admitterent et facerent ipsi monasterio de persona idonea, quam sine ipsorum assensu nolebamus eligi, decernentes si secus fieret, irritum et inane, per electionem canonicam provideri, electionem hujusmodi pro cofirmatione ipsius presentari nostro conspectui facientes, assignaturi tibi de bonis ipsius monasterii pro sustentatione tua provisionem congruam et honestam, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione pospósita, compescendo. Cum autem in eorumdem Episcopi et Capellani manibus sponte cesseris regimini monasterii antedicti, prefati Episcopus et Capellanus hujusmodi literarum auctoritate in trecentis libris bononenorum pro sustentatione tua exhibendis, tibi annuatim de bonis dicti monasterii et de habitatione quarumdam domorum et usu vasorum quorumdam ipsius monasterii tibi, quoad vixeris, providerint, prout in instrumento publico confecto exinde dicitur plenius contineri. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, provisionem hujusmodi ratam habentes et gratam, illam auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Anagnie, tertio idus iulii, pontificatus nostri anno primo.

XXV.

1255, 13 iulii.

Ex eodem tomo, doc. VIII.

Alexander IV. (3) conventui monasterii sancti Proculi bononiensis.

Cum de persona dilecti filii Bonacursi, quondam Abbatis vestri, in abbatem monasterii de Nonantula, quod ad romanam Ecclesiam nullo medio pertinet, vacantis per cessionem dilecti filii Cirsacei quondam abbatis ejusdem canonice sit provisum, nos, attendentes ejus industriam et diligentem sollicitudinem, ac sollicitam diligentiam quam gessit circa regimen monasterii vestri,

(1) Iuramenti formula deest.

(2) Ex reg. I. Alexandri IV., ep. 493, fol. 72 *tergo*, an. MCCLV., XIII. iulii.

(3) Ex reg. I. Alexandri IV., sub ep. 497, fol. 72 *tergo*, an. MCCLV., XIII. iulii.

cui laudabiliter prefuit, curam et administrationem ipsius monasterii vestri sancti Proculi sibi usque ad biennium in spiritualibus et temporalibus duximus committendam. Universitati vestre mandamus quatenus eidem usque ad illud tempus intendatis, et obediatis humiliter et devote. Nos enim, auctoritate presentium, vobis districtius inhibemus, ne interim ad electionem seu postulationem alicujus in Abbatem jam dicti monasterii vestri aliquatenus procedatis, decernentes irritum et inane si quid contra hujusmodi commissionis et mandati nostri ac inhibitionis tenorem vel de provisione sepe dicti vestri monasterii, sive per literas apostolicas non facientes plenam et expressam de presentibus mentionem, aut alias, infra prescriptum tempus contigerit attentari.

Datum Anagnie, tertio idus julii, pontificatus nostri anno primo.

XXVI.

1257, 10 februarii.

Ex archivo sancti Francisci bonon., lib. M, n. 54, nunc in Tab. Max. bonon.

Hoc est exemplum exempli alterius exempli cuiusdam testamenti, cuius talis est tenor:

Hoc est exemplare exempli cuiusdam testamenti, cuius talis est tenor: Exemplum cuiusdam testamenti cum die et Consule sic incipientis:

In nomine Domini, amen. Anno eiusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, indictione quintadecima, die decimo intrante februario ℭ Venerabilis pater dominus Zoen, Dei gratia avinonensis Episcopus, sanus per gratia Jhesu Christi mente et corpore, ut paratum eum inveniat extrema necessitas, que sepe multos invenit imparatos, suarum rerum et bonorum omnium, que habet citra montes, dispositionem per presens nuncupativum testamentum sine scriptis in hunc modum facere et perficere procuravit. Imprimis quidem pro anima sua reliquit Ecclesie avinonensi, idest Episcopis avinonensibus ejus successoribus, totum podere et affare quod habet in villa et curia et territorio Saliceti, bononiensis Diocesis, sive sit domus, sive terra aratoria, sive sit pratum et quicquid aliud ibi habet sive habuerit tempore obitus sui, et totum affare quod habet juxta Savinam, cujus confines sunt isti: a mane Phyllippus de Ligapassaris et nepotes Phyllippi, a meridie et sero fluminis Sapine, et si qui alii sunt confines, hoc modo et conditione, quod Episcopus quicumque pro tempore fuerit ejus successor in Ecclesia avinonensi, eligat tres de canonicis ipsius Ecclesie et duos clericos seculares de civitate et duos clericos seculares de Castro Novarum (1) et unum de aliis castris Ecclesie avinonensis, qui sint dociles et non habeant aliquod beneficium ecclesiasticum, quos destinet Bononie ad studendum, quorum unicuique provideat in vigintiquatuor libras bononenorum quolibet anno ex redditibus percipiendis ex dictis poderibus et affaribus, pro expensis causa et gratia studiorum, et possit ibi tenere unumquemque eorum quinque annis, vel minus, si ei videbitur expedire. Ab hoc benefitio excipimus filios Guilielmi Augerii et ipsum Guilielmum usque ad gradum tertium attingentes, et Guilielmum de Atimone et ipsum usque ad tertiam consanguinitatis lineam attingentes. Completo autem tempore alicuius de predictis scholaribus, quod compleri voluit finito quoquomodo, aut per revocationem episcopi, vel per mortem ipsius scholaris, vel quia incipiat habere beneficium ecclesiasticum sibi perpetuum, teneatur episcopus statim loco sui alium subrogare de predicta canonica, civitate vel castris, ut dictum est, ita quod canonico succedat canonicus, et clerico seculari de civitate alius clericus de civitate, et clerico seculari de Novis alius clericus secularis de Novis, et clerico seculari de castris alius clericus secularis de ipsis castris eiusdem Ecclesie avinonensis. Et si contigeret quod non inveniret aliquos ydoneos vel dociles ad mittendum, tunc potestatem eligendi habeat aliunde, quem vel quos mittat dumtaxat de Episcopatu vel de civitate avinonensi; et si contigeret negligentem esse in scholaribus ad studium transmittendis, forsan quod vellet vendere dictas possessiones vel adpropriare sibi redditus, voluit et disposuit quod dicte possessiones et dicta affaria veniant sine diminutione ad ecclesiam sancti Michaelis de Buscho de Bononia, que ecclesia teneatur de hoc providere octo scholaribus pauperibus de Avinone vel de episco-

(1) *Castrum Novum Arii,* hodie *Castelnaudary.*

patu, si inventi fuerint Bononie, prout de Episcopo dictum est: alias de provincia arelatensi. Et si nullus provincialis pauper scholaris inventus fuerit Bononie, eligat dicta Ecclesia alium, de quibuscumque videbitur expedire. Et si illi de ecclesia sancti Michaelis fuerint negligentes, perveniant dicte possessiones ad Capitulum avinonensis Ecclesie, quod Capitulum teneatur octo scholaribus, ut supra dictum est, sicut dictum est de Episcopo. Si autem omnino deficeret Studium Bononie, voluit, disposuit quod Episcopus avinonensis, qui pro tempore fuerit, vendat dictas possessiones et ponat totum precium in emptione aliarum possessionum in Episcopatu avinonensi, de quarum redditibus provideat octo scholaribus, ut dictum est, studentibus dumtaxat in Studio generali. Et si omnes fuerint negligentes et remissi, voluit et disposuit quod dicte possessiones vendantur per Comissarios suos, et pretium distribuatur per pauperes Christi, ubi eis visum fuerit melius expendendum. Item reliquit Ecclesie avinonensi, sive Episcopo, non Canonicis, totum quidquid defecit sibi [per] avinonenses cives occasione restitutionis dampnorum, que sibi et avinonensi Ecclesie intulerunt. Summa eius videtur ascendere usque ad summam mille quingentarum librarum toronensium, salvo jure pluris vel minoris. Item de denariis, quos habet dictus testator Bononie apud mercatores, videlicet Jacobinum de Racorgittis et socios suos, reliquit Ecclesie avinonensi, idest Episcopis avinonensibus successoribus suis, trescentas libras toronensium. Rogans Episcopum successorem suum vel successores suos, qui pro tempore fuerint, ut emant castrum sancti Laurencij, illud ressiduum quod est ad emendum, cum aliqua particulla iam sit empta; et castrum ab Ecclesia teneatur, si alio modo dictum castrum non posset ab Ecclesia obtineri; alioquin sit tacitum de ipsis trescentis libris, et remaneant apud comissarios meos in usus pauperum expendende. Item de dictis denariis quos habuerint mercatores predicti, scilicet dominus Jacobinus et alii, reliquit monasterio ecclesie sancte Catherine de Avinone centum quinquaginta libras toronensium pro emendis possessionibus pro dicto monasterio. Item de denariis quos habent predicti mercatores reliquit centum et quinquaginta libras toronensium per manus Prioris sancti Agricoli et Prioris Predicatorum et Guardiani Fratrum Minorum de Avinione expendendas hoc modo: centum soldos voluit habere pro pictancia Ecclesie avinonensis, et centum soldos toronensium conventum Fratrum Minorum eiusdem loci pro pictancia similiter, et conventum Fratrum Predicatorum eiusdem loci centum soldos toronensium pro pictancia similiter. Et de istis centum et quinquaginta libris voluit quod solvantur heredibus Guillielmi Croci de Bitutida quadraginta libras nigrorum vel ejus valles, quos habent de ereditate ipsius occasione privilegij, cum pauca preter mobilia possiderent per Priorem sancti Agricoli et Priorem Predicatorum et Guardianum predictos de Avinone, quos constituit suos Comissarios in Provintia, specialiter super istis centum et quinquaginta libris toronensium expendendis. Et mandavit per eos diligenter perquiri per civitatem et per castra Episcopatus avinionensis et ipsam civitatem, si quid predictus Episcopus habuit vel exegit a quocumque occasione privilegij pro mobilibus alicuius, aut si exegit ab aliquo de linea ascendenti, eo pretestu quod non potuerit succedere descendenti defuncto, et illud totum mandat restitui. Vult etiam quod predicti vadant ad quodlibet de castris suis, et si congregatis populis dictorum castrorum invenerint aliquos qui ostendant quod Episcopus predictus, vel aliquis de familia ejus pro eo, debeat aliquid sibi, restituatur illud ei. Si autem, restitutione facta plenaria de predictis centum quinquaginta libris toronensium, aliquid superfuerit, prout utilius et melius videbitur istis tribus, in usus pauperum expendatur. Insuper reliquit domine Contisine, matri sue, et fratri Joseph, viro ejus, patri suo, usufructus, redditus et obventus omnium aliarum possessionum suarum et rerum, quas habet citra montes, quamdiu vixerit ipsa mater ejus et pater habeant totum usumfructum ad providendum sibi et domine Jacobine eorum filie, ita quod non patiantur aliquem defectum in temporalibus, et [si] premoreretur alter eorum, perveniat totum usumfructum ad alterum similiter patrem vel matrem, de quo sibi provideat, et Jacobine predicte. Et in isto usufructu instituit sibi heredes predictos, scilicet patrem et matrem suam, computato in hoc omni iure ipsi patri suo et matri debito in bonis ejusdem testatoris. Preterea, ultra id totum quod dictum est, reliquit de bonis suis pro anima sua et parentum suorum, quatuor milia librarum bononenorum, de quibus reliquit et dari voluit domino Pape et Ecclesie romane mille libras bononenorum expendendas, si domino Pape placuerit, pro defensione et tuitione catholice fidei, presertim contra hereticos; et voluit et mandavit comissariis suis, quod ipsi infra annum post obitum testatoris impetrent a domino Papa absolucionem delictorum suorum et confirmationem ultime voluntatis eius, sive in testamento,

sive in codicillis sit. De reliquis vero tribus millibus libris solvi voluit et mandavit conventui Fratrum Minorum civitatis Bononie quinquaginta libras bononenorum pro indumentis Fratrum. Item fratri Julliano de Tenchararіis, si tunc vixerit, quinque libras bononenorum. Item conventui Fratrum sancti Michaelis de Busco quinquaginta libras bononenorum expendendas pro complendo truna ecclesie sancti Michaelis, quam incepi facere fieri. Item conventui Fratrum Predicatorum civitatis Bononie quinquaginta libras bononenorum pro indumentis Fratrum. Item dari et solvi voluit tercentas libras bononenorum uni militi, qui pro anima sua cum bonis armis et equo vadat et stet ultra mare per annum, non computato tempore accessus et redditus, contra saracenos et qui representet se Legato Ecclesie romane vel Patriarche, et ad eorum voluntatem stet contra saracenos. Item dari et solvi voluit decem libras bononenorum alteri persone que pro anima ejus visitet limina beati Jacobi de Compostella. Item dari et solvi voluit quindecim libras bononenorum alteri persone que pro anima ejus vadat Romam, et ibi stet tota quadragesima maiori, et vadat ad staciones continue et indulgentias querat et recipiat pro anima sua, et postmodum vadat ad ecclesiam beati Michaelis Archangeli, et ad ecclesiam beati Nicholai de Bari. Item reliquit conventui Dominarum sancti Francisci de Bononia pro indumentis Sororum decem libras bononenorum. Item conventui sancte Agnetis quinque libras bononenorum pro indumentis Sororum. Item conventui Sororum sancte Marie Magdalene de conversis decem libras bononenorum pro indumentis Sororum. Item conventui Dominarum de Misericordia decem libras bononenorum pro indumentis Sororum. Item conventui Dominarum de Cistello quinque libras bononenorum pro indumentis Sororum. Item conventui sancti Petri Martiris quinque libras bononenorum pro indumentis Sororum. Item reliquit domno Paulo monaco, procuratori suo, qui stat apud Tumbam cum genitoribus suis, pro labore et mercede sua triginta libras bononenorum. Item Antiocie servienti dominorum genitorum suorum feudum suum et insuper quinquaginta soldos bononenorum. Item Axisio, servienti ipsorum, feudum suum et insuper XL. soldos bononenorum. Item magistro Nicolao, scriptori suo, qui stat cum patre suo ad Tumbam, centum soldos bononenorum. Item Ugolino, servienti dictorum genitorum suorum, feudum suum et insuper viginti soldos bononenorum. Item Aymirico, quondam servienti patris sui, et filiis ejus, tres libras bononenorum. Item Luchisie et Aychinie et Margarite, filiabus et heredibus quondam Jacobi Zannis Danielis, et unicuique ipsarum pro ea maritanda viginti libras bononenorum. Item conventui Dominarum de Puiola quinque libras bononenorum pro indumentis Sororum. Item conventui Dominarum sancte Marie Nove juxta navigium decem libras bononenorum. Item conventui Dominarum sancti Augustini quinque libras [bononenorum] pro indumentis Sororum. Item Sororibus juxta sanctam Luciam extra Seralium quinque libras bononenorum pro indumentis. Item conventui Dominarum de Ronzano quinque libras bononenorum pro indumentis Sororum. Item conventui Dominarum de sancta Catherina quinque libras bononenorum pro indumentis Sororum. Item Sororibus de Veza, si tunc ibi fuerint et conventum habuerint, quinque libras bononenorum pro indumentis Sororum. Item conventui Sororum sancti Johannis Baptiste quinque libras bononenorum pro indumentis. Item Sororibus, que stant apud sanctum Guillielmum, quinque libras bononenorum pro indumentis. Item conventui Dominarum sancte Marie de Betlem quinque libras bononenorum pro indumentis. Item conventui Fratrum sancti Gregorii decem libras bononenorum. Item conventui Fratrum sancti Jacobi de Savina viginti libras bononenorum pro indumentis. Item conventui Fratrum sancte Margarite de Barbiano tres libras bononenorum pro indumentis. Item cuilibet alteri ecclesie conventuali de civitate et suburbiis Bononie viginti soldos bononenorum. Et rogavit per fideicomissum omnes sacerdotes ipsarum ecclesiarum ut cantent missas pro anima sua. Item cuilibet capelle civitatis et suburbiorum quinque soldos bononenorum, et rogavit sacerdotes per fideicomissum, ut cantent missas pro anima sua et parentum suorum. Item cuilibet hospitali de civitate et suburbiis Bononie, ubi pauperes hospitantur, viginti soldos bononenorum. Item cuilibet Potestati civitatis Bononie qui fit de elemosinis viginti soldos bononenorum. Item reliquit et dari voluit filio domine Diamantis neptis sue, quem ipsa habuit de Petrizolo quondam viro suo, qui mortuus fuit in servitio romane Ecclesie, quinquaginta libras bononenorum. Item domine Thomaxine uxori Petricti et Flordelisie sororis sue, neptis ejusdem testatoris, quinquaginta libras bononenorum. Item reliquit et dari voluit domine Plaxivile et domine Egidie ejus filie, consanguinee ipsius, viginti libras bononenorum. Item domine Borghe, consanguinee ejus, et Ugolino ejus filio quinquaginta libras bononenorum. Item domine Quintanisie, ejus consobrine, viginti

libras bononenorum. Item filiis Juliane uxoris quondam Johannis de Saliceto, consobrine sue, viginti libras bononenorum. Item domine Diamanti, ejus consanguinee, reliquit id quod dedit sibi, vel pro ea, dotis nomine. Item domine Marie filie domine Borghe, consanguinee sue, reliquit id quod ei, vel pro ea, dedit dotis sue nomine. Item domine Marie, consanguinee sue, filie quondam Rolandi Cavalerii illud quod ei dedit, vel pro ea, in dotem. Item domine Benvenute et domine Guisaltrude, filiabus Merchadantis, reliquit illud quod eis dedit in dotem. Item domino Guidoni de Tenchårariis reliquit decem libras bononenorum. Item filiis quondam Conforti de Tenchårariis quinque libras bononenorum. Item filiis quondam Palmiroli, fratris sui, quinque libras bononenorum. Item domino Michaeli de Tenchårariis quinque libras bononenorum. Item domino Jacopo de Tenchårariis quinque libras bononenorum. Item Lambertino qui dicitur Mediuscorvus et fratri suo quinque libras bononenorum. Item sorori Adhelasie decem libras bononenorum. Item domino Thomaxio, filio quondam domini Pacis de Tenchårariis, reliquit solucionem et liberationem ejus quod sibi debet, scilicet quinquaginta libras bononenorum, quas ipse testator mutuavit patri suo predicto. Item alias quinquaginta libras bononenorum, quas mutuavit dicto Thomasio pro maritanda Diamante sorore sua. Item triginta octo libras in alia parte, quas debebat domino Josepho patri suo predicto, scilicet testatoris, occasione tutele sue. Item reliquit eidem Thomasio Codicem, Diiestum et Institutam, et Summam Azonis, in quibus ipse legit et quos ipse testator ei commodavit. Item domine Merchadante et ejus filiis reliquit totum illud, quod ipse testator dedit eis pro ipsis manutenendis, et remisit tam domine Merchadante, quam omnibus suis filiis, obligationem illam quam Donusdeus, pater eorum, fecit patri eiusdem testatoris de omnibus bonis suis, ita quod nullus successor testatoris possit ab eis petere aliquid occasione obligationis vel donationis, quam fecerit patri suo Donusdeus predictus. Item reliquid domino Thomasino nepoti suo, filio quondam Pacis et Petrobono et Valeriano, Usepo et Michaeli, filiis domine Merchadante predicte, quidquid spectabat et pertinebat ad patrem ipsius testatoris et ad ipsum testatorem spectat et pertinet, ex omnibus que habebant communia cum Tenchårariis, scilicet ex turri Tenchårariorum et ex domo comuni, que fuit quondam domini Odderisi de Tenchårariis, et ex casamento, quod fuit quondam domini Bartholomei de Tenchårariis et ex omnibus aliis quibuscumque. Item sorori sue domine Jacobine reliquit in solutum pro illis quinquaginta libris bononenorum, in quibus pater suus in suo testamento eam heredem instituit, unam tornaturam de vinea sua de Orti de strata Castillonis. Insuper reliquit eidem alias tres tornaturas ex dicta vinea, hiis conditionibus pacto et lege quod ipsa habeat usumfructum ipsarum quatuor tornaturarum dicte vinee toto tempore vite sue ad usus suos; post mortem vero suam perveniat ipsa vinea sibi relicta ad illud monasterium, ubi ipsa erit tempore obitus sui; et si contingeret aliquam Abbatissam vel Priorissam seu monialem depodestare eam de dicto usufructu, aut aliquid ultra petere in bonis domini Joseph patris sui sive ipsius testatoris, occasione alicujus falcidie vel alia quacumque, voluit et disposuit quod proprietas et ususfructus dicte vinee et ipsa vinea veniat ad sanctam Mariam de Misericordia; que ecclesia usumfructum dicte vinee teneatur dare et expendere singulis annis in vestibus et aliis usibus ipsius domine Jacobine, prout ipsa voluerit et quamdiu vixerit, et post mortem dicte domine Jacobine redeat proprietas et ususfructus dicte vinee ad sanctam Mariam de Misericordia. Et si contingeret quod ipsa domina Jacobina, vel monasterium quod haberet jus pro ea, non staret contenta vel contentum dicta tornatura vinee, ei relicta in solutum pro dictis quinquaginta libris sibi relictis jure institutionis a patre suo, eo casu testator privat ipsam dominam Jacobinam et monasterium, quod pro ea jus haberet, omni predicto relicto, et privatum esse voluit. Item tres tornaturas de dicta vinea de Orti quidquid residuum fuerit ad predictas quatuor tornaturas quas reliquit sorori sue Jacobine, reliquit capitulo majoris Ecclesie bononiensis pro restauratione decimarum, earum videlicet ad que ipse testator aut pater suus tenebantur, et pro eo eciam quod ipse testator Canonicus fuit ejusdem ecclesie, sicut voluit rogari per fideicommissum, quod dictum Capitulum faciat singulis anni anniversarium pro anima sua et parentum suorum. Voluit insuper et disposuit quod post mortem suam et patris et matris sue inter dictos Canonicos et dictam Jacobinam dicta vinea de Orti ita dividatur, silicet quod unaqueque pars habeat ingressum seu portam et stratam sicut aliquando esse consuevit; et quod dixit de vinea sua de Orti, vult quod habeat locum post mortem patris et matris sue predictorum, quibus reliquit usumfructum tocius dicte vinee toto tempore vite ipsorum. Item reliquit decem libras bononenorum dandas, dividendas inter pauperes civitatis Ymole, prout vide-

bitur commissariis suis. Item sorori Asinile de conventu de Misericordia, si tunc temporis vixerit, reliquit quinque libras bononenorum. Item reliquit cuilibet commissariorum suorum infrascriptorum viginti libras bononenorum pro labore suo. Ressiduum dictarum trium millium librarum bononenorum, quod supererit a dictis legatis, solvi, distribui et expendi voluit et disposuit per commissarios suos infrascriptos prout melius visum fuerit eis pro anima sua; ita silicet, ut statim cum fuerint certi de obitu suo, convocent omnes prelatos et clericos civitatis Bononie et suburbiorum, tam religiosos quam alios ad ecclesiam catredalem (1) pro exequiis faciendis pro anima sua, et provideant omnibus sicut viderint faciendum; et ipsa die vel sequenti faciant elemosinam generalem pauperibus civitatis et suburbiorum Bononie, quos vocent ad eumdem locum per preconem, si necesse fuerit; et detur unicuique pauperi panis unus duorum denariorum et unus denarius, et faciant pulsare campanas per singulas ecclesias civitatis Bononie in quolibet termino sicut fieri consuevit Bononie, deinde ad unum annum. Item voluit et mandat commissariis suis, quod in primo anno post obitum suum quolibet primo die veneris cujuslibet mensis vocentur per preconem omnes pauperes civitatis ad plateam sancti Dominici vel sancti Francisci alternatim, ita quod una convocatio fiat una die ad sanctum Dominicum et altera ad sanctum Franciscum pauperum predictorum, et detur unicuique pauperi panis duorum denariorum, et sit ibi unus de commissariis, vel aliquis Frater pro eis, qui comuniter roget omnes pauperes ut rogent Deum pro anima Episcopi testatoris. Cetera vero omnia predicta legata solvantur et compleantur intra annum post obitum suum, exceptis illis que differri oportet pro usufructu relicto. Ad hec autem omnia et singula exequenda esse voluit et disposuit Commissarios suos et hujus testamenti executores Priorem Predicatorum conventus Bononie et Guardianum Fratrum Minorum civitatis Bononie, qui pro tempore fuerint, et Priorem sancti Michaelis de Buscho, volens et jubens, quod si aliquis eorum predictis omnibus et singulis intendere et superesse non posset, alij duo nichilominus exequantur. Ipsi vero Commissarij predicta quatuor milia librarum exigent et recipient a Jacobino Racorgitti, Amadore Pizecotti, Nicolao Bongerardi eorum sociis, in quibus et in amplius ipsi domino Episcopo tenentur. Et ad exigendum predictam pecuniam et quidquid sibi debetur citra montes, a quocumque sibi debeatur, et ad omnia, ut superius dictum est, bene complenda, predictos Priorem Predicatorum et Guardianum Fratrum Minorum, Priorem sancti Michaelis de Buscho, ut dictum est, fecit suos Commissarios, et hujus testamenti ac cujuscumque alterius ultime voluntatis executores et procuratores in predictis omnibus citra montes. In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus et immobilibus, juribus et actionibus citra montes habitis et habendis sibi heredes instituit pauperes Christi, quos, pensata utilitate anime Episcopi avinonensis et multa paupertate ipsorum pauperum, prefati Commissarij duxerint eligendos, ut succedant ipsi testatori in omnibus, exceptis que supra relicta sunt et hiis etiam, que relinquentur, de quibus disponetur in codicillis suis; quos codicillos item testator mandavit, voluit et disposuit clausos et inapertos stare sub sigillo, et sigilli secreto teneri, a Commissariis suis usque post obitum suum et patris et matris ejus. Post obitum vero suum, patris et matris ejus, voluit ipsos codicillos aperiri et publicari ab ipsis Commissariis et ea exequi, fieri et compleri, que in ipsis continebuntur. Et hanc suam ultimam voluntatem asseruit esse velle, quam valere voluit jure testamenti; quod si jure testamenti non valet, valeat saltem jure codicillorum vel cujuscumque alterius ultime voluntatis, qua melius valere potest.

Actum in domo ecclesie sancti Antonii de Bononia de Savina, in camera in qua ipse dominus Episcopus morabatur; presentibus fratre Trovato priore sancti Michaelis de Buscho, domno Paulo monaco sancti Stephani, fratre Johanne de Broylo de sancto Michaele de Busco, domino Alamanno Infrangeloste de civitate Florentie et Raymundo Torta canonico sancti Ruffi de Valencia, domno Bonninsegna priore sancti Antonij predicti de Bononia de Savina, et presbitero Bevagno ejusdem ecclesie canonico, et domino Aldiberto milite de Novis, Petro Durandi priore sancti Agricoli avinionensis et fratre Ugolino de Tencharariis de Ordine fratrum Minorum, testibus vocatis et rogatis.

Ego Ysnardus domini Johanninij Pizolpili filius, imperiali auctoritate notarius, predictis interfui, et ea omnia de mandato dicti venerabilis patris Avinionensis Episcopi scripsi, subscripsi.

Ego Bencevenne quondam Jacobi domini Grimaldi de Saliceto, imperiali auctoritate notarius,

(1) *Sic.*

suprascriptum testamentum cum autentico scripto manu Ysnardi, domini Bonichinj Pizolpilj filij, notarii, una cum infrascripto notario de verbo ad verbum ascultavi bona fide coram domino Blaxio Judice et Assessore domini Andree Zeni, secundi Potestatis Bononie et de suo mandato cum meo signo proprio me in testem subscripsi.

Ego Bondi filius domini Petrizoli, imperiali auctoritate notarius, suprascriptum testamentum exemplavi et scripsi bona fide ut in autentico scripto manu Ysnardi Bonichinj Pizolpili filij notarii inveni, et una cum suprascripto notario legi coram domino Blaxio Judice et Assessore domini Andree Zeni, secundi Potestatis Bononie, quibus omnibus sic peractis, dictus Judex suam et Comunis Bononie auctoritatem interposuit atque decretum.

Et ego Michilinus Jacobini Cavaze, imperiali auctoritate notarius, ut in dicto exemplo inveni, ita fideliter subscripsi, exemplavi et scripsi, subscripsi, signavi, subsignavi.

[Foris:] Jura spectantia ad causam motam causa hereditatis Episcopi Avinionensis.

XXVII.

1257, a 10 februarii ad 20 eiusdem.

Ex eodem archivo sancti Francisci Bonon., nunc in Tab. Max. bon., sect. « *Demaniale* », $\frac{346}{5089}$, lib. M, num. 60.

Reverendissime paternitati vestre cum debita reverentia significatur pro parte conventus Fratrum Predicatorum et conventus Fratrum Minorum civitatis Bononie et Thome condam Pauli de Tenchararijs bononiensis, quod dominus Zohen, olim episcopus Avinoensis, in suo testamento inter cetera disposuit et reliquid Ecclesie avinionensi, idest Episcopis avinoensibus (1) ejus successoribus, podere quod habebat in territorio Saliceti, Bononiensis diocesis, et aliud podere quod habebat juxta Sapinam in dicta diocesi juxta suos confines, hoc modo et conditione, quod Episcopus quicumque pro tempore fuerit successor in dicta Ecclesia, eligat tres de chanonicis ipsius Ecclesie et duos clericos seculares de civitate et duos clericos seculares de Castro Novarum, et unum de aliis castris Ecclesie supradicte, qui sint dociles et non habeant aliquod beneficium ecclesiasticum, quos destinet Bononie ad studendum, quorum quilibet habere debeat quolibet anno pro expensis studii xxiiij libras, ex redditibus percipiendis ex dictis poderibus; quorum quilibet stare possit quinque annis ad plus in dicto Studio, et finito tempore primorum destinatorum loco ipsorum, alios subrogare, et sic successive. Et si contigerit eum negligentem esse in scolaribus ad Studium transmittendis, voluit quod dicta poderia veniant sine diminutione ad ecclesiam sancti Michaelis de Buscho de Bononia, que Ecclesia teneretur providere octo scolaribus pauperibus de Avinione vel Episcopatu ipsius etc. Et si illi de ecclesia sancti Michaelis fuerint negligentes, perveniant dicta poderia ad Capitulum avinoensis Ecclesie, quod Capitulum teneatur providere octo scholaribus, sicut supradictum est de Episcopo. Si autem omnino deficeret Studium Bononie, voluit quod Episcopus avinoensis vendat dicta poderia, et precium convertat in emptione aliarum possessionum in Episcopatu avinoensi, de quibus providere debeat octo scolaribus, ut dictum est, studentibus in alio Studio generali. Et si omnes fuerint negligentes et remissi, voluit quod dicta poderia vendantur per dictos suos commissarios, et precium distribuatur per pauperes Christi, ubi eis visum fuerit melius expendendum; quos commissarios esse voluit Priorem Fratrum Predicatorum conventus Bononie et Guardianum Fratrum Minorum conventus dicte civitatis, qui pro tempore fuerint, et Priorem sancti Michaelis de Buscho; volens quod si aliquis eorum predictis intendere et superesse non posset, alij duo nihilominus exequantur. Quod testamentum factum fuit anno nativitatis Dominj millesimo ducentessimo quinquagessimo septimo, indictione xv^a, die x^o intrante februario, et scriptum manu Ysnardi Boniohannini Pizolpili notarii.

(1) *Sic.*

Post hec prefatus Episcopus suos fecit codicillos, ejusdem notarii manu scriptos in M°. cc°. lvij°, indictione predicta, die nono exeunte mense februario supradicto. In quibus inter cetera infrascripta disposuit per hec verba: Item cum dixerit dictus Episcopus in suo testamento, quod si Episcopus avinoensis successor suus aliquis esset negligens in tenendis scolaribus apud Bononiam, pervenirent dicta poderia seu dicte possessiones ad sanctum Michaelem de Buscho, de quibus ipsi Fratres tenerent octo scolares. Et si ipsi essent negligentes, pervenirent predicta ad Capitulum avinoensis Ecclesie, quod teneretur facere illud idem. Et si omnes predicti invenirentur negligentes, commissarii venderent ipsas possessiones, et precium distribuerent inter pauperes. Dictorum negligentiam determinavit ipse Episcopus per commissarios suos debere reputari, si Episcopus steterit per annum quod non teneat scolares in Studio bononiensi et tot quot ipse testator instituit. Idem dixit de sancto Michaele de Buscho et illud idem de Capitulo avinoensi, ut quicumque per annum steterit quod non tenuerit scholares tot quot ordinavit testator, vel ad minus sex, negligens habeatur; et possint commissarij procedere ad distrahendum poderia et distribuendum precium inter pauperes, ut dictum est.

Deinde cum casus sive condicio evenerit vendendi dicta poderia et precium distribuendi secundum formam dicti testamenti et codicillorum predictorum, quia illis temporibus Studium defecit Bononie, sed maxime quia prefati Episcopi successores sui et conventus Fratrum de Buscho et denique Capitulum avinoense successive negligentes fuerunt in elegendis, transmittendis ac tenendis dictis scholaribus Bononie ad studendum, nedum per annum sed etiam per plures annos antequam Studium deficeret in civitate Bononie, quod postea recuperatum fuit, prefati commissarij volentes exequi testatoris voluntatem, scilicet dicti Prior Predicatorum et Guardianus Minorum, cum alius commissarius predictis intendere non posset exequendo predicta, habito tamen prius conscilio in scriptis plurium prudentum virorum jurisperitorum civitatis Bononie, an procedi posset ad dictam vendictionem, et eis concorditer consulentibus procedi posse ad dictam venditionem, vendiderunt tamquam commissarij dicta poderia Paulo de Tencarariis, patri dicti Thome, bona fide pro precio octingentarum librarum bononenorum, quod tunc comune precium videbatur, ipsumque precium receperunt distribuendum inter pauperes, illudque, ut creditur, distribuerunt secundum formam dicti testamenti; super quibus poderibus ipse Paulus et dictus Thomas ejus filius suis expensis multa melioramenta fecerunt.

Que venditio, conscideratis predictis, creditur processisse de jure, et conventus predictos in aliquem eventum, sive de jure processerit, sive non, non teneri de predictis reddere racionem, cum nichil ipsorum nomine gestum fuerit, nec ad eos dictum precium pervenerit, nec sint vel fuerint dictorum poderiorum aliquo tempore possessores; prefatos tamen venditores, que commissa fuerint, si viverent, non negatur teneri de predictis reddere racionem, si distributio precii facta non fuisset.

Ipse autem Thomas videtur eciam non teneri, cum bona fide emerit pater ejus, et longo tempore possederit, continuato tempore patris sui, et precium solverit pater ejus, ut constat per publicum instrumentum et constat vendicionem fieri potuisse rationibus antedictis.

Dicentes etiam, cum reverentia tamen, quod objicitur de deposito alias facto per conventus de quantitate octingentarum librarum, occasione predicta non obstante, quia non fuit factum dictum depositum per commissarios qui jam erant mortui, et precium, dum viverent, distribuerant auctoritate dicti testamenti, nec eciam factum fuit tamquam de precio ad eos pervento, sed solum factum fuit propter evitandos quosdam processus, ex quibus dicti conventus, cum reverentia tamen facientium, indebite gravabantur occasione predicta, qui velle procedere videbantur ad interdicendum eosdem, nisi fieret depositum supradictum, ut, ipso deposito facto de jure, excusatione et defensione ipsorum conventuum plenius videretur, nihilominus ab eorum processibus ad sanctissimum patrem nostrum dominum Papam pro parte dictorum conventuum extitit appellatum.

Quare supplicatur humiliter paternitati vestre predicte pro parte dictorum conventus et Thome predicti, quatenus dignetur vestra paternitas de vestra solita clementia et benignitate per auditores vestros, vel alios, examinari facere jura predicta, et non pati quod ipsi vel alter eorum ex predictis indebite aggraventur.

XXVIII.

1257, 27 iulii.

Ex tom. XXVIII. *Cod. diplom. Eccl. bonon.*, num. XIV.

Alexander IV. (1) Petro canonico bononiensi, nato nobilis viri Ugolini Guidonis de Lambertino civis bononiensis.

Devotionis tue nobis exhibita petitio continebat, quod cum nos dilectis filiis . . . . (2) Electo et Capitulo patracensi preces direxissemus sub certa forma monita et mandata, ut te in eorum ecclesia reciperent in canonicum et in fratrem, tibique de prebenda, si vacabat, vel quamprimum ad id se offerret opportunitas, providerent, decernentes irritum et inane quicquid contra mandatum hujusmodi contingeret attentari. Idem Electus postmodum apud Sedem apostolicam constitutus, ad quem in eadem ecclesia pertinet collatio prebendarum, patrem tuum tuo nomine liberaliter recipiens, in canonicum ecclesie supradicte de prebenda hujusmodi tibi providere promisit quamprimum habuerit facultatem, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod per eumdem Electum in hac parte factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem instrumenti predicti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est:

« In Dei nomine, amen. Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, die mercurii vigesimaquinta julii, decimequinte indictionis, pontificatus domini Alexandri pape quarti anno tertio. In presentia mei notarii infrascripti et testium subscriptorum nobilis vir dominus Ugolinus Guidonis Lambertini, civis bononiensis, procurator domini Petri canonici bononiensis, filii sui, sicut constitit, presentavit nomine ipsius filii sui domino . . . . . . Electo patracensi literas domini Pape, quarum continentia talis erat:

«« Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis . . . . Electo et Capitulo patracensi salutem et apostolicam benedictionem. Credentes vos illa erga nos et romanam Ecclesiam devotionis sinceritate servare, ut preces nostras, etiam si eas pro extraneis dirigamus, studeatis effectui mancipare, speramus firmiter illas a vobis cum porriguntur pro nobis et devotis nostris eo promptius adimpleri, quo de sinceriori affectu procedere dignoscuntur. Hinc est, quod pro dilecto filio, Petro canonico bononiensi, nato dilecti filii nobilis viri Ugolini Guidonis de Lambertino, militis bononiensis, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur, attente mandantes quatenus ipsum, ob reverentiam Sedis apostolice et nostram, in ecclesia vestra in canonicum recipiatis et in fratrem, sibique de prebenda, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, vel quamcito ad id obtulerit se facultas, liberaliter providere curetis, non obstante statuto de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roborato, aut quod idem Petrus pati dicitur in ordinibus et etate defectum, seu si vobis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneamini, quodque ad id compelli non possitis per literas apostolicas plenam et expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia prefate Sedis indulgentia cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam aut totaliter non insertam ipsius Petri receptio vel provisio impediri valeat vel differri, preces et mandatum nostrum in hac parte taliter impleturi, quod devotionem vestram dignis exinde possimus in Domino laudibus commendare. Et ne idem Petrus hujusmodi provisionis frustrari possit effectu, decernimus irritum et inane, si secus de predicta prebenda per quemcumque contigerit attentari. Datum Laterani quarto nonas aprilis, pontificatus nostri anno tertio »».

» Qui dominus Electus, predictis literis ipsis reverenter receptis, statim prefatum dominum Ugolinum, nomine dicti domini Petri, quantum ad se pertinebat, libere recepit in canonicum et

(1) Ex reg. II. Alex. IV., ep. 524, fol. 64, an. MCCLVII., XXVII. iulii.

(2) Nomen Electi desideratur.

in fratrem, et promisit se provisurum eidem domino Petro de prebenda quam cito ad id obtulerit se facultas, salvo tamen jure priorum receptorum, si qui jam recepti sunt in ecclesia patracensi prescripta. Actum Viterbii in hospitio in quo hospitatus erat dictus dominus patracensis Electus, presentibus domino Sinibaldo, camerario domini Octaviani sancte Marie in via Lata diacono cardinali, domino Jacobino de Prindipartibus et domino Gruamonte, civibus et militibus bononiensibus, ac domino Andalo, milite de Mantua, testibus specialiter ad hoc vocatis. In testimonium autem presentationis, receptionis et promissionis hujusmodi dominus Electus prescriptus presenti instrumento, ad majorem cautelam predicti domini Petri, sigillum suum appendi mandavit. Ego Johannes de Campulo, apostolice Sedis auctoritate notarius, predictis interfui et ea de mandato dicti domini Electi in publicam formam redegi ».

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Viterbii sexto kalendas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

XXIX.

1257, 27 iulii

Ex eodem tomo *Cod. dipl. Eccl. bon.*, doc. XIV.

Alexander IV. (1) archiepiscopo atheniensi et episcopo mothonensi.

Exhibita nobis dilecti filii Petri, canonici bononiensis, nati nobilis viri Guidonis de Lambertino, civis bononiensis, petitio continebat quod cum nos dilectis filiis Electo et capitulo patracensi preces direxissemus sub certa forma monita et mandata, ut eum in eorum ecclesia reciperent in canonicum et in fratrem, sibique de prebenda, si vacabat, vel quamprimum ad id se offerret opportunitas providerent, decernentes irritum et inane quicquid contra mandatum hujusmodi contingeret attentari, idem Electus, postmodum apud Sedem apostolicam constitutus, ad quem in eadem ecclesia pertinet collatio prebendarum patrem suum, suo nomine, liberaliter recipiens in canonicum ecclesie supradicte, de prebenda hujusmodi sibi providere promisit quamprimum habuerit facultatem, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Nos vero suis supplicationibus inclinati, quod per eumdem Electum in hac parte factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica duximus confirmandum. Quocirca mandamus, quatenus dictum Petrum, vel procuratorem suum ejus nomine, a capitulo supradicto recipi per vos vel alios in eadem ecclesia eique provideri faciatis seu provideatis de prebenda, si vacat, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, juxta priorum nostrarum continentiam litterarum, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante quod idem Petrus alias beneficiatus existit, seu quavis dicte Sedis indulgentia, quod de prebendis ejusdem ecclesie cuique per litteras apostolicas non valeat provideri, et alia per quam ipsius Petri provisio valeat impediri. Nos insuper decernimus irritum et inane quicquid contra provisionem hujusmodi de ipsa nostra vel alia quavis auctoritate contigerit attentari. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, unus vestrum ea nihilominus exequatur.

Datum Viterbii sexto kalendas augusti, pontificatus nostri anni tertio.

(1) Ex reg. II. Alex. IV. sub ep. 524, fol. 64, an. MCCLVII., XXVII. ulii.

XXX.

1263, 1 decembris.

Ex eodem tomo *Cod. dipl. Eccl. bon.*, doc. XXV.

Urbanus IV. (1) Petro dicto Capreto, canonico bononiensi, et Francisco de Baxis, archipresbitero de Salustra, imolensis diecesis.

Olim ad audientiam nostram prelato quod quidam iniquitatis filii ad thesaurum Ecclesie bononiensis ac alia bona que deposita erant in sacristia ipsius ecclesie, cupiditatis iniectis oculis, ad eamdem sacristiam noctis tempore ausu temerario accesserant, et quam conceperant nequitiam producentes in actum, quendam sacristam ipsius ecclesie ac nepotem ejusdem ante fores ecclesie prelibate, suggerente humani generis inimico, nequiter prefocantes, illos immaniter occidere, ac ut perpetratum ab ipsis facinus ad sue damnationis cumulum hominibus publicarent, eorumdem occisorum corpora super ejusdem ecclesie pulpitum imponere, illaque ibidem relinquere presumpserunt, thesauro et bonis hujusmodi de prefata sacristia sacrilegis manibus asportatis. Nos tantum excessum nolentes sub dissimulatione transire, venerabili fratri nostro Archiepiscopo ravennatensi per litteras nostras mandavimus ut Bononiam personaliter se conferens, et legittimo venerabilis fratris nostri Episcopi tunc electi bononiensis, qui super hiis dicebatur ad inquisitionem procedere incepisse, si quis habitus fuerat, servato processu, quem sibi auctoritate nostra faceret exhiberi, super premissis eadem auctoritate, prout sibi videretur expediens, inquireret tam ibi quam alibi, quoad Jacobum capellanum nostrum, canonicum bononiensem, natum dilecti filii nobilis viri Cathalani, civis bononiensis, qui delicti hujusmodi actor precipuus ferebatur, sollicite veritatem et que inveniret in scriptis redacta, una cum predicto processu sub suo sigillo fideliter introclusa, nobis per fidelem nuncium remittere procuraret, prefixo nihilominus eidem capellano termino peremptorio competenti, quo compareret personaliter coram nobis, facturus et recepturus quod justitia suaderet. Et licet eedem littere ipsi archiepiscopo, ut dicitur, fuerint presentate, hujusmodi tamen mandatum nostrum adhuc non extitit adimpletum. Sane patrati enormitas criminis clamor populi validus, qui hac de causa, ut dicitur, contra clerum insultat, nec non et grave ac intollerabile scandalum, quod occasione hujusmodi fertur exortum, nostrum implorant officium ut efficaciter intendamus ad factum ipsum, prout illius suadet qualitas, ulciscendum; et ideo illud nolentes aliquatenus pretermittere impunitum, discretioni vestre mandamus quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alios, tam Bononie quam alibi, prout expedire videritis, inquiratis auctoritate nostra super premissis sollicite veritatem, et que inveneritis, in scriptis redacta nobis per aliquem fidelem nuncium, sub sigillis vestris fideliter introclusa, remittere procuretis, tam memoratum capellanum, quam etiam Raymundum archipresbiterum de Sala, bononiensis diecesis, quem de principalibus predicti facinoris patratoribus extitisse habere dicitur, communis in partibus illis infamia ex parte nostra nihilominus peremptorie citantes, ut infra unum mensem post citationem vestram compareant personaliter coram nobis, recepturi, si super hoc inventi fuerint culpabiles, secundum suorum exigentiam meritorum. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceritis, per vestras litteras presentium seriem continentes nobis fideliter intimetis.

Datum apud Urbemveterem, kalendis decembris, pontificatus nostri anno tertio.

(1) Ex reg. Urban. IV., an. MCCLXIII., I. decembris.

XXXI.

1264, 8 septembris.

Ex eodem tomo *Cod. dipl. Eccl. bon.*, num. 487, doc. VIII.

Urbanus IV. (1) Episcopo ferrariensi et magistro Bernardo, canonico bononiensi.

Dum angustias et erumnas, quibus dilectus filius Manfredus, veronensis Electus, in manibus inimicorum Ecclesie constitutus affligitur, pio animo cogitamus, dum insuetas penas quas in squallore carceris sustinet flebili meditatione revolvimus, intimo circa eum movemur compassionis affectu et libenter vias cogitamus et modos quibus aliqua impartiri sibi consolationis remedia valeamus. Considerantes igitur quod non habet unde hoc tempore valeat in eodem carcere commode sustentari, ac volentes sibi liberalitatis apostolice dexteram aperire, omnia jura, omnesque jurisdictiones, fructus, redditus et proventus et cetera, que romana Ecclesia in castro de Carpo ejusque territorio seu districtu mutinensis diecesis obtinet, et que quondam Bertolinus Tabernerius, civis parmensis, dum viveret, ab eadem tenebat Ecclesia, apostolica sibi auctoritate conferimus, investientes dilectum filium Antonium clericum suum per nostrum anulum de eisdem, ita quod illa teneat, possideat et percipiat vita sua, et post suum obitum ad predictam Ecclesiam libere revertantur. Quocirca mandamus, quatenus vos vel alter vestrum predicto Electo, vel procuratori suo ejus nomine, de hujusmodi juribus, jurisdictionibus, fructibus, redditibus et proventibus faciatis per vos vel per alium seu alios integre ac plenarie responderi, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si personis aliquibus a Sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per Literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum apud Urbem Veterem sexto idus septembris, pontificatus nostri anno quarto.

XXXII.

1265, 9 iunii.

Ex archivo sancti Michaelis, vulgo *in Bosco,* nunc in Tabulario Max. bonon., tom. V. *instrumentorum* ab an. 1262 ad an. 1269, sub num. 14.

(L. † S.) In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Anno nativitatis ejus millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, indictione octava, die nona intrante junio. ₵ Ego magister Bernardus parmensis, domini Pape capellanus, testamentum a me dispositum, scriptum per Bonvicinum Leonardi notarium infrascriptum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta, die decima intrante junio, et omnia et singula que in eo continentur, presentibus codicillis approbo et confirmo et valere volo, addens ipsi testamento presentibus codicillis legata infrascripta et ea que inferius continentur.

In primis eligo sepulturam meam aput ecclesiam beati Petri Bononie, si in civitate Bononie vel in diocesi decessero, videlicet in ea sepultura quam feci jam fieri et parari aput tumulum olim bone memorie magistri Tancredi archidiaconi bononiensis in ipsa ecclesia. Et pro sepultura mea relinquo de bonis meis pro anima mea et expendi volo per comissarios meos infrascriptos centumquinquaginta libras bononenorum hoc modo, videlicet, quia volo ut ad sepulturam meam

(1) Ex regist. III. Urbani IV. sub epist. II., fol. 187, an. MCCLXIV., VIII. septembris.

vocentur quatuor consortia presbiterorum et omnes conventus monasteriorum et canonicorum ecclesiarum Bononie, et cuilibet dictorum quatuor consortiorum dentur de predictis centumquinquaginta libris quadraginta solidi bononenorum, si venerint ad sepulturam meam; et rogo ut quilibet sacerdos ipsorum consortiorum debeat celebrare unam missam pro anima mea infra octo dies mei obitus.

Item volo quod sacriste bononiensis Ecclesie dent commissariis meis unum assamitum vel baldachinum ad voluntatem prioris sancti Michaelis de Busco et aliorum meorum commissariorum, qui portetur supra corpus meum ad sepulturam meam.

Item de dicta quantitate dari volo cuilibet canonicorum Ecclesie bononiensis vigintos solidos bononenorum.

Item cuilibet mansionario ejusdem ecclesie decem solidos bononenorum.

Item cuilibet illorum quatuor clericorum, qui morantur in sacristia Bononie, decem solidos bononenorum, et presbitero benefitii magistri Tancredi decem solidos bononenorum.

Item volo fieri tumulum elevatum super sepulturam meam prout videbitur magistro Alberto rectori operis dicte ecclesie, vel alio rectori ejusdem operis et priori de Bosco de lapidibus marmoreis jam paratis a dicto magistro Alberto, de quibus solutus est, exceptis quadraginta solidis bononenorum, qui solvi debent opere facto, quos solvi mando de quantitate predicta. Alias vero expensas necessarias (1) circa sepulturam meam ipsa die fieri mando de quantitate predicta, prout videbitur commissariis meis . . . . . . Et si aliquid supererit de dicta quantitate a predictis expensis, volo dari et distribui pauperibus in ipsa ecclesia die mee sepulture, et septima et trigesima et centesima, et anniversario die mei obitus per commissarios meos. Et si predicte centumquinquaginta libre non sufficerent, [vo]lo et mando adimpleri et fieri de aliis meis bonis per commissarios meos . . . . . .

Item pro anima mea relinquo in subsidium Terre Sancte Templariis de ultramare viginti libras bononenorum, et Hospitalariis de ultramare alias viginti libras bononenorum pro redemptione peccatorum meorum, hac conditione et modo, quod dicti Templarii et Hospitalarii sint hoc tantum legato contenti, que legata dari mando Magistris provincialibus de Lombardia mansionum predictarum, et non alii . . . . . .

Item Savine filie quondam Gerardi de Vigatulo, germani mei, lego tres libras bononenorum, dandas ei, et ab ea viro suo, in augmentum dotis . . . . . .

Item Ecclesie parmensi relinquo pro anima mea centum quinquaginta libras bononenorum de quibus volo emi per commissarios meos pro ipsa ecclesia possessiones in diocesi parmensi. . . . . . .

Item magistro Gerardo nepoti meo, jure legati, relinquo libros meos legales, scilicet Codicem, Digestum vetus et Digestum novum, et Summam Uguitionis in Decretis, et unum sciphum argenteum cum pede sculptum ad leonem, et undecim coclearia argenti, et psalterium meum cum ymnario, et insuper lego ei triginta libras bononenorum . . . . . .

Item relinquo ducentas libras bononenorum, de quibus mando et volo quod commissarii mei emant possessiones in terra Caregnani vel alibi ubi melius videbitur predicto magistro Gerardo et Bernardo nepotibus meis.

Actum in camera in qua morabatur dictus magister Bernardus in canonica bononiensis Ecclesie, presentibus domino magistro Sinigardo archipresbitero bononiensi, domino Bernardo de Querzeto, domino Ugolino et domino Fuligno presbiteris et domino Zambertino diacono bononiensibus et domino Cosa mansionario Ecclesie bononiensis, testibus a dicto magistro Bernardo rogatis.

(L. † S.) Ego Bonvicinus quondam Leonardi firmani, imperiali auctoritate notarius, presentes codicillos a dicto magistro Bernardo a me cognito dispositos, ipsius voluntate et mandato scripsi et in publicam formam redegi.

(1) *Sic.*

XXXIII.

1265, 16 octobris, ad annum 1266, 26 novembris.

Ex archivo Metropolitanae sancti Petri Bononiae, nunc in Tabul. Max. bonon., fasc. III., num. 32 (1).

. . . .

Procuratorium Azonis a magistro Bernardo.

Anno Domini M.cc.lxv., indictione viij., die xvj. intrante octubri, pontificatus domini Clementis pape iiij. anno primo. Magister Bernardus parmensis, Bononie canonicus, rector ecclesie sancte Marie de Monteovalo bononiensis diocesis, fecit, constituit et ordinavit, vice et nomine ipsius ecclesie, dominum Azonem plebanum de Centorio, absentem, suum procuratorem et nuntium spetialem ad agendum, causandum, defendendum et respondendum in romana Curia coram domino Papa et quolibet auditore dato vel dando in causa quam habet vel habiturus est cum Jacobo filio domini comitis Maghinardi vel ejus procuratore seu nuntio seu alia persona, occasione ecclesie sancte Marie de Monteovalo, bononiensis diocesis.

. . . .

Apellatio

Cum ego presbiter Jacobus, sindicus archidiaconi et Capituli bononiensis et Ecclesie bononiensis, petierim a vobis domino archipresbitero plebis sancti Laurentii in Colina procuratorio nomine predictorum archidiaconi et Ca[pituli] bononiensis Ecclesie, et nomine magistri Bernardi bononiensis canonici, rectoris ecclesie sante Marie de [Monte]ovalo, ut mihi faciatis copiam vestre jurisdictionis et literarum ad vos directarum, per quas providitis de ecclesia sancte Marie, ad Ecclesiam Bononie pleno jure spectante, Jacobutio filio domini comitis Maghinardi de Panico, et eum induxistis in possessionem ejusdem, quam copiam non facitis (2) nec facere voluistis, item quia providisti[s] de ipsa ecclesia non vacante, item quia, Capitulo bononiensi et magistro Bernardo rectore ipsius ecclesie sancte Marie non citatis et absque aliqua cause cognitione, providistis de dicta ecclesia Montis predicti sancte Marie dicto filio comitis Maghinardi, in dicti Capituli et Ecclesie bononiensis et dicte ecclesie sancte Marie et magistri Bernardi rectoris eiusdem preiudicium et gravamen; item ex his omnibus et quolibet eorum sentiens ipsum Capitulum Ecclesie bononiensis et predictam ecclesiam Montis sancte Marie et rectorem ejus a vobis aggravari et aggravatas et aggravatos esse, in his scriptis procuratorio nomine predictorum archidiaconi et Capituli et Ecclesie bononiensis, et ecclesie sancte Marie predicte et ipsius rectoris, ad Sedem apostolicam appello, et appellos instantes peto et iterum peto. Et ipsum archidiaconum et Capitulum et bononiensem Ecclesiam, et ecclesiam sancte Marie predicte et rectorem ipsius et jura dicti Capituli et ipsarum ecclesiarum sub apostolice Sedis protectione committo. Porrecta fuit et data in scriptis per dictum Syndicum dicta appellatio pro dicto domino Alberto archipresbitero in broilo sancti Ysaie Bononie sub anno Domini M.° cclxv.° indictione viij., pontificatus domini Clementis pape iiij. anno primo, die x. exeuntis augusti

. . . .

Anno Domini M.° cc.° lxvi.°, indictione nona, die ultimo martij, dominus Bernardus de Querceto bononiensis canonicus, capellanus venerabilis patris domini Octaviani sancte Marie in via Lata diaconi cardinalis, rector ecclesie sancte Marie de Monteovalo, bononiensis diocesis, vice et nomine ipsius ecclesie, fecit, constituit et ordinavit atque creavit dominum Azonem plebanum de Centorio, absentem, suum procuratorem et nuncium specialem ad agendum, causandum,

(1) Acta causae quae vertebatur inter Bernardum de Querceto et comitem Panici, continentur in octo membranis invicem consutis. Pauca autem ex iis excerpsimus, quae hic exhibentur.

Primae autem membranae a tergo legitur: « *Pars quaedam processus agitati Romae coram certo auditore in causa s. Mariae de Montovalo pro Capitulo et canonico ipsius ecclesiae rectore, contra Jacobutium filium comitis Maghinardi de Panico, cui provisum fuerat de dicta ecclesia per legatum Sedis apostolicae de anno Mcclxv., qui fuit primus Clementis quarti papae* ».

(2) *Sic.*

defendendum et respondendum in romana Curia coram domino Papa et quolibet auditore dato vel dando in causa quam habet vel habiturus est cum Jacobo filio domini comitis Maghinardi, vel eius procuratore seu nuntio vel alia persona, occasione ecclesie sancte Marie de Monteovalo, bononiensis diocesis, vel alia qualibet, et in omnibus causis motis et movendis . . . .
. . . . Actum Bononie super solarium canonice sancti Petri, presentibus domino Paulo archipresbitero plebis Montis Cereris et domino Ubertino Pistoris, notario, ad hec vocatis et rogatis.

℄ Anno Domini M.cc.lxiv., indictione vij., die v. exeuntis mensis madii, Bononie in camera magistri Bernardi doctoris decretorum, presentibus presbitero Frumento et Cosa mansionariis et Johanne et Rambaldo familiaribus domini presbiteri Ugolini canonici bononiensis, magister Bernardus doctor decretorum, canonicus Bononie et rector ecclesie sancte Marie de Monteovalo, bononiensis diocesis, fecit, constituit et ordinavit presbiterum Jacobum de ospitali sancti Petri et familiarem Capituli bononiensis, presentem et mandatum suscipientem, suum procuratorem, sindicum seu actorem et nuntium spetialem in omnibus causis generaliter, litibus, seu controversijs, quas habet vel habere sperat contra quamcumque personam ecclesiasticam vel secularem, collegium vel universitatem coram quocumque judice ecclesiastico vel civili, ordinario seu delegato, et specialiter in causa seu controversia, quam habet vel habere intendit cum abbate monasterii sancte Marie de Plano, pistoriensis diocesis, super prefata ecclesia sancte Marie, seu juribus aliquibus temporalibus seu spiritualibus pertinentibus ad eamdem . . . .
. . . . Ego Johannes quondam Nicolai Guizardini, notarius auctoritate imperiali, predictis interfui et rogatus scribere scripsi.

℄ Anno a nativitate Domini M.cc.lxvj., indictione ix., die xiiij. intrante madio, actum in ecclesia majori civitatis Viterbij, presentibus domino Savarisio, plebano de Caxi, Comando quondam domini Filippi Schelfe, bononiensi, et Johanne Liuzij, bononiensi; dominus Rodulfus quondam domini Benrecordati de Prato, et Petrus Yspanus constitutus procurator ab ipso domino Radulfo, tamquam procurator Jacobutij rectoris ecclesie sancte Marie Montis Covali (1), fecerunt et constituerunt eorum et dicti Jacobutij Bardum de Podio Bonici, procuratorem in causa dicti Jacobutij, quam habet cum Capitulo bononiensi et magistro Bernardo et eorum procuratore, quamquam dictus Petrus Yspanus factus fuerit dominus litis per litem contestatam . . . .

Ego Rambertinus quondam Danielis, imperiali auctoritate notarius, predictis presens, rogatus scripsi.

℄ Die x. novembris. Comparentibus coram magistro Guilliemo Preposito sancti Antonini placentini Capituli, venerabilis patris domini S. episcopi P[r]enestini auditore in causa, plebano Azone de Centorio, procuratore Capituli bononiensis et domini Bernardi de Verceto canonici bononiensis, ex una parte, et Bardo procuratore Jacobutij filij comitis Maghinardi de Panico, ex altera, quia auditor non erat bene instructus in causa ipsa, prefixit terminum eis ut proxima die veneris, facta audientia, compareant coram eo ad procedendum in causa ipsa prout de jure fuerit.

℄ Die xij. novembris. Amatus de Verelo, dominj Pape cursor, retulit se dixisse ex parte predicti auditoris Bardono, procuratori dicti Jacobutij, quod eidem Bardoni dederat secundam dilationem ad ponendum in causa predicta usque ad proximam diem lune per totam diem.

℄ Die xvi. novembris. Comparentibus coram magistro Guillielmo auditore predicto, predicti Azo et Bardus, procuratores, exhibuerunt positiones secundas, et datus est terminus ipsis procuratoribus ad deliberandum et respondendum ad easdem proximo die mercurij.

℄ Die v. exeunte novembri. Comparuerunt predicti procuratores coram auditore prefato, et responderunt positionibus secunde datis, que sunt iste (2) . . . .

(L. † S.) Et ego Johannes de Pallianis, auctoritate apostolica notarius publicus, predictis, que in octo frustis carte scripta sunt per me et signis meis signata, interfui, et ea de mandato auditoris prefati in publicam redegi formam.

(1) *Sic.*
(2) Sequuntur deinde positiones, ut vocant, et ad calcem earumdem notarii subscriptio legitur.

XXXIV.

1279, 9 octobris.

Ex Arch. Max. bon., in *Mem. Communis Bonon.;* Mem. Bonacossae Johannis Cavallerii anni 1279, car. 81 r.

Mathey Carlini

Die lune nono intrante octubri [mcclxxviiij.]

℄ Dominus Egidius de Foscarariis, doctor decretorum, infirmus, cum propter suj infirmitatem librum Decretalium inchoare non possit in sequenti anno, ad talem concordiam pervenit cum magistro Garsia hyspano, doctore decretorum, scilicet quod dictus dominus Egidius concessit eidem magistro Garsie scolas suas pro anno sequenti, et omnes scolares suos quos habet vel haberet in futurum in sequenti anno, ita quod possit ibi ordinarie legere et collectas facere, et dictus magister Garsias promisit eidem domino Egidio dare medietatem ejus quod receperit a dictis scolaribus pro prima et secunda collecta, et collectam scolarum cum pactis et condictionibus contentis instrumento scripto manu Matheij Carlini notarii facto hodie in camera dicti domini Egidij, presentibus domino Natale Raynerii, domino Liberio canonico anchonitano, rectoribus Universitatis Scolarium Bononie, domino Berengherio de Codaleto, domino Petro Martini, domino Garsia Sebastiani, canonico compostelano, Bartholomeo Gilij, notario, et Angelo Venture testibus, ut dictus Angellus procurator dicti domini Egidij infirmi, ex instrumento procure manu dicti notarii, venit una cum dicto domino Garsia, et sic dixerunt et scribi fecerunt.

Dicta die.

℄ Angelus Venture, bedellus domini Egidii de Foscarariis, promisit magistro Garsie hyspano dare terciam partem ejus, quod receperit in collectis in pecunia in scolis domini Egidij, in quibus debet legere dominus magister Garsias, Alberto bedello ipsius domini Garsie vel ipsi domino Garsie ad suam voluntatem, sub pena xxv. librarum bononenorum ex instrumento dicti Matthei Carlini notarii, facto dicta die, loco et presentibus predictis testibus, et sic dixerunt et scribi fecerunt. . . . . . .

XXXV.

[1279], 14 et 20 decembris.

Ex eodem *Memor.*, c. 174 r. et v., et 168 r.

Die mercurij xx. decembris [mcclxxviiij.] ℄ Dominus Rodulphinus de Ungarellis notarius, procurator venerabilis patris domini Opizii, Dey gratia parmensis episcopi, fideicommissarij et executoris testamenti et ultime voluntatis bone memorie magistri Jacobi canonici bononiensis, ut dixit contineri jn testamento scripto manu Thomaxini Petrizoli Armanini notarii, ad infrascripta constitutus, ut dixit contineri jnstrumento procure scripto manu domini Thomaxini notarij, fuit confessus et contentus habuisse et recepisse et sibi consignatas et restitutas esse infrascriptas res, recipiendo eas vice et nomine dicti domini episcopi, depositas per dictum dominum Jacobum, sive nomine ipsius, penes fratrem Calandrucium familiarem domus et conventus sancte Marie Nove de Bononia et penes dominam priorixam et ipsius conventum, a dicto fratre Calandrucio dante et restituente per se et vice et nomine dicte priorixe et ipsius conventus, videlicet:

In primis centum sexaginta libras bononenorum, depositas penes predictos in quodam sacullo.
Item unum par Decretalium cum Apparatu Bernardi.
Item unum decretum.
Item unum codicem.
Item unam Summam Goffredi.
Item unum aliud par Decretalium cum Apparatu Bernardi.

Item j. Digestum vetus.
Item unum aliud par Decretalium cum Apparatu Bernardi.
Item unum par Decretalium Mangotti.
Item j. par Decretalium Antiquarum.
Item duos missales.
Item unum Librum Sermonum.
Item unum Librum Moralium sancti Gregorii.
Item xxxviiij. quinternos.
Item duos cosinos.
Item unum cordonem de sete (1).
Item unum calicem argenteum deauratum.
Item ij. petines heburneos.
Item unam bursam de corio nigro.
Item iij. bursas de seta.
Item ij. bursas de seta laborate (2) super panno de lino.
Item tres burse (3) de seta tesute.
Item unam bursam de seta factam a quarterio.
Item duos cusinos.
Item unam toaglam parvam a disco et j. a manu, et duo capitergia.
Item duas caxhas.
Item unum arcile (4).
Item duas tabulas a[d] comedendum superius.
Item quatuor vegetes.
Item viij. asides.
Item duo asera.
Item unum discum a[d] legendum, et unam rota[m] ad tenendum libros.
Item unum scrineum, in quo sunt duo lebetes de petra.

Item j. patellum (5) et unum bannolum (6), ut j. parolitum, et j. catinum de ramo, et j. stagnata[m], j. bacile, j. canevarie (7) de ferro, j. spitum de ferro, j. gradellam de ferro, j. berhacum a condittu, et j. cathenam de ferro.

Item tres culcitras et iij. capizales.
Item iiij.or anullos de auro et j. de argento.
Item j. frisum argenteum.
Item j. tesutum mambretatum de argento (8) cum fluba et cuspello cum una bursa de seta.
Item unum tamaritium cum uno capizali.
Item xx. corbes frumenti.
Item iiij.or corbes segallis.
Item x. corbes fabe.
Item unam situlam de aqua et j. cazam.
Item argentum in mambretis, cuspello et fluba.
Item iiij.or pancerias de ferro.
Item xviij. corbes spelte.

Ex istrumento dicte confesionis, scripto manu Daynisij quondam Petri Cavaze notarii, facto hodie in domo heredum Michelini de Laumandino, presentibus domino Lambertino judice de Bernis, Jacobo quondam Zenzonis Melice, Bombologno quondam Petri Lambertini, Francisco filio domini Adigherij et Bonapresa Michaelis de Lamandino testibus, et sic predicti dixerunt et scribi fecerunt.

Die mercurii xx. decembris. C̄ Frater Albertinus sindicus et procurator generalis domus et

(1, 2 et 3) *Sic.*

(4) *Arcile* idest *scrineum.*

(5) Verbum hoc, hac significatione, in *Glossario* cl. Du Cange desideratur, sed *patella* pro *arula* tantum notatur.

(6) *Bannola* tantum, pro *parvo banco,* in glossario suprascripto habetur (I, 561).

(7) *Sic.*

(8) *Mambretatum* idest filo lamella argentea contextum, ut *mambreta* inferius pro lamellis notantur.

conventus ecclesie sancte Marie Nove, ut dixit contineri instrumento scripto manu Bartholomey Cessallonis notarij, procuratorio nomine dicti conventus, fuit confessus et contentus habuisse et recepisse centum libras bononenorum a domino Rodulphino de Ungarellis notario, procuratore venerabilis patris domini Opizi episcopi parmensis, fideycomissarij et executoris testamenti et ultime voluntatis magistri Jacobi canonici Bononie; quas centum libras reliquerat jure legati dicte ecclesie et conventus (1), ut patet in testamento suo, scripto manu Thomaxini Armani notarij ex instrumento dicte confesionis, scripto manu suprascriptj notarij, facto dicta die, presentibus suprascriptis testibus inferiori pagina, et sic prout fit et scribi fecit.

Die jovis xiiij. intrante decembri. ℂ Dominus Franciscus de Ungarellis de Bononia, archipresbiter plebis de Cornilia, parmensis diocesis, dominus Rudulphinus de Ungarellis de Bononia, procuratores venerabilis patris domini Opizonis, Dei gratia parmensis episcopi, executores et fideycomissarij bone memorie venerabilis viri magistri Jacobi canonici bononiensis, decretorum doctoris ac auditoris contradictarum domini Pape, ... confessi et contenti fuerunt se habuisse et recepisse a fratre Jacobo Galignano de Provintia, priore collegii Fratrum Umiliatorum ecclesie sancti Jacobi de Savina de Bononia, ... mille libras bononenorum.

Item xvj. libras, xviij. solidos et vj. denarios bononenorum, quas dictum collegium dictorum fratrum solvere tenebatur.

Item unam robam de furiano integram.
Item sex vegetes de bozo.
Item duos pilactos de varo.
Item unum guarnellum de bruna cum varo.
Item unum mantellum de perso cum una radixina.
Item unum capucium cum varo.
Item v. toaglas à disco.
Item vij. manutergia.
Item unam thoaglam a disco gulendatam.
Item viij. capitergia.
Item vij. linteamina.
Item unam cortinam.
Item unum copertorium de vulpe.
Item j. mantellum de bruna.
Item ij. ydrias.
Item iij. cusinos etc.

. . . .

XXXVI.

1279, 23 decembris.

Ex Arch. Max. bon., in *Memorialibus Communis,*
Mem. Bonjacobi quondam Ugolini Guizardini, c. 71 r. et v.

Die sabati xxiij.° mensis decembris [mcclxxviiij.]

ℂ Cum lix et questio verteretur et fuisset diutius agitata inter venerabilem patrem dominum Octavianum, Dei gratia Bononie episcopum, et episcopatum Bononie, et eorum sindicos et procuratores ex parte una, et Commune et homines et singulares personas et universitatem terre Unzole et eorum procuratores et sindicos ex parte allia in [et] super eo quod idem venerabilis pater et ejus sindici dicebant quod omnes terras Unzole et ejus curie et districtus, et possessiones earum comunis et universitatis predicti esse possessas per comune et homines ejusdem universitatis, spectare jure dominij, vel quasi, et ad episcopatum bononiensem renovari debere certis temporibus, modis, pactis et conditionibus ab ipso domino episcopo et episcopatu Bononie et pro

(1) *Sic.*

decimis subtractis ipsi domino episcopo et episcopatui Bononie, et dampnis et injuriis irrogatis eidem, et jurisdictionibus subtractis eidem certam summam et magnam quantitatem pecunie requirebat a dictis hominibus et universitate, et petebat a dictis hominibus et universitate decimas integraliter de omnibus fructibus terrarum et possessionum possessarum ab hominibus dicte universitatis in campis, et domibus pro ipso episcopatu et super jurisdictione condempnandi, et puniendi maleficia et dampna et injurias, et super processibus factis per ipsum dominum episcopum, et Episcopatum et ejus judicem et familiam, et super honeribus non imponendis a dicta universitate castaldionibus, notarijs, nuntijs, decanis et quibuscumque nominibus censeantur, quos idem venerabilis pater dominus episcopus habere, tenere, vel etiam, deputare in dicta terra Unzole de dicta universitate, et super potestaria et jurisdictione ejus exercenda in dictos homines et universitatem donec esset episcopus idem venerabilis pater dominus O[ctavianus] super castro et habitacione castri dicte terre, et pertinentiis ejusdem et multa alia(1), que dicebat ad se pertinere et ad ipsum episcopatum; que quidem omnia supradicta et in hoc contractu contenta comune et homines et universitates terre predicte Unzole, et eorum sindici et procuratores negabant, et contrarium asserebant. Set tandem supradicte partes amicabiliter et concorditer ad tale pactum et concordiam pervenerunt, videlicet:

Quod possessiones Comunis et hominum terre Unzole, que huc usque jure proprio sunt possesse, de cetero pro propriis habeantur etc. Possessiones vero que hactenus tamquam precarie sunt possesse ab hominibus et universitate predictis, pro precariis habeantur, et pro precio renovationis dictarum possessionum precariarum dentur et solvantur ipsi domino episcopo vel ejus vicario aut sindico pro qualibet bebulca, de his que renovate non sunt per ipsum dominum episcopum, xv. imperiales, sive sit fertilis vel sterilis, et non ultra.

Item possessiones domini episcopi terminentur.

Item quod per homines de Unzola dentur et solvantur omni anno in festo sancti Michaelis pro omnibus et singulis decimis, que debentur ipsi domino episcopo et Episcopatui bononiensi centum duodecim corbes boni frumenti.

Item quod omnia maleficia que fierent inter homines de Unzola puniantur per dominum episcopum secundum formam et modum statutorum factorum per ipsum dominum episcopum, quorum statutorum forma talis est:

« Si quis de terra Unzole dederit alteri alapatam(2), puniatur et condempnetur in centum soldos bononenorum etc.

» Item quod quicumque allium vulneraverit cum armis, puniatur si fuerit in castro Unzole in vigintiquinque libras bononenorum, et extra castrum in xv. libris bononenorum puniatur etc.

» Item quod quicumque percusserit allium cum armis non faciendo sanguinem etc.

» Item quod quicumque fecerit insultum contra alliquem ad domum suam etc.

» Item quod quicumque furatus fuerit bovem, vel jumentum etc.

» Item quod quicumque vulneraverit aliquod animal etc.

» Item quod quicumque furatus fuerit alteri bestiam minutam etc.

» Item quod quicumque bestiam minutam vulneraverit etc.

» Item quod quicumque furatus fuerit aliquod volatile etc.

» Item quod quicumque alterum ceperit per capillos etc.

» Item quod quicumque Christum vel Matrem ejus, sanctos, vel sanctas blasphemaverit etc.

» Item quod siquis contra aliquam personam turpia verba, dixerit etc. ».

Et predictam jurisdictionem et condempnationes et multe impositionem possit et debeat facere idem dominus episcopus et quilibet ejus successor venientibus contra predicta ordinamenta, nisi concordaverint insimul infra diem quintam a die maleficii perpetrati; et si infra dictam diem ad concordiam pervenerint, condempnare non possit usque ad quantitatem viginti soldorum imperialium etc.

Delicta vero et statuta in quibus comune Unzole jurisdictionem habere noscuntur etc.

Item quod omnes sententie et processus et securitates facti contra homines et commune de Unzola, occasione quacumque, sint vana et cassa.

(1) Verba *et multa alia* bis in Memorialibus scripta sunt.

(2) *Sic* pro « *alapam* ».

Item quod castaldiones et alij offitiales, qui fuerint in terra Unzole etc.

Item quod nuntii possint esse in dicta terra, unus aūt duo ad plus, qui sint minoris condicionis etc.

Item quod electio potestarie ad ipsum comune libere debeat remanere.

Castrum Unzole cum suis pertinentiis etc.

Quando autem fuerit renovazio etc.

Si quis notarius domini episcopi etc.

Item quod omnes sententie et processus etc.

Item quod comune et homines de Unzola dent et solvant incontinenti dicto domino episcopo pro decimis quibuscumque eidem domino episcopo subtractis et propter condempnationes et alia quacumque de causa, mille ducentas libras bononenorum.

Item quod ipsum comune et homines dent et solvant eidem incontinenti pro renovationibus faciendis ad presens cc. libras bononenorum; quam pecunie quantitatem mille quadringentarum librarum bononenorum idem dominus episcopus confessus fuit habuisse a predictis hominibus de Unzola et cum pactis et conditionibus et statutis et ordinamentis scriptis in presentibus instrumentis manu Johannis quondam Suzij de Unzola notarii, et Forixii quondam Cambij de Luco notarii, factis hodie in capella episcopatus Bononie, presentibus domino Marxillio magistri Mammi de Mantigellis, doctoris decretorum, domino Jacobo de Panzonibus, vicario dicti domini episcopi, domino Gerardo de Corvis, me Bonjacobo quondam Ugolini Guizardini notario, domino Bonamico de Pisis notario, Dominico Alamontis et domino Martino de sancto Jeorzio, testibus, ut dicti contrahentes asseruerunt et mihi scribi fecerunt ac denuntiaverunt.

XXXVII.

1280, 3 septembris.

Ex Tab. Max. bonon. in *Memorialibus Communis,* Mem. Ansaldini Alberti Ansaldini, an. 1280, c. 49 r. e 50 r. et v.

Die iij. intrante septembri [mcclxxx].

Discretus et nobilis vir dominus Petrus Capretus de Lambertinis doctor decretorum, et prior et rector ecclesie sancte Marie Majoris de Bononia suo nomine, suorum successorum et ecclesie prelibate, diligenti deliberatione prehabita irrevocabiliter dedit, concessit et assignavit Johanni, filio domini Galaoti de Lambertinis, recipienti suo nomine et nomine et vice Roberti sui fratris, canonicis suis et dicte ecclesie sancte Marie Majoris, cupientibus literarum studio proficisci, in eorum beneficium et prebendam et pro ipsorum vite necessariis, et ut melius possint literarum studio inerere et proficisci, fructus, reditus et proventus omnes et singulos, qui percipi et haberi potuerunt quocumque modo vel jure de omnibus et singulis domibus et possessionibus suis in terra, sive villa, seu loco, cui dicitur Roharo, bononiensis diocesis, pertinentibus ad ipsam ecclesiam sancte Marie Majoris, seu ad ecclesiam sancte Marie de Roharo, que nullo medio pertinent ad jam dictam ecclesiam sancte Marie Majoris et ad mensam ipsius ecclesie; ita quod deinceps possint ipsas domos et possessiones habitare et laborare per se et alios, et locare ad laborandum et ad afictum; et de singulis proventibus, fructibus et reditibus ipsarum domorum et possessionum possint ad ipsorum voluntatem et arbitrium disponere, et eos ad ipsorum usum percipere et habere, computando eisdem fructus, reditus et proventus predictos in beneficium et prebendam, et partem ejus, quam eos posset contingere occasione juris canonice quod habent in dicta ecclesia sancte Marie Majoris, cujus sunt predicti Johannes et Robertus canonici; salvo quod de predictis fructibus, proventibus et reditibus predicti Johannes et Robertus dare teneantur singulis annis in festo sancte Marie mensis augusti rectori ecclesie sancte Marie Majoris predicte, qui nunc est et pro tempore fuerit, sexaginta corbes frumenti; et si alter ipsorum precederet alium insuper viventem, duret dicta concessio in totum. Dum tamen annuatim dare debeat dicto

rectori de predictis fructibus, reditibus et proventibus octuaginta corbes frumenti in festo sancte Marie augusti, computatis dictis sexaginta corbes frumenti; qui dominus Petrus dictas res se pro dictis Johanne et Roberto constituit precario possidere. Dans dicto Johanni, pro se et dicto Roberto recipienti, licentiam et liberam potestatem ipsarum rerum possessionem corporalem sua auctoritate accipiendi et retinendi. Que quidem omnia et singula suprascripta fecit dictus dominus Petrus ad predictorum suorum canonicorum instantiam, tum etiam ad instantiam domini Galaoti predicti eorum patris, qui tam sibi, quam predicte ecclesie sancte Marie Majoris deservivit, et ipsam ecclesiam et ejus jura defensavit et cotidie paratus est defensare, ex quibus et aliis predicti bene meriti sunt. Promittens dictus dominus Petrus suo nomine, et nomine et vice suorum successorum et ecclesie prelibate dicto Johanni pro se et dicto Roberto solempni stipulatione dictam dationem, concessionem et assignationem in perpetuum firmas et ratas habere, et non contravenire ullo tempore per se vel per alium, sub pena centum librarum imperialium, stipulatione solempni premissa, et sub obligatione bonorum suorum et dicte ecclesie sancte Marie Majoris; et pena soluta vel non, predicta omnia et singula firma permaneant. Hoc tamen salvo, quod contractus predictus et omnia et singula suprascripta ita demum robur et firmitatem obtineant, si venerabilis pater dominus . . . . . . (1) bononiensis episcopus, auctoritatem suam predictis interposuerit et decretum, alioquin, ex nunc ut ex tunc, predictus contractus et omnia et singula suprascripta pro non factis et iritis habeantur.

Ex instrumento Johachini Ardoyni notarii facto hodie Bononie in camara domini Bondi canonici sancte Marie Majoris, presentibus domino Ugolino domini Guizardi de Policino clerico, Jacobo ejus fratre, Gilio Guidonis Pinie de Castro Brittonum, Bernardino Siripagle de sancto Johanne et Bartholomeo Longitij de Francia testibus rogatis.

XXXVIII.

1280, 5 septembris.

Ex Arch. Max. bon. in *Memorialibus Communis,* Mem. Gherardini Bonazuntae, car. 43.

Die quinto intrante septembri [mcclxxx].

Martinus Bagnarola bannitor et syndicus comunis Bononie ex auctoritate Consilii sexcentorum et Populi ex reformatione scripta manu Johannini Henrige, notarii officio Reformationum, ad infrascripta specialiter constitutus ut constat ex instrumento syndicatus scripto manu dicti Johannini notarii, vice et nomine dicti comunis et pro ipso comune, in presentia domini Stuldi, Jacopi Vicarii, domini Bertholdi de filiis Ursi, comitis potestatis Bononie, promisit dare et solvere dicto magistro Garsie, doctori decretorum et canonico compostellano, centumquinquaginta libras bononenorum hinc ad festum sancti Andree de mense novembri proximo, et hoc ideo quia dictus magister Garsias promisit ipsi syndico, recipienti nomine et vice comunis Bononie et universitatis scholarium Bononie, legere bene et continuare decretum totum a festo sancti Michaelis proximi usque ad unum annum completum, ex instrumento scripto manu Johannini predicti, notarii, hodie facto in palatio novo comunis Bononie, presentibus dominis Bencevenne condam domini Pagani de Aretio, judice dicti Stuldi vicarij, Gregorio de Guerzino, Albertinello Zanini de Alberghis, Nicholao Thomasini barberii et Lapo Specialli testibus, et sic predicti magister Garsia et syndicus predictus fecerunt scribi et poni in Memorialli Communis.

(1) *Sic.*

XXXIX.

1292, 6 iulii.

Ex Arch. Max.ᵉ bon., Arch. sancti Dominici Bononie, sect. « *Demaniale* », num. $\frac{179}{7513}$.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, indictione quinta, die sexto intrante mense julij. Cum nichil sit quod magis hominibus debeatur, quam ut supreme voluntatis liber sit stilus et licitum quod iterum non reddit arbitrium, jdcirco dominus Petrus Capretus de Lambertinis, sanus mente set languens corpore, diem extremum prevenire volens, per presens testamentum in scriptis de bonis suis infrascripto [modo] disposuit:

In primis quidem eligit sepulturam suam apud ecclesiam beati Dominici fratrum predicatorum de Bononia, et dictos fratres rogat quod sepultura sua sit cymiterium dictorum fratrum juxta murum ecclesie; et pro expensis ad dictam sepulturam, sive archam faciendam et construendam, reliquid centum quinquaginta libras bononenorum in dicto opere expendendas. In die vero sepulture sue ad funerandum sive ad sepelliendum corpus suum, in pannis sericis, cera, consorciis clericorum et aliis necessariis faciendis circa ipsum funus, reliquid centum quinquaginta libras bononenorum, et eas in hoc expendi voluit. Si vero eum mori contingeret extra civitatem Bononie ubicumque, vult quod corpus suum Bononie deferatur ad sepelliendum in domo dictorum fratrum, sicut dictum est, et super hoc pro expensis faciendis, infrascripto commissario suo concedit liberam potestatem prout sibi fuerit expedire.

Item voluit et mandavit quod omnibus qui poterunt legitime ostendere ipsum testatorem ab eis injuste habuisse vel dampnum eis injuste dedisse, integre eis satisfiat per infrascriptum commissarium suum sine strepitu et figura judicij, sicut videbitur utilius esse pro anima ejus; et quod idem commissarius vel dixerit esse restituendum vel non restituendum, ratum et firmum vult haberi.

Item ordinavit et voluit quod preter sepulturam et relicta pro anima sua nichil legatariis persolvatur, donec facta preconizacione publice per omnes capellas Bononie usque ad unius anni spacium restitutiones cum omni diligentia et sollicitudine fuerint adimplete. Preterea voluit et mandavit quod jure legati persolvantur, numerentur et dentur monasterio sancti Georgij de Fenarola, ferrariensis diocesis, mille libre bononinorum, nisi ipse testator ante mortem suam cum dicto monasterio concordaverit.

Item reliquid Marchisino de Placitis de Cento centum libras bononenorum.

Item reliquid Fratribus Predicatoribus, pro una pietanza in die sepulture sue facienda, et pro missis celebrandis pro anima sua, quatraginta libras bononenorum.

Item canonicis ecclesie majoris de Bononia quindecim libras bononenorum.

Item ecclesie sancte Marie Majoris de Bononia decem libras bononenorum.

Item plebi sancti Johannis in Persiceto decem libras bononenorum.

Item Canonicis ecclesie ferrariensis decem libras bononenorum.

Item Fratribus Minoribus de Bononia decem libras bononenorum.

Item Fratribus Heremitis tres libras bononenorum.

Item sorori Caterine sancte Marie Magdalene de Val de Petra vigintiquinque libras bononenorum pro suis necessitatibus.

Item Sororibus sancti Petri Martiris centum soldos bononenorum.

Item Sororibus sancti Mathie centum soldos bononenorum.

Item hospitalibus sancti Petri, sancti Stephani, sancti Felicis, sancti Proculi, sancti Martini de Apposa, et Cruciferorum, et domini Leprosorum de sancto Lazaro, cuilibet tres libras bononenorum reliquid.

Item voluit et mandavit quod si in aliquo testamento reliquisset vel legasset Ugolino et Nicolao, filiis condam sororis sue domine Ymelde, que ascenderet ultra quingentas libras bono-

nenorum, in presenti testamento usque ad dictam quantitatem legat eis et non ultra, et sint contenti.

Item legavit fratribus suis, scilicet domino Guillelmo et Gozo, et nepotibus suis Guramonti filio condam domini Calori primogeniti fratris sui, et Capricino filio condam domini Saraceni fratris sui, totum illud quod ex hereditate patris sui domini Ugolini Caprizi ipsi testatori potuit pervenire.

Item legat predictis fratribus suis et nepotibus totum podere quod emit a Guramonte nepote suo in terra et curia Cavagli et pertinenciis poderis pro equalibus porcionibus, ita tamen quod non possint alienare in alias personas quam inter ipsos legatarios vel heredes eorum, et de hoc sint contenti.

Item legavit Ghino, filio naturali condam domini Saraceni fratris sui, quingentas libras bononenorum, que sibi dentur in possessionibus immobilibus.

Item voluit et mandavit quod servitores sui, qui tempore mortis sue secum morarentur et starent, si remunerati non essent et satisfacti per ipsum testatorem de mercede eorum, commissarius suus satisfaciat eis, sicut eidem commissario convenienter visum fuerit.

Item libere legavit et dimisit commissario suo infrascripto, ratione videlicet commissarie tantum, de possessione sua quam habet in terra Dalmanzatici, scilicet ex latere sero vie que vadit per Dalmanzaticum, et a latere inferiori ubi sita est ecclesia dicte terre, quod ex dicta parte possessionis idem commissarius possit inde percipere sufficienter annuatim de redditu, deductis expensis, quinquaginta libras bononenorum; de qua pecunia tota ordinavit et voluit quod ematur annuatim per ipsum commissarium pannus, et illum totum det et distribuat in tunicis Fratrum Predicatorum de conventu Bononie pro anima sua et in nullo alio usu possit dicta pecunia converti vel expendi. Quod legatum dictus testator precipit esse perpetuum, et jussit quod predicta pars poss[ess]ionis, quam sic dimittit et legat, in perpetuum vendi non possit nec obligari, seu aliter de ipsa ordinari, nisi sicut dictum est; de dicta autem parte possessionis, quam sic demisit et reliquid ex nunc pro ut tunc per presentem(1) testamentum, dictum commissarium mittit in plenam et corporalem possessionem, et eum dominum facit ut libere eam locare possit cui voluerit ad fructus percipiendos. Et si huic legato aliquis contradicere vel allegare presumpserit de jure vel de facto, ex nunc privat illum vel illos omni legato et hereditate ei vel eis in isto testamento contingente, et ad arbitrium dicti commissarii possit libere distribui et dari pro anima sua. De predicto autem legato et elemosina, ita ut dictum est disposuit et disponere voluit, ut videlicet conventus Fratrum Predicatorum de Bononia et ipsi Fratres debeant intuitu pietatis et misericordie sibi pro ut decenter et convenienter fieri potest, concedere altare beati Petri et Pauli, quod est juxta altare majus ipsius conventus, ad quod altare cotidie pro anima ipsius missa devote celebretur pro anima sua.

Item quod omni anno in die sui anniversarii solempnem missam ad altare majus dicti Fratres celebrare debeant pro anima ipsius testatoris intuitu pietatis.

In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus et immobilibus, juribus et actionibus sibi competentibus pauperes Christi mendicantes sibi heredes instituit, et intelligit pauperes personas debiles et infirmas, et qui auxilio victus et vestitus sunt destituti. Et ad predicta omnia legata relicta et fideicommissa prestanda, danda et distribuenda, et ad omnia et singula supradicta exequenda et complenda facit et ordinat suum commissarium priorem Fratrum Predicatorum de Bononia, qui pro tempore fuerit, cui dat plenam licentiam et liberam potestatem pro predictis omnibus et singulis exequendis accipiendi tenutam et corporalem possessionem propria auctoritate omnium bonorum suorum, et vendendi et alienandi, obligandi, cautelas emptoribus de jure valituras faciendi sine subastatione vel aliqua juris solempnitate, precia accipiendi, debita et credita sua exigendi, petendi, tam in judicio quam extra, et paciscendi, transigendi et cedendi, et procuratores unum vel plures in predictis omnibus et singulis quotiens ei visum fuerit faciendi, et quicquid per eum factum fuerit in predictis et singulis predictorum, ratum et firmum jussit haberi ab heredibus et legatariis suis. Et si huic testamento aliquis contradicere vel allegare presumpserit de jure vel de facto, in judicio vel extra, privetur et priventur ab omni legato et emolumento ei vel eis in isto testamento relicto, et omnia bona devolvantur expendenda ad

(1) *Sic.*

commissarii sui voluntatem pro anima sua. Et omne aliud testamentum vel ultimam voluntatem hic retro ab eo factum vel factam cassat et irritat et nullius valoris penitus esse voluit, non obstantibus aliquibus verbis derogatoriis in ipso testamento vel in aliqua alia ultima voluntate contentis, de quibus oporteat expressam fieri mentionem, quia de his verbis reminiscendo se penitet et ea omnino revocat et cassat et nullam vult verba illa derogatoria firmitatem habere. Et hec ultima sua voluntas, quam valere voluit jure testamenti vel saltim jure codicillorum et cujuslibet alterius ultime voluntatis quod melius valere et tenere potest. Et voluit dictum testamentum suum, sive ultimam voluntatem esse secretam, et deponi et consignari in sacristia Fratrum Predicatorum de Bononia, et sigillari sigillo ipsius conventus. Post predicta omnia et singula item superaddere voluit quod nullus conventus vel persona conventualis, neque Hospitalarij vel Templarij in communi sui Ordinis, vel in spetie, neque Cruciferati seu alterius Ordinis, possint petere vel habere de bonis predicti domini Petri, occasione clausule superioris in qua continetur et continentur quod instituit pauperes Christi heredes suos cum quadam determinatione ibidem expressa, set vult illos pauperes esse heredes quos dictus commissarius suus judicaverit eligendos, et hoc suo arbitrio reliquid, et non alios nisi quod ipse commissarius judicaverit esse pauperes Christi.

Ego frater Johannes de Rochis, Ordinis Fratrum Predicatorum, mandato dicti domini Petri Capreti testatoris, propter corporalem egritudinem scribere impediti, hoc ejus testamentum tam heredes institutionem quam cetera in eo contenta suo mandato me [propria] manu scripsi, et eo postea presentem paginam clausam et ligatam in scriptis, testibus infrascriptis ab eo vocatis et rogatis omnibus simul presentibus, offerente et asserente id quod in ea continetur suum testamentum esse a me scriptum, presentem subscriptio[nem] vice et nomine suo et ejus mandato apposui, et in testimonium me subscripsi, et sigillum cum signo Virginis Marie cum Filio, apposui, sub anno Domini M.cc.lxxxij., indictione quinta, die vij. julii.

Ego frater Brandanus de Ordine Fratrum Predicatorum presens fui quando dictus testator dixit hoc esse suum testamentum, et de mandato ejus coram aliis testibus me subscripsi, et sigillo fratris Simonis de Fratta sigillavi.

Ego frater Aginus de Ordine Fratrum Minorum presens fui quando dictus testator dixit hoc esse suum testamentum, et de mandato ejus coram aliis testibus me subscripsi et sigillo fratris Simonis sigillavi.

Ego frater Simon, de Ordine Fratrum Predicatorum, presens fui quando dictus testator dixit hoc esse suum testamentum, et de mandato ejus coram aliis testibus me subscripsi et sigillo proprio segillavi quod habet figuras apostolorum Petri et Pauli.

Ego frater Franciscus de Castagnolo de Ordine Fratrum Minorum presens fui quando dictus testator dixit hoc esse suum testamentum, et de mandato ejus coram aliis testibus me subscripsi et sigillo fratris Symonis sigillavi.

Ego frater Galvanus de Butrio, Ordinis Fratrum Predicatorum, presens fui quando dictus testator dixit hoc esse suum testamentum, et de mandato ejus coram aliis testibus me subscripsi et sigillo dicti fratris Symonis sigillavi.

Ego frater Antonius de Ordine Fratrum Minorum presens fui quando dictus testator dixit hoc esse suum testamentum, et de mandato ejus coram aliis testibus me subscripsi et sigilo fratris Simonis sigilavi.

Ego Petrus quondam Suzij de Pancis, imperiali auctoritate notarius, presens fui quando dictus testator dixit hoc esse suum testamentum, et de mandato ejus coram alliis testibus me in testem subscripsi, et sigillo fratris Symonis de Fratta sigillavi.

(L. † S.) Ego Zamboninus quondam Ursolini, imperiali auctoritate notarius, hiis omnibus interfui et de mandato dicti testatoris me coram aliis testibus et dicto testatore ultimo cum signo meo in testem subscripsi et sigillo meo cum signo stelle sigillavi sub anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, indictione quinta, die septima intrante mense julij. Sigillatum et clausum fuit dictum testamentum in curia Lambertinorum ubi jacebat infirmus dictus testator.

[Foris:] Testamentum domini Petri Capricij de Lambertinis.

XL.

1297, 21 septembris.

Ex Arch. Max. bon., in *Memor. Communis;* Mem. Zaccharelli Rolandi Zaccharelli, c. 35 r.

Millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, indictione decima, die vigesimoprimo mensis septembris.

Mutuum | ℭ Dominus Martinus Hyspanus, rector ecclesie sancte Marie de Chubla, cexaragostane diocesis in Yspania, syndicus et procurator dominorum Rectorum et Universitatis Scholarium ultramontanorum et citramontanorum ad infrascripta specialiter constitutus, ut de syndicatu et procura constare dixit ex publico instrumento scripto manu Matthei Cambii notarii, syndicatorio et procuratorio nomine dictorum Rectorum et Universitatis et dictos Rectores et Universitatem et quemlibet ipsorum Rectorum et de dicta Universitate principaliter et insolidum obligando ad omnia et singula infrascripta, promisit dare et restituere Johanni quondam Guidonis de Mizolle de societate Schallorum de Florentia stipulanti insolidum pro se et vice et nomine Tolani, Lapi et Petri sui socii et aliorum sociorum suorum de dicta societate centum quinquaginta libras boneninorum hinc ad sex menses proximos; quam pecunie quantitatem dicto syndicario et procuratorio nomine presentialiter recepit et habuit a dicto Johanne mutuante pro se et vice et nomine dictorum Talani et aliorum sociorum et de ipsorum comuni pecunia ex causa mutui de pura sorte et gratia speciali in venetis grosis argenteis, quos eodem nomine confessus fuit tantam valere et ascendere quantitatem bononinorum, in dictorum Rectorum et Universitatis predicte utilitatem et comodum spetialiter convertendam, solvendam, videlicet et dandam domino Stephano Bonerii, chanonico nerbone[n]ssi, decretorum doctori, pro suo salario legendi Decreta; cui domino Stephano ad dictum salarium tenentur dicti Rector et Universitas predicta, ut contineri dicitur ex instrumento dicti Mathei Cambii notarii et ex instrumento presentis debiti, scripto manu Jacobi Jacobini notarii, heri facto Bononie in domo habitationis dicti creditoris, presentibus domino Stephano Bonerii, chanonico norbone[n]ssi, decretorum doctore, domino Raymundo Barocho, chanonicho nimatensi, domino Bernardo Gaboсto de Biteris, Bonbologno quondam domini Bonmartini Alegracoris, Gozo Ubertelli de Ynpoli, et Chatanio Guidonis de Rezano testibus, et sic dicti contrahentes una cum dicto notario venerunt, dixerunt et scribi fecerunt.

Mutuum | ℭ Dominus Stephanus Bonerij, chanonicus nerbonenssis, decretorum doctor, ℭ dominus Raymundus Barochus, chanonicus nimatenssis, et ℭ dominus Bernardus Gaboctus de Bicteris, insolidum restituere promiserunt dicto Johanni stipulanti, ut dictum est, centum quinquaginta libras bononinorum hinc ad sex menses proximos; quam pecunie quantitatem, presentialiter receperunt a dicto Johanne mutuante, ut dictum est, ex causa mutui de pura sorte in venetis grossis argenteis, quod confessi fuerunt tantam valere et ascendere quantitatem bononinorum, cum precario juramento et alia in instrumento contenta, ex instrumento dicti Jacobi notarii facto dicta die et loco, presentibus domino Bernardo Berbillij, clerico litenensis diocesis, domino Maineto de Monsitis de Florentia, notario, Bonbologno Bonmartini Alegracoris, Zanitino Bencevenis, Gozo Ubertelli de Inpolli et Jacobo Raynerij testibus; et sic dicti contrahentes una cum dicto notario venerunt, dixerunt et scribi fecerunt.

MONUMENTA

SPECTANTIA

AD PROFESSORES ARTIS NOTARIAE.

I.

1195, 29 maii.

Ex Arch. Max. bon., in *Registro Grosso,* lib. II., c. 5. (1)

Hoc est exemplum Privilegii sumptum ex autentico bullato aurea bulla serenissimi principis domini Henrici sexti condam Romanorum imperatoris, quo concessit nobili viro domino Veneroso filio condam domini Brandalisii comitis palatini, avo infrascripti domini Bertholoti comitis palatini et proavo domini Brandalisii comitis palatini, condam filii supradicti domini Bertholoti. Tenor cujus Privilegii talis est:

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus sextus divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus, et rex Sicilie; dignum est et imperiali glorie decorum, ut nostra liberalis munificentia, quosque fideles nostros perveniat, eosque ultro spontaneos ad nutum sue voluntatis effitiat, ea propter cognoscat tam presens etas imperii fidelium quam successiva posteritas, quod nos discreta circumspetione considerantes fidem ac sinceram dilectionem fidelis

(1) De comitibus Venerosis, qui Pisis floruerunt et quibus patricia pisana familia comitum Agostini Venerosi Della Seta successit, documenta sexdecim, praeter ista que vulgavimus, prostant, nondum edita, in regio tabulario bononiensi. Horum haec series:

1. 1245, 13 martii — Exemplum diplomatis Friderici imperatoris, quo facultatem concedit comiti Bertholotto Petri de Venerosis notarios et iudices creandi et spurios legitimandi. (*Reg. Gross.*, tom. II., c. 5 v. et 6 r.)
2. 1284, 16 iulii — Perscriptio actus legitimationis Bernardini fratris Petri de Ibagno, factae per comitem Bertholottum Petri de Venerosis. (*Memoriale Caccianimici Johannini Dogollae*, 1284, c. 11 v.)
3. 1285, 13 aprilis — Perscriptio diplomatis civitatis bononiensis a Communi donata comiti Bertholotti et fratri suo, filiis quondam Petri de Venerosis, die 13 aprilis 1285. (*Reformationes Communis*, t. H, car. 2 r. et 5 v.)
4. 1286, 15 iulii — Perscriptio actus legitimationis Bartholomeae, filiae illegitimae Rolandini de Passageriis, factae a comite Bertholotto de Venerosis. (*Memoriale Nicolai de Lastignano*, c. 10 v. et 11 r.)
5. 1299, 3 iulii — Perscriptio inventarii bonorum comitis Brandalisii de Venerosis, sibi perventorum in urbe Bononia hereditate patris sui comitis Bertholotti. (*Memoriale Papazzonis Petri Vaxini*, 1299, pro secundis, c. 2 r.)
6. 1299, 29 augusti — Perscriptio instrumenti curae et procurationis pro comite Brandalisio comitis Bertholotti de Venerosis ad litem quam facere statuit, contra Nutritam novercam suam, et contra Iohannam de sancto Ruphillo, pro venditione domus positae Bononiae in capella sancti Damiani. (*Memoriale Papazzonis* antedicti, c. 23 v.)
7. 1311, 6 martii — Exemplum diplomatis Enrici VII. pro comite Brandalisio Bertholotti de Venerosis, quo imperator privilegia omnia iam a praedecessoribus suis familiae Venerosiae concessa, omnino confirmavit. (Ibid., c. 7 v.)
8. 1322, 28 septembris — Exemplum decreti quo Antiani et Consules civitatis Bononiae in Camera Actorum diplomata et privilegia ab imperatoribus

nostri Venerosi filii Brandalisii comitis Palatinj de Venerosis de Ripa insule Suzarie et Bardine et quarte partis totius civitatis Verone, propter preclara servitia que nobis et Imperio intrepide exhibuit et imposterum creditur exhibiturus, imperiali munificentia concedimus et confirmamus ipsi Veneroso comiti Palatino ad honorem militie pro se suisque filiis, heredibus in perpetuum per totum romanum Imperium, iure honorabilis feudi et investiture, facultatem et liberam potestatem ordinandi et faciendi filios legiptimos, qui non sunt legiptimj, et filios adoptivos et judices ordinarios et notarios, et etiam accipere et alluere et extrahere duos homines condempnatos in persona et in pecunia de banpno et carceribus cujuslibet comunis, civitatis vel castri ad voluntatem sui sine contradictione vel molestatione alicujus persone, ubicumque sint per totum romanum Imperium, sine nostra nostrorumque successorum et aliquarum personarum contradictione, vel molestatione, lege aliqua non obstante, et illa precipue, que legiptimari spurios nisi ex certa scientia non permittit. Ita quod quoscumque fecerit possint succedere hereditati patris et omni alii suo juri tamquam veri et legiptimi cives romani, et omnia officia et judicatus et acta publica, contractus conscribere atque conficere, et omnia facere et exercere, que ad ipsa tabellionatus et judicatus offitia de jure pertinere noscuntur, in quacumque parte fuerint Imperii memorati, sicut a nobis sive a nostra largitate dicta officia obtinuerint, ut de penna et calamario et judicatu possint et valeant investire eosdem, et a nostra curia, ubicumque fuerint, in victu et vestitu et nutrimento alimonias pro se suisque servitoribus et equis quotiescumque sive placuerit cumdignis et sufficientibus accipere, et quadraginta marchas boni et puri argenti omni anno pro adiumento feudi suprascripti. Confirmamus etiam omnia privillegia a nostris predecessoribus eisdem et antecessoribus suis jamdudum indulta. Statuimus itaque et imperiali auctoritate sancimus, ut nula (1) omnimodo persona alta vel umilis, ecclesiastica vel secularis, nullum quoque comune hoc nostre majestatis privilegium audeat violare; nec aliquibus calumpniarum injuriis seu dampnis occaxione constitutus, vel consuetudinis status civitatis aptentare presumat; quod qui fecerit in ultionem temeritatis sue componat mille ducentas quinquaginta libras puri auri, medietatem fisco applicari, reliquam partem passis injuriam: ad cujus rei certam imposterum evidentiam, presentem exinde paginam conscribi et majestatis nostre sigilo jussimus comuniri. Qui Venerosus de Venerosis de Ripa insule Suzarie et Bardine palatinus comes in Lombardia dicto Henrico sexto imperatori juravit fidelitatem contra omnem hominem de mundo, excepto dominum Pappam et Ecclesiam Romanam (2), secundum quod in capitulis fidelitatis in omnibus et per omnia continetur, corporaliter ab ipso prestito sacramento eidem delato per me Coradum, imperialis aule canzelarium, vice domini Odulfi coloniensis archiepiscopi, totius Ytalie archicanzelarij infra-

supradictae familiae largita, in tabulas publicas referri iusserunt. (Ibid., c. 5 r.)

9. 1322, 29 octobris — Exemplum schedulae solutionis factae penes *Depositarios Averis et Iurium* Communis Bononiae a comite Brandalisio de Venerosis « *in factis Regii* ». (Ibid., c. 7 v.)

10. 1322, 10 novembris — Actum authenticationis, factae a pluribus notariis, privilegiorum et concessionum pro comitibus de Venerosis « *de suis veris authenticis transcriptorum* ». (Ibid., c. 8 r. et v.)

11. 1326, 20 februarii — Perscriptio actus legitimationis Clarelli filii Gherardi Bricani, concessae a comite Bertholotto Brandalisii de Venerosis. (*Memoriale Ugolini Henrigitti a Querciis,* pro primis 1326, c. 22 r. et v.)

12. 1333, 25 madii — Decretum Bertrandi S. R. E. Cardinalis, Apostolicae Sedis Bononiae Legati, quo comiti Brandalisio de Venerosis, impositiones XVIII. annis elapsis ab eodem comite et a patre suo solutas, remittit. (*Reformationes,* tom. P, c. 162 r. et 175 r.)

13. 1341, 31 madii — Perscriptio actus tutelae Bitini de Guastavillanis, ut mutuum a comite Bertholotto Brandalisii de Venerosis accipere valeat. (*Memoriale Bartholomei Francisci de Libris,* pro primis 1341, c. 42 r. et v.)

14. 1342, 30 ianuarii — Petitiones a comite Bertholotto quondam Brandalisii de Venerosis Thaddaeo de Pepulis porrectae, ut actum emptionis quarumdam terrarum in Bagnarola registrari iubeat. (*Acta dominationis Pepulorum, Provisiones,* vol. 1342-1345, num. 25, c. 1 r. et 2 v.)

15. 1354 — *Vigintiquinquenae* civitatis Bononiae, in quibus, sub quarterio Portae sancti Proculi et Capella sancti Simonis de Machagnanis, comes Bertholottus Brandelixii de Venerosis complectitur. (*Vigintiquinquenae in officio Capitanei Populi - Milizie cittadine* - ad ann.)

16. 1359, 17 octobris — Perscriptio deputationis curatoris pro Helena quondam comitis Bertholotti de Venerosis mantuani, uxore Christophori Anselmini patavini, ut tres domos positas Bononiae in capella sancti Salvatoris, vendere possit. (*Memoriale Jacobi Pizolli de Ferro,* pro secundis 1359, c. 19 r. et 20 r.)

(1 et 2) *Sic.*

scripti. Hujus rej testes sunt Guillielmus, ravenatensis ecclesie archiepiscopus, Bernardus, fanensis episcopus, Azo, marchio estensis, Ugo, comes Lavanie, Robertus de Durcia, Henricus Marescalchus de Rhen., Aldribandus, ubertanus episcopus, Robertus, comes de Stringut., Lumbardus, comes, Gofredus, comes de Saraponte, et alii quam plures. Signum manus Henrici sexti imperatoris Romanorum invictissimi.

Ego Coradus, imperialis aule canzelarius, vize domini Odulfi, coloniensis archicanzelarii, recognovj.

Acta sunt hec anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quinto, indictione terciadecima, regnante domino Henrico sexto, romanorum imperatore gloriosissimo, anno et regni ejus vigesimo sexto, imperii vero quinto, et regni Cicilie primo.

Datum Placentie, quarto kalendas junij.

II.

1245, 13 martii.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. II., c. 3 r.°

Hoc est exemplum cujusdam instrumenti publici autentici, continentis seriem et tenorem privilegij a condam domino Frederico romanorum principe indulto, et dato (1) viro nobili domino Bertholotto quondam domini Petri de Venerosis in Lombardia comitis palatini, super concedendis ordinariis jurisdictionibus, et creandis tabellionibus, legitimandis spuriis, et aliis pluribus honoribus et beneficiis; cujus instrumenti integri et incorrupti, et in nulla sui parte viciosi, tenor talis est:

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus, divina favente clementia romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Ut singulorum animos ad fidelitatis nostre obsequia efficacius invitemus, et fidelium mentes in fide efficiantur fortiores mentis eorum, quos jam dudum in agendis nostris et imperij invenimus et experti sumus, omni studio exercitatis honoribus et regiis beneficiis consuevimus promovere, inter quos nostrum fidelem et familiarem Bertholoctum comitem filium Petri Venerosi, comitis palatini de Ripa insule Sugzarie et Bardine imperio fidelem, nostreque majestatis devotum recognoscentes et omnimodo obsequiosum; attendentes de consuetudine benivolentie nostre largitate tamquam benemerito regia volentes respondere recompensatione, damus ei, filiis, heredibus suis in perpetuum, atque concedimus jure honorabilis feudi et investiture facultatem ac liberam potestatem ordinandi et faciendi filios legitimos, qui non sunt legitimi, et filios adoptivos et judices ordinarios et notarios, et ectiam accipere et elluere et extrahere duos homines condempnatos in persona et in pecunia, de banno et carceribus cujuslibet comunis, civitatis, vel castri ad voluntatem sui sine contradictione vel molestatione alicujus persone ubicumque fuerint per totum romanum Imperium, sine nostra, nostrorumque successorum et aliquarum personarum contradictione, lege aliqua non obstante, et illa precipue, que legitimari spurios, nisi ex certa scientia non permittit. Ita quod quoscunque fecerit, possint succedere hereditati patris, et omni alij suorum tamquam veri et legitimi cives romani, et omnia officia et judicatus et acta publica, contractus conscribere atque conficere, et omnia facere et exercere, que ad ipsa tabellionatus et judicatus officia de jure pertinere noscuntur in quacunque parte fuerint Imperii memorati, sicut a nobis sine nostra largitate dicta officia optinerent, ut de penna et calamario et judicatu possit et valeat investire eosdem. Et a nostra curia ubicumque fuerit pro in victu et vestitu et nutrimento, alimonias pro se, suisque servitoribus et equis, quotiescumque sibi placuerit, condignis et sufficientibus accipere. Et quadraginta marchas boni et fini argenti omni anno pro adjuncta feudi suprascripti. Confirmamus ectiam omnia privilegia a nostris predecessoribus eidem antecessoribus suis jam dudum indulta. Statuentes et firmiter precipientes ne aliqua omnimodo persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc nostre concessionis et confirmationis formam infringere, vel ei ausu temerario

(1) *Sic.*

debeat contraire; quod qui facere attemptaverit, aut aliquo modo contravenire presumpserit, mille trecentarum librarum boni, puri auri componat, medietatem Camere nostre, aliamque medietatem injuriam passis soluturus: ad cujus rei certam evidentiam, robur, ac memoriam hoc scriptum privilegium ei induximus aurea bulla nostre majestatis communitum. Qui Bertholoctus de Ripa insule Suzarie et Bardine, comes palatinus in Lombardia, dicto domino Frederico secundo imperatori juravit fidelitatem contra omnem hominem de mundo, excepto dominum Papam et Ecclesiam romanam (1), secundum quod in capitulis fidelitatis in omnibus et per omnia continetur, corporaliter ab ipso prestito sacramento, eidem delato per me Conradum metensem episcopum, imperialis aule canzelarium, vice domini Sigifredi magistri archiepiscopi tocius Germanie et Ytalie archicancelarij infrascripti.

¶ Hujus rei testes sunt Guttulanus, dux de Gragonia, Robertus, comes de Rudio, Guillelmus de Calvara, comes, Raymundus, comes de Rudio, Ubertus Pelavixinus, marchio, Boxius de Dovaria, Henricus de Lambertis de Ferraria, Ravenninus de Dovaria, Gandionus, ejus frater, Azo, marchio, Ugo Lupus, Anselmus de Stringut, regalis aule mariscalcus, Montelupus de Hulivito, Yzilinus de Romano, Ubaldus de Carlaxanis de Lectobelano, Johannes et Albertus comites et fratres, et alii quam plures.

Signum manus Frederici secundi imperatoris invictissimi.

(Loc. imperialis monogrammatis)

Ego Corradus, mathensis episcopus, imperialis aule canzelarius, vice domini Sigifredi magistri archiepiscopi tocius Germanie et Ytalie archicancellarij, recognovi. Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, indictione quarta, regnante domino Frederico secundo, romanorum imperatore gloriosissimo, anno et regni ejus vigesimo sexto, imperii vero vigesimo secundo, Hyerusalem et Scicilie rege.

Primo data Parme iij. ydus marzij per manum Henrici, protonotarij imperialis aule.

Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono, indictione secunda, die vigesimo secundo intrante marzio. Cum presens exemplum sumptum ex originali suo publico videlicet et auctentico instrumento integro et incorrupto et in nulla sua parte vitioso, et sine vituperatione aliqua apparente, nec non sigillato sigillo aureo cesareo, pendente ad cordulam sericam, in cujus facie prima inserta majestas imperialis domini Frederici sedentis in throno, et ramum lilii in destra manu habentis, ex alio vero latere scriptum est: *Fredericus Dei gratia Imperator Romanorum et semper Augustus,* ab infrascripto domino Thomaxio et infrascriptis testibus tabellionibus introspecto, considerato et viso, fuisset, coram domino Antonio de Fuxaraga, potestate Bononie, et domino Thomaxio de Casali Sichono ejus judice insinuatum legitime, et per me Lambertinum Gualandi notarium infrascriptum et alios scriptos notarios ad originale ac auctenticum suum diligenter et solempniter lectum et ascultatum, et plene cum ipso originali per omnia concordare inventum, dominus Anthonius predictus potestas Bononie, et prefatus dominus Thomaxius ejus judex et assessor, ipsum exemplum ab exemplari suo in nullo, quod sensum vel intellectum mutet, discordare plenissime cognoscentes, et ipsum originale integrum et incorruptum et in nulla sui parte vitiosum, attendentes eidem exemplo ut de cetero legitime insinuationis jure fruatur, et eodem quo originale suum, vigore potiatur, et fidem suam et comunis Bononie auctoritatem interposuerunt atque decretum. Notarii vero et testes, qui predicto exemplo ad originale suum legendo et ascultando presentes fuerunt, sunt infrascripti:

(L. † S.) Ego Henrigiptus, filius quondam Feliciauj, jmperialj auctoritate judex ordinarius et notarius, hoc exemplum ex aucthentico privilegio domini Frederici, olim Romanorum Imperatoris sumptum per Lambertinum Gualandi notarium infrascriptum coram nobili viro domino Anthonio de Fixirago, potestate Bononie, et domino Thomaxio ejus judice et assessore, ad dictum autenticum privilegium una cum infrascriptis Mathiolo de Romncore, Petro Ugutionis de Bambaglolis, Gerardo de Plastellis et domino Lamberto notario, diligenter et fideliter abscultavi. Et quoniam illud invenimus cum dicto auctentico per omnia concordare, ut eidem exemplo adhibeatur de cetero plena fides, de mandato dicti domini potestatis, me in testem subscripsi.

(L. † S.) Ego Petrus Uguicionis de Bambaglolis, jmperiali auctoritate judex ordinarius atque

(1) *Sic.*

notarius, hoc exemplum ex autentico privilegio domini Frederici olim Romanorum Imperatoris sumptum per Lambertinum Guallandi notarium infrascriptum coram nobili viro domino Anthonio de Fixirago, Potestate Bononie, et domino Thomaxio ejus judice et assessore, ad dictum autenticum privilegium una cum suprascripto domino Henrigipto quondam domini Feliciani notario, et infrascriptis dominis Mathiolo de Roncore, Gerardo de Plastellis et dicto Lambertino diligenter et fideliter abscultavi, et quoniam illud jnvenimus cum dicto autentico per omnia concordare, ut eidem exemplo adhibeatur de cetero plena fides, de mandato dicti domini Potestatis me jn testem subscripsi.

(L. † S.) Ego Mathyolus de Ronchore, jmperiali auctoritate judex ordinarius atque notarius, hoc exemplum ex autentico privilegio domini Frederici olim Romanorum Imperatoris sumptum per Lambertinum Guallandi notarium jnfrascriptum coram nobili viro domino Anthonio de Fixarago, Potestate Bononie, et domino Thomaxio ejus judice et assessore, ad dictum autenticum privilegium una cum suprascriptis domino Henrigipto quondam domini Felliciani et Petro Uguicionis de Bambaglolis notariis et jnfrascriptis . . . . . . (1) et dicto Lambertino, diligenter et fideliter abscultavi. Et quoniam illud juvenimus cum dicto autentico per omnia concordare ut eidem exemplo adhibeatur de cetero plena fidex, de mandato dicti domini Potestatis me in testem subscripsi.

(L. † S.) Ego Gerardus condam Fabri de Plastellis, jmperiali auctoritate notarius et judex ordinarius, hoc exemplum ex autentico privilegio domini Frederici olim Romanorum Imperatoris sumptum per Lambertinum Guallandi notarium jnfrascriptum coram nobili viro domino Anthonio de Fixarago, Potestate Bononie, et domino Thomaxio ejus judice et assessore, ad dictum autenticum privilegium una cum suprascriptis domino Henrigipto fillio quondam Feliciani, Petro domini Ugucionis de Bambaiolis, domino Mathiolo de Ronchore et jnfrascriptis Lambertino Gualandi . . . . . . (2) et dicto Lambertino diligenter et fidelliter abscultavi. Et quoniam illud jnvenimus cum dicto autentico per omnia concordare ut eidem exemplo adibeatur de cetero plena fidex, de mandato dicti domini Potestatis me jn testem subscripsi.

(L. † S.) Ego Lambertinus Guallandi, jmperiali auctoritate notarius et judex ordinarius, presens exemplum ex originali suo integro et incorrupto fideliter scripsi et exemplavi, et cum illud ab auctentico ego et dicti alij tabelliones et testes coram predictis dominis Potestate et Judice legendo et ascultando in nullo, per quod inducatur sensus vel intellectus mutato invenerimus discordare, me de ipsius Potestatis et Judicis mandato in eiusdem exempli plenam fidem testem subscripsi, et dictam insinuationis auctoritatem publice scripsi, subscripsi, signavi. Et predictum privilegium sic auctenticatum et insinuatum coram predictis testibus et tabellionibus jn armario Comunis Bononie in registro Comunis posui de mandato domini Anthonij de Fuxaraga, Potestatis Bononie, ut constat de ipsius mandato, scripto manu Petri de Bambaglolis notarii, a me viso et lecto.

III.

1284, 30 octobris.

Ex Arch. Max. bon., in *Memor. Communis;* Mem. Johannis Barbarossae, 1284, c. 100 r.°

Die lune xxx. octobris [M.°cc.°l.° xxx. iiij.]

Constat inter dominum Rolandinum Paxagerij, artis notarie doctorem, civem bononiensem, ex una parte, et magistrum Nicholinum filium alias Uberti Lardarii de Fraseneto, comitatus Papiensis, et magistrum Venancium Monti de Osmo ex alia, litem, controversiam seu questionem fuisse et adhuc durare et etiam sperari in futurum esse super jure regendi et docendi in civitate Bononie artem et scientiam notarie, quod jus dicebat ipse dominus Rolandinus solummodo sibi et aliis civibus Bononie et qui per viginti annos steterunt et habitaverunt in civitate Bo-

(1) Lacuna per rasuram, in qua « Jacobo » tantum legi potes.

(2) Lacuna.

nonie continue, solvendo colettas et subeundo alia honera cum comune et hominibus comitatus Bononie et nulli alij competere; et sic non competere predictis magistro Nicholino et Venantio utpote forensibus et omnino aligenis a civitate Bononie. Dicebat etiam ipse dominus Rolandinus non licere ipsis magistris Nicholao et Venaucio scholares habere in dicta sciencia et arte notarie, et ipsi domino Rolandino et aliis civibus Bononie regentibus in dicta arte, sive scientia, quodamodo scholares subtraere et auferre contra formam statutorum et refformationum comunis et populi bononiensis; que quidem omnia negabant predicti magistri Nicholinus et Venancius vera esse, asserentes etiam eis competere jus legendi et docendi dictam artem et habendi scholares. Cum ygitur predicte partes vellent super predictis comp mere et concordare, ad talem pactionem, transactionem et concordiem pervenerunt; videlicet, quod ipse dominus Rolandinus ex causa transactionis promisit predictis magistro Nicholino et Venancio nullam questionem, controversiam seu litem movere eis hinc ad festum sancti Michaelis mensis septembris proxime venturi de lectura et doctrina dicte artis facienda scholaribus eorum, quos jam conduxerunt pro anno presenti hinc ad dictum festum, sub pena centum librarum bononinorum et refectione dampnorum et expensarum litis et extra, et obligatione bonorum, et pena soluta, contractus infra permaneat firmiter. Ex adverso autem predicti Nicholinus et Venancius utroque ipsorum, se per pactum et in forma obligando, promiserunt ex causa transactionis prenominato domino Rolandino, pro se et ejus heredibus et ejus successoribus stipulanti et recipienti, a dicto festo sancti Michaelis in antea per se vel alios palam vel occulte, aliquo modo vel ingenio, se non intromittere de regendo et docendo dictam artem et scientiam notarie, vel partem ejus vel particulam, nec ipsam legent, vel docebunt in civitate Bononie vel districtu alicui vel aliquibus personis; nec scholares habebunt vel habere procurabunt in dicta arte et scientia absque ipsius domini Rolandini licentia expressa et mandato, sed doctrinam et lecturam libere et absolute dimittent ipsi domino Rolandino et aliis veris civibus Bononie sine aliqua ipsorum molestia vel inquietatione. Que omnia et singula promiserunt dicti magister Nicholinus et Venancius insolidum dicto magistro Rolandino stipulanti, ut dictum est, firma et rata habere et tenere et non contrafacere vel venire, sub pena centum librarum bononinorum etc.; et ad majorem omnium firmitatem juraverunt predicti Nicholinus et Venancius predictam transactionem, concordiam et pactum et omnia et singula in hoc contractu contempta firmiter et inviolabiliter observare etc.

Ex instrumento Jacobi Bencevenis Somentis notarij, facto die sabati predicti in capitulo Fratrum Predicatorum de Bononia, presentibus fratre Jacobo de Solario astensi, Jacobo Tassi ejusdem Ordinis Fratrum Predicatorum, magistro Bonacio, domino Francischo domini Petrizoli de Blancuciis, Thomaxio quondam domini Bonifacii, domino Jacobo domini Nicholaj et Jacobo Francischi, testibus; et sic contrahentes dixerunt et scribi fecerunt.

IV.

1286, 13 et 27 iunii.

Ex Arch. Max. bon., in *Registro Grosso,* lib. II., c. 6 v.°

Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, indictione quartadecima, die tertiodecimo mensis junij, congregata Sotietate dominorum Doctorum, Advocatorum et Judicum civitatis Bononie in palatio novo Comunis Bononie de mandato dominorum Alberti domini Odofredi, doctoris legum, Nicolai de Soldaderiis, Johannis de Bilionis, rectorum dicte Societatis per Raymundum, numptium dicte Societatis, affuit presens dominus Rolandinus Passagerij coram ipso Collegio et infrascriptam obtulit petitionem, ut inferius continetur, dicti domini super infrascriptis petierunt sibi consilium exhiberi.

In primis quid placet Sotietati providere generaliter super bono statu Sotietatis, siquid creditur per vos utile fore fatiendum.

Item quid placet Sotietati providere super petitione porrecta per dominum Rolandinum Passazerium, cujus tenor talis est: « Vobis dominis meis Rectoribus Sotietatis Judicum, et toti Collegio Doctorum Legum, Advocatorum et Judicum civitatis Bononie, supplico ego Rolandinus

Passagerii, quatenus vobis de gratia spetiali placeat mihi super infrascripta questione comune totius Collegii consilium impertiri in scripturam publicam et autenticam redigendum ex (1) questionis ipsius eluceat veritas, omni ulteriori dubitatione sopita: questio talis est: « *Ego Rolandinus Pasagerii dum uxorem haberem, que fere viginti annorum spatio incurabili et orrenda egritudine languit, suscepi ex quadam muliere soluta filiam unam nomine Bertholomeam, preter quam nullum habeo natum, set eam sincero amore et affectu prosequor filiali. Cupio autem ipsam, vel in santimo[n]iali habitu, vel in statu matrimonij collocare, et eidem bonis meis prout mihi libuerit providere, si tamen legis romane decreta non obstent. Porro comparuit vir egregius de antiquissima et generosa prosapia oriundus dominus utique Bortholotus de Venerosis, comes palatinus in Lombardia et comes utique Ripe insule Suzarie et Bardine, nec non quarte partis totius civitatis Verone dominus, antiquis et modernis quatuordecim, ut dicitur, dominorum Romanorum Principum privilegiis, gratiis et honoribus dequoratus; quorum unum fuit eidem in persona sua a domino Frederico secundo Romanorum Imperatore temporibus nostris indultum; reliqui vero anteriores omnes principes ejusdem comitis majoribus concesserunt; ex quibus ego Rolandinus plura oculis meis vidi, perlegi et manibus contractavi, cesareis sigillis aureis roborata; et quedam literis aureis totaliter scripta, quorum continentia et tenor inter cetera ista habet: ut videlicet possit idem dominus comes eos, qui non sunt legiptimi filii, legiptimos facere, lege aliqua non obstante et illa precipue que legiptimari spurios, nisi ex certa scientia non permittit; ita quod quoscumque feccerit, possint succedere hereditati patris, et omni alij suo juri tamquam veri et legiptimi cives romani: possit etiam facere filios adoptivos, judices ordinarios et notarios; et alia plura beneficia et honores apparent eidem comiti ex ipsorum privilegio tenore competere. Vestre igitur dominationj et prudentie supplico et de speciali gratia petto, quatenus de universali collegii uni consenssu, mihi consilium dare velittis in formam publicam redigendum, an divi principes potuerint hujusmodi privillegia dicto comiti et ejus antecessoribus et successoribus indulgere, et indulta valeant et teneant pleno jure; et an, si comes prefactus ex auctoritate privilegiorum predictorum predictam filiam meam legiptimare dignabitur, ex quo legiptima fiat ut videlicet possit ex testamento vel ab intestato legiptimo jure succedere. Demum quidem dubium non erit quin tantorum prudentum directus ad idem intuitus prospexerit meliora, nam Salamone teste, multitudo sapientum orbis terrarum est sanitas* ».

℄ Dominus Pax de Pacibus, legum doctor, consuluit quod prima differatur: de secunda accipiantur quatuor sapientes, scilicet unus pro quolibet quarterio.

℄ Dominus Julianus domini Cambii Gratiadei consuluit quod prima differatur, et quod super petitione domini Rolandini eat ante, et detur ei conscilium.

℄ Dominus Ubaldiuus de Malavoltis, doctor legum, consuluit quod dicte due [petitiones] differantur ad presens.

Igitur, auditis et intellectis iis, qui super predictis consulere voluerunt, tandem facto partito per dominum Johannem de Bilionis, rectorem dicti Collegij, mittendo de una parte ad aliam, placuit majori parti dicti Collegij et Universitatis quod super petitione et questione dicti domini Rolandinj rectores eligant quatuor sapientes super dicta petitione et questione dicti domini Rolandinj Pasagerij, qui videant, examinent et consullant quid de jure sit in dicto negotio servandum et faciendum. Et facta deliberatione et provixione ipsorum, reducatur in corpore sotietatis. Item placuit toti sotietati quod negotium provixionis dicte sotietatis differatur ad presens.

Die vigesimo septimo mensis junij. Elligerunt ergo dicti rectores infrascriptos sapientes: ℄ dominus Guillielmus de Rombodevino, doctor legum, ℄ dominus Pax de Pacibus, doctor legum, ℄ dominus Julianus domini Cambii Gratiadei, ℄ dominus Johannes de Gapto et ℄ dominus Johannes Homoboni, jurisperiti. Quj sapientes una cum infrascriptis rectoribus, scilicet domino Alberto domini Odofredi, legum doctore, domino Nicolao de Soldaderiis et domino Johanne de Bilionis et ipsi rectores cum predictis sapientibus congregati in unum in palatio novo comunis Bononie, et deliberatione ac diligenti examinatione facta ab eis et inter eos super predicta petitione et questione dicti domini Rolandinj, examinaverunt, consuluerunt et providerunt et dixerunt, scilicet dominus Albertus domini Odofredi, doctor legum et rector dicte Sotietatis, dominus Ubaldinus de Malavoltis, doctor legum, dominus Johannes domini Bilionis, juris peritus et rector dicte Sotietatis, dominus Julianus domini Cambii Gratiadei, juris peritus, dominus Johannes domini

(1) *Sic*, per *ut*.

Homoboni, juris peritus, et dominus Johannes de Gapto, juris peritus, quod poterant fieri legiptime omnia et singula que in questione predicti domini Rolandini proposita fuerunt, et eum concordaverunt, sine aliqua contradictione, predicta, facta per dominum comitem et ipsum dominum Rolandinum, fiant, valebunt et tenebunt pleno jure. Alii omnes idem dixerunt et consuluerunt, si constat privilegia ita esse.

Dominus Pax de Pacibus, legum doctor, dominus Guillielmus de Rombodevino, legum doctor, et dominus Nicolaus de Soldaderiis, rector dicte Sotietatis.

Ego Egidius Bartholomey Gillii de Argellata, imperiali auctoritate notarius, et nune notarius dicte Sotietatis dominorum Doctorum, Advocatorum et Judicum civitatis Bononie, predictis omnibus interfui et scripsi, subscripsi.

V.

1297, 26 septembris.

Ex eodem *Registro Grosso,* lib. II., c. 7.

Hoc est exemplum cujusdam testamenti cum die et consule sic incipientis, cujus tenor talis est:

In nomine Domini, amen. Anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, indictione undecima, secundum cursum civitatis Cummarum, die vigesimosexto mensis septembris. Quoniam umana fragilitatis, mortis precipue cogitatione turbata, nequid res arduas, res plurimas recte discernere nec disponere, sapienter provideri (1), accidit dum quispiam genere clarus et moribus de hac vita labitur intestatus; ideoque nos Bertholotus de Venerosis de Ripa ysule Suzarie et Bardine et quarte partis civitatis Verone, comes palatinus in Lumbardia, filius quondam domini Petri Venerosi, comitis palatini de Ripa insule Suzarie, quorum predecessores divi romanorum principes, et nos felicis recordationis dominus Fredericus secundus romanorum imperator actenus decoraverunt honoribus, privilegiis et gratiis, memores conditionis humane et quod semper innata comunicatur fragilitas dum vite nobis instaret terminus loquelle et memorie nobis integritate vigentibus, licet egri corpore, sanj tamen mente, sic anime nostre providemus consulendo tam de privilegiis, gratiis et honoribus nobis et antecessoribus nostris a divis romanorum principibus actenus illactis et concessis, quam de nostris rebus propriis mobilibus et immobilibus, nec non quocumque titulo ad nos sive domui nostre spectantibus, solempni cogitatione prehabita, sic pro salute anime nostre duximus disponendum, ut nos a rebus humanis assumpti perpetuo vivere videamur. In primis profitemur et dicimus nos lege vivere romanorum, ex quo filium nostrum Brandalixium unicum, quem piis patris clementia mores redunt insignem et generis decorat prosapia, presenti dispositione nostra, ut scandali materia quelibet amputetur, ipsum nobis heredem legiptimum instituimus in nobis nostris bonis mobilibus et immobilibus ubicumque sint et reperiri possint, tam in civitate Mantue, Verone, Ferrarie et Bononie, et earum districtibus, quam alibi in quibuscumque partibus Lombardie et Ytalie per totum romanum imperium, tam in bonis propriis et alodiis quam in feudis et in omnibus aliis bonis quocumque modo ad nos spectantibus quocumque titulo sive causa, de quibus possumus corpore, vel animo rectinemus.

Item ipsum Brandalisium, unicum filium nostrum, nobis heredem et successorem legiptimum instituimus in omnibus nostris privilegiis imperialibus que habemus, et nostri predecessores habuerant a tempore magni regis Karuli citra, et ab ipso domino rege Karulo et ab omnibus aliis principibus et romanorum imperatoribus usque nunc, taliter quod dictus filius noster Brandalisius et ejus filii legiptimi primogeniti possit et possint perpetuo, secundum formam et auctoritatem dictorum privilegiorum, legiptimare, et notarios et judices ordinarios facere, et omnia

(1) In aphografo: *pudori.*

facere et exercere que in dictis nostris privilegiis imperialibus continentur. Transferentes in ipsum et in dictos suos filios et heredes legiptimos omnem vigorem, potestatem et jurisdictionem, quam habemus, et nostri predecessores habuerant, a dicto tempore citra, et etiam in alios ad quos nostra hereditas et privilegia de jure devolverentur racione dictorum privilegiorum et cet.

Item volumus quod hoc nostrum valeat jure testamenti; et si jure testamenti valere non potest, saltim valeat jure codicilorum; et si jure codicilorum valere non potest, saltim valeat jure cujuslibet alterius ultime voluntatis, et omnj modo et jure quo melius de jure valere potest.

Actum Cumis in cursu Ripe in domo Jacobi de Prada, in qua moratur Gabriel quj presbiter de Cremona vocatur, filius condam Bariseli de Cremona, presentibus Philippo condam Zani de Chivi, Zuchone filio condam domini Jacobi de Gaidono de Crugnola, Beltramino filio condam domini Somaxii de Castenate, Michele notario, filio condam Gualdrucij Ferrarij de Canzago, Paganolo filio condam Beltramj Paterii, Finolo filio condam domini Andree Brugnoli de Torchio de Menasio, domino Ruzerio Vizedomino, filio condam domini Romerij Vizedomini, omnibus civibus cumanis, et aliis pluribus testibus vocatis et rogatis.

Ego Egidius de Rubeis de Cassio parmensi, notarius et judex ordinarius domini comitis Bertholoti predicti, auctoritate imperiali, hiis omnibus interfui, et hanc chartam rogatu et de mandato dicti domini comitis scripsi et publicavi, et plures charte ejusdem testamenti fieri rogate sunt per me notarium et per dominum Gerardum de sancto Miniate notarium, filium condam ser Junte Medici in uno tenore.

MONUMENTA

SPECTANTIA

AD PROFESSORES MEDICINAE.

I.

1199, 31 octobris.

Ex archivo sancti Joannis in Monte, nunc in Tab. Max. bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{10}{1350}$, doc. 55.

† In nomine sancte et individue Trinitatis. Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo nonagesimo nono, romanum Imperium sine imperatore existente (1), pridie kalendas novembris, indictione secunda, diem hujus labentis vite pro imbecillitatis mee viribus extremum (2); quapropter ego quidem magister Jacobus de Brettenoro prevenire cupiendo meas scilicet res omnes ac possessiones pro anima mea, et inter heredes ac legatarios, sive fideicomissarios meos per nuncupationem disponere volendo, primo quidem volo dari et distribui ex bonis meis a comissariis meis lx. libras bononenorum pro anima mea, ut inferius declaravero, que lx. l[ibre] bononenorum volo quod sint accepte de vinea mea de Pozale et de jumentis meis, et insuper volo dari pro anima mea xij. [libras] bononenorum, quas mihi debent Monache sancti Columbani; ex quibus xij. libris relinquo predicte ecclesie xl. soldos, domino Episcopo x., Canonicis sancti Petri x. soldos, presbitero Algisio x. soldos, unicuique ex Conventis Bononie x. soldos bononenorum, unicuique ex Monasteriis Bononie v. soldos, presbitero Rustico de sancta Thecla v. soldos, presbitero ecclesie sancti Viti v. soldos, Petrozoppo x. soldos, Joanni suo socio v. soldos, Celestino v. soldos, unicuique ex filiis meis spiritualibus iij. soldos, Ardizioni x. soldos, unicuique ex conversis sancti Victoris et sancti Joannis in Monte, tam masculis quam feminis, tam in civitate quam extra, iij. soldos pro linteaminibus emendis. Relinquo Crucifferis xx. soldos, misellis xx. soldos, ponti Sillari iij. soldos, [pon]ti Claderne iij. soldos, ponti Ydicis v. soldos, ponti Majori xx. soldos, ponti novo Reni xx. soldos, unicuique aliorum pontium, qui sunt per stratam usque ad Muzzam, iij. soldos relinquo. Alberto nepoti meo si redierit x. libras bononenorum jure legati lego super c. libras veronenses, quas ei dedi quando ipse ivit in Alexandriam, et lucrum earumdem ei relinquo. Et si ipse meus nepos redierit et [mortis] tempore sine liberis decesserit, tunc volo pervenire de eo quod ei legavi, x. libras veronenses ecclesie sancti Victoris et ecclesie sancti Joannis in Monte. Juliane, nepti mee, v. libras bononenorum lego. Jtem [tempore] vero mee sepulture . . . . debeant dare comestionem totius conventi sancti Victoris et sancti Joannis in Monte, et faciant venire totum clericatum bononiensem ad meam sepulturam. Camaldulensis (3) Ecclesie x. soldos, sancte Marie de Roccamadore v. soldos, sancte Christine v. soldos, Heremite sancti Victoris x. soldos, sancte Ma[rie] Bethleem x. soldos, presbitero Alberto de Castenasio x. soldos, ponti de Castenasio v. soldos, Boneventure corrigiam meam argentatam relinquo, Ugolino Raspatori xx.

(1, 2 et 3) *Sic.*

soldos bononenorum relinquo, Heremite sancti Joannis in Monte pelizzonem meum majorem, et ejusdem servienti minorem meum renonem relinquo. Dompno Yosepho priori cultram meam placentini, dompno Ubaldo cultram meam albam, presbitero Maynardo corrigiam meam cum cultello, quam mihi dedit dominus Archiepiscopus, relinquo. Omnia alia mea indumenta volo dividi inter clericos sancti Joannis et sancti Victoris, arbitrio domini Prioris et meorum comissariorum. Comissarios hujus mee ultime voluntatis esse volo presbiterum Mainardum et presbiterum Joannem, et dompnum Christianum, et dompnum Guizzardum de Farraone, et unicuique predictorum meorum commissariorum x. soldos bononenorum relinquo. De vino et blava et fructibus campi mei de Vigorso et campi mei de Casaraltula et vinee mee de Rio volo perficere librum quem feci incipere ad honorem Dei et sancti Victoris, et librum quem volo incipere ad honorem Dei et sancti Johannis in Monte, scilicet blibiathecam (1). Ecclesiam sancti Victoris mihi heredem instituo in campo meo de Casaraltula et in predicto libro, ita quod campus semper permaneat pro mensa Fratrum ejusdem ecclesie. Ecclesiam sancti Joannis in Monte instituo mihi heredem in campo meo de Viduri et in pluviale uno et salterio et in blibiatheca, cum facta fuerit, hoc modo quod campus semper volo quod permaneat pro mensa Canonicorum sancti Johannis in Monte; ita quod aliquis Prior, vel canonicus, nec aliquis alius, qui sit in predictis ecclesiis, habeat potestatem vendendi vel alienandi predictos campos, nisi fecerit causa permutacionis, quod cambium sit ipsis ecclesiis vel ecclesie utilior; quod cambium semper debeat permanere pro mensa vel pro mensis predictorum Fratrum, ut supra dictum est. Et insuper vineam meam de Rio jure institutionis relinquo ecclesie sancti Joannis in Monte, scilicet usumfructum ipsius vinee volo quod permaneat pro manutenendo laborerio paradisi sancti Joannis, et pluviale et salterium et blibiam volo quod semper permaneant in predicta ecclesia, ut clerici ejusdem ecclesie habeant me in commemorationem. Usufructum vero omnium mearum rerum et possessionum in me reservo vel retineo donec vixero pro benefaciendo pauperibus et pro meis indumentis; scilicet de meis vaccis majoribus volo perficere blibiam sancti Joannis, et si de vaccis non poterit explere, de aliis meis bonis volo quod expleatur; et quidquid de rebus meis mobilibus et legatis supradictis supererit, volo dari et distribui pro anima mea, arbitrio commissariorum meorum inter ecclesias et sacerdotes ac pauperes Christi et ubi melius et utilius eis visum fuerit. Si vero aliquis Prior, vel canonicus, qui pro tempore fuerit in predictis ecclesiis, alienaverit predictum campum de Casaraltula vel campum de Vidari (2) vel pluvialem vel aliquem ex predictis libris, aut de usufructu mihi reservato me molestaverit, statim volo quod predictas possessiones et libros et pluvialem et vineam debeant pervenire Alberto nepoti meo et Juliane nepti mee, vel ad eorum liberos, nulla ratione obstante; et do eis potestatem jus vendicandi directo et utiliter quemadmodum et ego possem. Et hec est mea ultima voluntas, que si non valeret jure testamenti, valeat saltim jure codicillorum, vel quelibet (3) jure ultime voluntatis.

Prenominatus magister Jacobus de Brettenoro hanc suam ultimam voluntatem, ut supra legitur, scribere rogavit, reservato sibi usufructu, ut supra dictum est, licentia Prioris et Fratrum.

Testes dompnus Yoseph, Prior sancti Victoris, presbiter Mainardus, dompnus Cristianus, presbiter Johannes, dompnus Johannes Ascanius, et dompnus Guidottus, canonici sancti Johannis, et Arditio sindicus, et Bonaventura, et Dominicus de Macena et Bernardinus atque Martinus.

Actum in camera Prioris apud sanctum Joannem in Monte, indictione predicta secunda.

(L. † S.) Ego Wuillielmus, sacri palatii notarius, huic ultime voluntati interfui et, ut supra legitur, rogatus scripsi.

(1, 2 et 3) *Sic.*

II.

1204, 28 octobris.

Ex eodem archivo sancti Joannis in Monte, nunc in Arch. Max. bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{11}{1351}$, lib. XI., doc. 39.

† In nomine sancte et individue Trinitatis. Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quarto, nullo imperatore in Ytalia regnante, quinto kalendas novembris, indictione septima. Cum magister Jacobus de Brettenoro consecrare fecit altare beati Michaelis archangneli (1) et beati Thome martiris et pontificis, positum in paradiso ecclesie sancti Joannis in Monte, a domino Gerardo sancte bononiensis Ecclesie episcopo, in qua consecratione dictus magister Jacobus pro remissione omnium suorum peccatorum et pro anima patris et matris sue dottavit predictum altare, vineam suam de Castilloni, quam habet juxta vineam heredum Pippini, et vineam ecclesie sancte Marie in Solario, tittulo dotis dedit donno Gerardo priorj ecclesie sancti Victoris et sancti Joannis in Monte, recipienti procuratorio nomine pro predicto altare, ita quod, post obitum ipsius Jacobi, usus fructuum ipsius vinee semper permaneat pro manutenendo laborerio ejusdem paradisi, jta quod aliquis Prior vel canonicus, qui pro tempore fuerit in predictis ecclesiis, non valeat vendere vel alienare predictam vineam ullo modo, neque de jure, neque de facto, quod si contra factum fuerit, quilibet de predicta ecclesia possit predictam vineam vendicare ab omni possessore, nulla ratione obstante, ita quod senper permaneat pro laborerio jam dicti paradisi manutenendo; hanc autem dotem et dationem jam dictam dominus Gerardus episcopus, consensu suorum Fratrum, qui ibi erant, laudavit et firmavit; et statuit quod aliquis Prior, vel canonicus, aut clericus, sive laicus, qui pro tempore fuerit in predictis ecclesiis, prescriptam vineam aliquo modo alienare presumpserit, a summo Deo omnipotenti sit maledictus, sicuti fuit Dathan et Abirom, quos terra vivos deglutivit, et insuper anathematis vinculo feriatur.

Prenominatus magister Jacobus, ut supra legitur, scribere rogavit, retento sibi usufructu predicte vinee donec vixerit.

Dominus Henricus, sancte bononiensis Ecclesie archidiaconus, presbiter Algisius, et presbiter Judex, et Bonaguisa, et magister Odo, et filius Albezi de Musillo, et Ugolinus Barufaldi, et Ugolinus Lambertini, canonici sancti Petri, et presbiter Andreas, capellanus domini episcopj, et Petrus de Pozolo.

Dominus Lopicinus, magister Baverius murator, magister Bellonus, Leonardus firmanus notarius, Matheus Corvolini, Petrus miniator et notarius, et Tebaldini scriptoris (2), et quam plures alii huic consecrationi et donationi et confirmationi interfuerunt, et hujus rei testes rogati sunt.

Actum apud ecclesiam sancti Joannis in Monte in paradiso ejusdem ecclesie, indictione predicta octava; et hoc specialiter actum est, quod aulivis prescripte vinee senper permaneant pro luminaria altaris beati Michaelis archangli (3).

Ego Wuilielmus, sacri palatii notarius, huic consecrationi et donationi et confirmationi interfui, et, ut superius legitur, auctoritate et mandato domini Gerardi episcopi, subscripsi.

Preterea dixit magister Jacobus, quod ille qui habuerit prescriptam vineam senper debeat dare pro refectione Fratrum v. soldos bononenorum in anniversario ipsius Jacobi pro anima ejusdem Jacobi, post mortem ejusdem.

[Foris:] Dos altaris sancti Michaelis.

(1, 2 et 3) *Sic.*

III.

1214, 5 octobris.

Ex Arch. Max. bon., in *Registro Grosso,* lib. I., c. 209 v.°

In nomine sancte et individue Trinitatis. Anno Domini millesimo ducentesimo quartodecimo, die dominico, quinto intrante octubre, indictione secunda. Pactum recordationis ad memoriam retinendam factum ad id, de quo fit in eo mentio firmitatis. Cum propter habitationem et moram proborum virorum urbes et loca augmententur et honoris suscipiant incrementum, accessit dominus Ugo de Lucca, medicus, ante dominum Rodolfum Guidonis Bergognonis comitem, potestatem Bononie, et dominum Albertum Gerardi de Gisla, procuratorem comunis Bononie, nunc sui vicem gerentem et domini Graidani Jeremiensium, ejus socii, cupiens effici civis civitatis Bononie, et pro·citadantia hec infrascripta sibi a comuni Bononie fieri postulabat in hunc modum: « Petit dominus Ugo, lucensis, medicus, a comuni Bononie, ut sibi et suis heredibus comune Bononie concedat in feudum sexcentas libras bononenorum. Ipse autem in hunc modum pro his vult servire comuni Bononie, annuatim sex menses continue vult habitare cum sua familia in civitate Bononie, et ultra per duos menses arbitrio Potestatis qui pro tempore fuerit. Si autem aliquo casu esset extra civitatem eo tempore quo tenetur stare in civitate, tunc teneatur venire suis expensis, si necesse fuerit, et omnes bononienses jurantes sequimentum et eorum familias in civitate habitantes et omnes comitatinos vulneratos et ruptos, ruptos scilicet intelligitur de caltretis et contritis et de carne contrita, facientes se deferri ad civitatem, medicare et curare, exceptis habentibus crepaturam inferius, unde sequitur ernia tempore procedente; et non vult quod aliquis predictorum ei astringatur pacto sibi salarium dare, exceptis comitatinis, a quibus liceat eis in hunc modum percipere: scilicet a pauperibus nichil, a mediastinis vero ad unum plaustrum lignorum; a divitibus vel xx. soldos vel plaustrum feni, et hoc fiat in arbitrio dictorum comitatinorum, utrum voluerint sibi dare fenum, vel viginti soldos bononenorum, et hoc si graviter fuerit vulneratus, vel habuerit hos fractum vel delocatum, scilicet quod liceat petere ex pacto de istis infirmitatibus a comitatinis. De aliis supradictis infirmitatibus teneatur ut civibus. Si autem civitas guerram haberet, vel si cives inter se guerram haberent, quod Deus advertat, toto tempore guerre vult habitare in civitate. Si autem extra civitatem esset illo tempore, vel illis mensibus quibus liceret ei habitare extra, et aliquis bononiensis vel comitatinus vulneratus esset vel ruptus, vel haberet hos ruptum vel delocatum, vult teneri ad veniendum ad eum medicandum, dum tamen ab eo percipiat usque ad octo libras bononenorum et non ultra pro suo viatico veniendi et redeundi, nisi egritudo sui fratris vel sororis, vel filii fratris, vel fratris uxoris eum impediret. Et in omni exercitu Bononie vult esse suis expensis et medicare et curare omnes qui essent in exercitu, in servitio comunis Bononie scilicet forenses durante exercitu. Si vero non haberet aliquem heredem, quj medicando sciret deservire feudum comuni, tunc revertantur ad comune ducentas libras de predictis. Possessiones empte de residuis cccc. libre remaneant in feudum filiis suis, vel descendentibus masculis legitimis, qui teneantur servire comuni Bononie, ut alii vasalli tenentur servire dominis suis; et vult quod tota jam dicta pecunia ponatur in emptionibus predictorum in comitatu vel civitate Bononie decenter, sine predictis sexcentis libris, et debet conparare vel habere propriam domum in civitate Bononie ab anno novo proximo ad unum annum. Peccunia autem debetur sibi dari a comuni Bononie hinc ad kalendas junij proximi, et compara possessionum debet dicto termino fieri. Et si compara possessionum non posset fieri comode termino jam dicto, debeat fieri a termino kalendas junii jam dicto ad unum annum. Si tamen peccunia dicta debeat dari interim quibusdam de civitate Bononie, qui retineant eam pro Comuni, et pro eo et ipse magister Ugo habeat utilitatem denariorum, tamdiu et in eo termino teneatur emere. De qua emptione comune Bononie unum instrumentum habeat, et magister Ugo aliud ». Que omnia suprascripta, ut in suprascripto instrumento continentur dictus magister Ugo juravit et promisit per se, suosque heredes attendere et servare et non contravenire sub pena dupli totius suprascripte pecunie et obligatione suorum bonorum, stipulantibus domino

Redolfo Guidonis Bergognonis, comite, potestate Bononie, et domino Alberto Gerardi de Gisla procuratore comunis Bononie, gerente nunc sui vicem et domini Graidani Jeremiensium, ejus socii absentis, recipientibus nomine comunis Bononie, promissa pecunia soluta, nichilominus per se suosque heredes teneatur observare predicta. Renuntians in hoc facto fori privilegio et omni alij legum auxilio, quod sibi in hoc facto in presenti vel in futuro posset prodesse. Et dominus Redolfus, comes, Bononie Potestas, et dictus Albertus Gerardi de Gisla, procurator Comunis, pro se et ejus socio, nomine et vice comunis Bononie, promiserunt eidem magistro Ugoni stipulanti adtendere et observare pro se et pro comuni Bononie omnia que in suprascripto instrumento continentur, et solvere pecuniam ad terminum et ad terminos supra ordinatos, sicut in suprascripto instrumento continetur, sub jam dicta pena dupli totius suprascripte peccunie, stipulatione eidem magistro Ugoni a Potestate et procuratore predicto, nomine et vice comunis Bononie, promissa, penaque soluta, nichillominus Comune teneatur observare predicta. Que omnia facta sunt et stabilita voluntate Consilii, in palatio Comunis ad sonum campane eadem die coadunatj.

Actum in palatio comunis Bononie, indictione predicta, prefato domino Rodolfo Guidonis Bergognonis, comite, Potestate Bononie, et procuratore, et dicto magistro Ugone scribere mandantibus.

Interfuerunt dominus Riconius, iudex domini Rodolfi Guidonis Bergognonis, comitis, Potestatis Bononie, dominus Grimaldus, dominus Ugolinus Marsilij, dominus Rainaldus, dominus Odericus Galitiani, omnes iudices comunis Bononie, et dominus Marsiliottus, dominus Nicholaus Ugolini Lauli, dominus Tucimanus domine Ostie, dominus Prendipars Landolfi, dominus Albertus Catonius, dominus Ugolinus Rubeus, omnes milites iustitie comunis Bononie, et Tedericus de Saragoza et Pascalis et Carbo, notarii comunis Bononie, et omnes suprascriptorum testes sunt rogati.

(L. † S.) Ego Petrus, domini Octonis Imperatoris et comunis Bononie notarius, omnibus suprascriptis interfui, et mandato Potestatis et Procuratoris nec non et dicti domini magistri Ugonis scripsi.

IV.

1261, 4 martii.

Ex archivo Archiepiscopali Ravennati, capsa G, n. 2801. (1)

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Prona preceps ad malum audatia freno divini timoris confracta, humilium innocentiam multipliciter inquietat, credens ad suum pervenire perfectum excidium aliorum. Cum venerabiles patres Al. mutinensis, R[ichelmus] liviensis, T[homas] imolensis, M. cesenas, Joannes foropopuliensis, Jacobus faventinus, Joannes cerviensis, C. reginensis, Joannes sarxenas, F. adriensis, O. parmensis, et M. comaclensis episcopi, et magister Sinigardus archipresbiter bononiensis, procurator domini O[ctaviani] Bononie Electi, volendo salubriter obviare, attendentes quod temeritas impunita temeritates cumulat puniendas, et quos timor Dei a malo non revocat, choerceat saltem severitas discipline, venerabili patri domino [Philippo] Dei et apostolica gratia sancte Ecclesie ravennatensis archiepiscopo, committunt totaliter vices suas, ut ipse, auctoritate omnium eorumdem et ipsorum singulorum, possit excommunicationis et suspensionis in personas et interdicti in civitates, castra et loca alia ferre sententias, si comunia et speciales persone ipsorum invaserint, violaverint seu detinuerint, sive vi vel clam occupaverint bona, possessiones, castra, terras, homines, iura, rationes et iurisdictiones Ecclesie ravennatis, ac Ecclesiarum ipsorum episcoporum et aliarum ecclesiarum, monasteriorum, venerabiliumque locorum totius archiepiscopatus Ravenne, et si statutarii civitatum et locorum eorumdem statuta fecissent, vel facerent in futurum, per que iura et iurisdictiones et alia supradicta ipsarum ecclesiarum impediri vel minui possent in ipsos et ipsorum quemlibet et inobservatores ipsorum

(1) Vide: Savioli, *Ann. bol.*, vol. III., par. II., num. 728, p. 366-367, et Fantuzzi, *Mon. Rav. de' sec. di mezzo*, tom. V., num. LXV., p. 338-339.

ac terras eorum dictas auctoritate ipsorum possit ferre sententias, nisi predicti occupatores, detentores, violatores et turbatores ac ceteri alii ab iniuriis, molestiis et occupacionibus hujusmodi destiterint, et statutarii et observatores statutorum de ipsorum capitularii statuta eadem abrad[i] curaverint, nisi infra duos menses postquam monitionem suam duxerit faciendam. At si propter aliquorum malitiam, seu potenciam ipsius domini Archiepiscopi, monitio ad supradictos pervenire non posset, idem Archiepiscopus ipsam fieri faciat in aliquo loco publico, de quo ad ipsos verisimiliter valeat pervenire, quam illam firmitatem habere volunt ac si eis et in ipsorum presentia esset facta. Firmantes ad invicem, quod quilibet eorumdem episcoporum sententias ferendas occasione invasionum ac aliorum supradictorum per eumdem dominum Archiepiscopum denuntiare et publicare per se ac alios sibi subiectos ad mandatum ipsius domini Archiepiscopi teneatur, vel Ecclesie ravennatis. Qui vero inobediens fuerit circa denuntiationem et publicationem huiusmodi, ipsius inobedientie facto ab ingressu ecclesie et divinis officiis per unius mensis spacium sit suspensus. Contra quem prefatus dominus Archiepiscopus ad penam aliam, prout ipsius protervitas meruerit, procedere valeat; ad quod iidem episcopi iam dicto domino Archiepiscopo voluntate propria se submittunt, ita tamen quod propter hoc nichil iurisdictionis dictorum episcoporum ullatenus adimatur.

Facta fuit hec commissio in provinciali concilio per iamdictum dominum Archiepiscopum congregato in sancta maiori ecclesia Ravennatensi de mandato Summi Pontificis super facto Tartarorum, ubi prefati episcopi erant presentes, et ut supra legitur in omnibus voluerunt. Sub anno Domini millesimo ducentesimo sesagesimo primo, tempore domini Alexandri pape quarti, die quarto exeunte marcio, indictione quarta, presentibus testibus ad hec vocatis domino comite Rugerio de Bagnacavallo, domino Aymerico cardinali, et domino Guezo, cantore Ecclesie ravennatensis, Johanne Samantino de Forlivio, Alberto archipresbitero urianensì, brixiensi diocesis, Drudone, cantore sancte Ecclesie ravennatensis, Jacobino, clerico dicti domini Archiepiscopi, fratre Jacobo de Regio hospitalis sancti Johannis ierosolimitani, et Ugone notario liviensi, et aliis etc.

(L. † S.) Ego Bartholomeus filius quondam Cambii notarii, imperiali auctoritate notarius, dictis interfui, et mandato predictorum dominorum Episcoporum scripsi.

Ego Otavianus Bononie Electus, volens omnia supra scripta, quantum ad me spectat ratione bononiensis Ecclesie et Episcopatus bononiensis et iurisdictionis mihi competentis, valere et plenum robur ottinere in omnibus consensum prestitum per dominum magistrum Synigardum archipresbiterum bononiensem meo nomine, et bononiensis Ecclesie et Episcopatus Bononie, et omnia que fecit in supradictis et quibuslibet supradictorum approbo, et rata et firma habeo, et eis omnibus propria manu subscribo.

V.

1262, 30 iunii et 9 iulii.

Ex archivo Metrop. Bonon., nunc in Tab. Max. bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{22}{209}$, doc. 28.

In nomine Domini, amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta, die ultimo junii, tempore domini Urbani pape quarti. Cum lis et questio verterе[tur et]sit vel verti posset inter dominum magistrum Sinigardum archipresbiterum, et Capitulum bononiensis Ecclesie nomine dicti Capituli ex parte una, et Priorem et Conventum sancti Jacobi de Sa[vina Or]dinis heremitarum nomine Fratrum et Conventus Fratrum bononiensis predicti ex altera super jure parochiali, et parochianis ecclesiarum sancte Marie Magdalene et sanctorum Egidii et Leonardj [bononiensis diocesis] ad dictum bononiense Capitulum pertinentium pleno iure et super pactis et moderationibus quondam super predictis et circa predicta factis et habitis tam pro preteritis temporibus, quam etiam pro futu[ris vo]lentes predicte partes super iis parcere laboribus et expensis, ad talem concordiam devenerunt, videlicet, quod dominus Bolnisius quondam Accurrii, notarius, sindicus et procurator Arc[hi]presbiteri et Capituli bononiensis, habens ad compromittendum super hiis spetiale mandatum, nomine dicti Capituli ex parte una,

et frater Guido de sancto Mauritio, sindicus et procurator dictorum Prioris et Fratrum, nomine dictorum Prioris et Capituli Fratrum sancti Jacobi de Savina, habens ad compromittendum super iis speciale mandatum, ex altera, compromiserunt se in venerabilem patrem dominum Octavianum, Dei gratia bononiensem Electum, tamquam in arbitrum, ut de jure, sine strepitu juditii, super predictis omnibus et singulis et super iis que predicta contingunt, possit procedere summarie et cognoscere, servata juris solempnitate, vel non servata, sicut ei videbitur, et secundum juris ordinem diffinire et pronuntiare semel et pluries cum scriptura et sine scriptura diebus feriatis, quibus sponte renuntiaverunt, et non feriatis, sicut ei videbitur; promittentes se ratum habituros per se et suos successores omni tempore quicquid per ipsum dominum Electum sententiatum, pronuntiatum vel diffinitum fuerit sub pena quingentarum librarum bononenorum invicem et ipsi arbitro promissa, et non contra venire ratione aliqua sive causa, modo aliquo vel ingenio, nec opponere quod sententia, que feretur, sit iniqua, seu quod reducatur ad arbitrium boni viri, nec alicujus lexionis occasione restitutionem aliquam implorare, sub pena quingentarum librarum bononenorum a p[arte] non servante vel servare nolente parti servanti vel servare volenti solvenda, et obligatione bonorum dictorum Capituli et Conventus, et dampnorum et expensarum refectione; qua soluta, vel non, com[promissum] et sententia et omne id, quod pronuntiatum fuerit, robur obtineat perpetue firmitatis.

Et insuper dompnus Guido, abbas monasterii sancti Michaelis de Medicina, et presbiter Johannes, clerici sancti Leonardi, et dominus Petrus, rector ecclesie sancte Marie Magdalene presentes, [hiis] omnibus et singulis consenserunt.

Preterea dominus frater Lanfrancus prior generalis predicti Ordinis heremitarum, presens, predictis omnibus consensit, et suam auctoritatem et assensum prestitit.

Actum Bononie in balcone a latere sero camere domini bononiensis Electi, presentibus magistro Bernardino vicario domini bononiensis Electi, domino Johanne priore sancte Marie m[ajoris], domino presbitero Rolando de Serenico, domino Vitale de Allxendis notario, domino Lambertino de sancto Johanne et Janello Perlini, clerico eiusdem terre, testibus, et in presentia dicti domini Ellecti.

(L. † S.) Ego Matheus quondam Jacobi Palatinj, auctoritate imperiali notarii, predictis presens existens, ea omnia jussu predictorum scripsi et in publicam formam redegi.

¶ Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta, die ultimo junii, super balcone, qui est a sero camere domini bononiensis Electi, facto compromisso in venerabilem patrem dominum Octavianum bononiensem Electum, presentibus omnibus qui compromisso interfuerunt, idem venerabilis pater dominus Octavianus, bononiensis Electus, statuit terminum Bolnisio notario, sindico dominorum Archipresbiteri et Capituli bononiensis, et fratri Guidoni de sancto Mauritio, sindico Prioris et Fratrum heremitarum sancti Jacobi de Savina juxta circlam civitatis Bononie, ut dent sibi omnia instrumenta et jura que habent et quibus volunt uti usque ad diem dominicum proxime venturum.

Eodem anno et indictione, die nono intrante julio, precepit dominus Electus predictus predictis Sindicis, quod cras, post nonam, statim sint in eodem loco cum Sapientibus suis ad allegandum adhuc ali[quid], si volunt, coram Sapientibus electis per eum, et pereutorie, et ad sententiam audiendam.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Super questione, que vertitur inter Bolnisium notarium, procuratorem et sindicum Capituli bononiensis, et fratrem Guidonem de sancto Mauritio, sindicum et procuratorem ecclesie et Fratrum Heremitarum sancti Jacobi de Savina juxta Circlam civitatis Bononie, utrum pactum, factum per venerabilem patrem dominum fratrem Jacobum bononiensem Episcopum, pro se et Capitulo bononiensis Ecclesie ex una parte, et quendam fratrem ecclesie et Ordinis predictorum Fratrum sancti Jacobj de Savina, nomine dictorum fratrum ex altera, et utrum moderatio facta per dictum venerabilem patrem bononiensem Episcopum super dicto pacto valeat et teneat, et sit equa vel non, consilium dominorum Oldofredj, Bonrecuperi de Porro et Jacobini Gratiadej, Legum doctorum, et domini Navarri canonici Burgensis, est tale, ut dictum pactum, cujus pacti tenor talis est etc., valeat et teneat, et va-

luerit et tenuerit; et quando moderatio, facta a predicto venerabili patre domino fratre Jacobo quondam bononiensi Episcopo, cujus moderationis tenor talis est etc., valeat et teneat et sit equa et justa et fuerit, et debeat observari, cum equa et justa sit et cum ab ea non fuerit appellatum; in hoc scilicet debeat observari, ut fratres dicte ecclesie sancti Jacobj de Savina non recipiant ad sepulturam parochianos ecclesiarum sancte Marie Magdalene, sancti Leonardj, et sancti Egidii, et in omnibus aliis que in dicta moderatione continentur, non obstante indulgentia generali concessa dictis Fratribus et Ordini Heremitarum sancti Jacobi de Savina a bone memorie domino Innocentio Papa quarto, cum in dicta indulgentia impetranda de predicto pacto non fuerit facta mentio; et non obstante alia indulgentia concessa predictis Fratribus et Ordini a bone memorie domino Alexandro Papa quarto, cum dicta indulgentia et ejus generalitas sit res[trin]genda ad id, de quo specialiter agebatur, scilicet ad presentacionem Prioris dicte ecclesie, et visitationem et correctionem, non autem complectatur sepulturam, scilicet ut dicti Fratre[s] parochianos dictarum trium ecclesiarum recipere possint ad sepulturam contra formam dicte moderationis.

(L. † S.) Ego Matheus quondam Jacobj palatini, auctoritate imperiali notarius, sedens ad pedes venerabilis patris domini Octaviani, Bononie Electi, et predictorum quatuor peritorum, hoc consilium, ipsi domino Electo per predictos quatuor Sapientes datum in comuni concordia, de ipsorum mandato scripsi, et eis legi semel, secundo et tertio, sicut jacet, et de ipsorum mandato publicavi et scripsi.

VI.

1268, 12 februarii.

Ex arch. sancti Dominici Bon., nunc in Tab. Max. bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{178}{7512}$.

(L. † S.) In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Anno nativitatis eius millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, indictione undecima, die duodecima intrante februario. ℭ Domina Bonafillia, filia quondam Ugolini Medici, uxor Tuschi becarj de contrata Vignatii sancti Proculi bononiensis, a me notario infrascripto cognita, compos mentis et corporis, suum per nuncupationem et sine scriptis testamentum et suorum bonorum dispositionem fecit et ordinavit, ut inferius continetur. In primis pro anima sua reliquid viginti libras bononenorum expendendas arbitrio comissariorum suorum circa sepulturam suam, quam elegit aput ecclesiam Fratrum Predicatorum Bononie. Item Conventui Bononie eorumdem Fratrum reliquid viginti libras bononenorum. Item legavit fratri Bartholomeo magistri Johannis bononiensi, de Ordine Predicatorum, sexaginta libras bononenorum pro libris emendis ab ipso ad usum suum in vita sua, quos libros post mortem ipsius fratris Bartholomei, voluit distribui inter fratres studentes, de Bononia oriundos, per Priorem provincialem Lonbardie, qui tunc temporis erit. Item fratri Ramberto Primaditio dicti Ordinis legavit quinque libras bononenorum pro libris sibi emendis. Item fratri Monete ejusdem Ordinis reliquid tres libras bononenorum. Item fratri Petro Zucchello de Laudo dicti Ordinis reliquid tres libras bononenorum. Item fratri Francisco Pissitti dicti Ordinis quinque libras. Item fratri Gaudino, converso dicti Ordinis, tres libras bononenorum. Item Sororibus monasterii sancti Joannis Baptiste reliquid tres libras pro una pitantia. Item domino Rolando, canonico sancti Salvatoris, propinquo suo, reliquid quinque libras bononenorum. Item sorori Gilie de sancto Petro martire legavit quadraginta solidos bononenorum. Item sorori Richeldine de Misericordia reliquid quadraginta solidos bononenorum. Item sorori Helisabeth sancte Marie Magdalene legavit quadraginta solidos bononenorum. Item sorori Bartholomee de Pulliola, sorori magistri Danielis, legavit tres libras bononenorum. Item Monasterio sancti Proculi reliquid viginti solidos, quibus voluit esse contentum. Item Marie, que moratur et diu stetit cum ea, reliquid tres libras bononenorum. Item domine Lucchisie, comatri sue, reliquid quinque libras bononenorum. Commissarios suos et hujus sui testamenti executores constituit et esse voluit Priorem Fratrum Predicatorum Bononie, qui pro tempore fuerit, et magistrum Danielem doctorem medicine: quibus suis commissariis dedit et tribuit plenam licentiam et omnimodam potestatem apprehendendi omnia bona

sua et exigendi omnia jura sua, predictis omnibus solvendis et adimplendis, et omnia et singula faciendi et exercendi, que in predictis et pro dictis adimplendis et faciendis fuerint opportuna. Item reliquid domino Tuscho, viro suo, triginta libras bononenorum, pro quibus voluit eum esse contentum, cum jure sibi competenti in dote et de dote ipsius ratione extimationis mobilie habite tempore contracti matrimonii inter eos ex forma statuti Communis Bononie. Et si ipse vir ejus peteret aliquid aliud, vel detrahere vellet de dote sua ultra dictam quantitatem aliquo jure, privavit eum dicto legato, et ad heredes suos illud voluit pervenire. In omnibus aliis suis bonis mobilibus et immobilibus et juribus et actionibus ei competentibus et competituris, Conventum Fratrum Predicatorum Bononie sibi pro anima sua heredem instituit et reliquid. Et hanc esse voluit suam ultimam voluntatem; quam, ut superius continetur, observari precepit et valere voluit jure testamenti; et si non valeret vel non valebit jure testamenti, saltem valere voluit jure codicillorum, et jure cujuscumque ultime voluntatis, quo melius valere potest: volens et jubens ipsum conventum esse contentum dicta hereditate omni eo quod supererit de bonis suis a predictis legatis et relictis, et quod ratione falcidie non possint aliquid detrahere vel defalcare de bonis suis nec legatis predictis, ratione dicte institutionis; et ita scribi voluit.

Actum in domo monasterii sancti Johannis Baptisthe, in qua morantur fratres qui morantur ibidem, coram fratre Bartholomeo de Ronzano et fratre Francisco predicto de Ordine Predicatorum, predictam cognoscentibus testatricem. Presentibus fratre Bernardo et fratre Daniele, Ordinis sancti Augustini de Columbario, qui morantur ad monasterium sancti Johannis predictum, domino Petro quondam Andree de sancta Helena de burgo Predalate, Martino filio quondam Gerardini Marchisini de Unzola, qui morantur in dicto burgo, Zannebello, qui vocatur Bergaminus de Bergamo, qui moratur ad dictum monasterium, Benedicto quondam Gilii, et Agynello filio quondam Bonezunte de Galeria, qui morantur in burgo sancti Ysaye, testibus rogatis a dicta testatrice, que voluit hanc suam ultimam voluntatem secretam esse, et deponi aput sacrestiam Fratrum Predicatorum Bononie sigillandam sigillo Prioris ejusdem conventus.

(L. † S.) Ego Bonvicinus quondam Leonardi firmani, imperiali auctoritate notarius, suprascriptam ultimam voluntatem testatricis predicte, ipsius assensu et voluntate, scripsi.

[A tergo:] Testamentum domine Bonafilie de Vignatio sancti Proculi.

Ego frater Franciscus bononiensis fui constitutus procurator ad deponendum istud testamentum in sacristia fratrum predicatorum.

VII.

1274, 18 aprilis.

Ex archivo sancti Michaelis, vulgo *in Bosco,* nunc in Tab. Max. bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{6}{2178}$, in lib. VI: *Instrumenti e Scritture dall' anno 1270 all' anno 1278.*

In nomine [Domini] nostri Jesu Christi, amen. Anno nativitatis ejus millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda, die decimatertia exeunte aprili, C magister Synicardus archipresbiter bononiensis Ecclesie, physice professor, desiderans, quamdiu vigeat in corporis menbris quies et ratio regit mentem, condictionis humane immutabile debitum prevenire cum sepe adeo rationem langor obnubilet, ut non solum temporalium rerum, verum etiam sui ipsius cogat ipsius langoris vehementia oblivisci, licet infirmus esset corpore, cognitus a me notario subscripto, res et bona sua per presens nuncupativum testamentum tum sine scriptis disposuit in hunc modum. In primis pro Dei amore ac honore et suorum remedio peccatorum animeque sue salute, reliquid majori ecclesie beati Petri Bononie pro una cappellania jam ordinata per eum ad altare beati Andree ipsius ecclesie perpetuo habenda et servanda, petiam unam terre aratorie decem et octo tornaturarum, positam in curia sancte Marie Indoni in loco qui dicitur Laguinellum, etc. post hanc et quedem (1) alia, que in dicto suo testamento disposuit, sic disposuit his verbis expressim. Item

(1) *Sic.*

voluit et disposuit quod domus ejus posita in parochia sancti Michaelis de Boccaziis, quam emit quondam a domino Munsarello Alietti juxta vias a tribus lateribus, et juxta heredes Rolandini de Carariis nullo tempore in perpetuum possit vendi, vel obligari, aut alienari, vel alio quocumque modo, vel contractu in alium transferri, set debeat dicta domus perpetuo annuatim per Priorem conventus Fratrum sancti Michaelis de Buscho, qui pro tempore fuerit, locari ad pensionem, et pensio exigi per eum, vel per ejus procuratorem, qui Prior debeat quolibet anno die anniversarij ipsius testatoris pro anima sua ipsam pensionem distribuere et errogare hoc modo; videlicet medietatem ipsius pensionis exhibere conventui Fratrum Minorum Bononie, et aliam medietatem suo conventui sancti Michaelis de Buscho, ut ipsi conventus predictam pensionem habeant, et in refectionem Fratrum suorum convertant, et teneantur dicti conventus in die anniversarij ejus singulis annis exequias facere pro anima ipsius testatoris. Si autem Fratres sancti Michaelis de Buscho voluerint in dicta domo recondere bladum, vel alia pro eorum comoditate, voluit, quod possint habitationem et usum ipsius domus habere, dando et solvendo quolibet anno, quo eam habere et uti voluerint pro se, decem libras bononenorum conventui Fratrum Minorum Bononie tempore sui anniversarij pro refectione ipsorum Fratrum. Quod si Prior sancti Michaelis de Buscho hoc noluerit, vel renuerit facere, succedat ei in hoc hospitale sancti Petri, et procurator ejusdem hospitalis, qui ista sibi, et hospitali suo pro dimidia, et Fratribus Minoribus pro alia dimidia habeat, ut dictum est, et debeat procurare et in hoc benefitio et jure predictos Conventus Minorum, et sancti Michaelis de Buscho, si Prior ipsius conventus predicta fecerit; alioquin loco sui dictum hospitale sancti Petri sibi heredes instituit etc. fidei commissarios (1) suos, et hujus sui testamenti executores constituit, et reliquid ad predicta omnia facienda et exequenda Priorem sancti Michaelis de Buscho, et Priorem sancti Bartholomei porte Ravennatis, qui pro tempore fuerint, et fratrem Carum, et fratrem [Clarelum] nepotes suos, et dominos Ugolinum de Marano, Albertum de Piccigottis et Aliottum [quondam] domini Munsarelli etc. post hec in fine sic disposuit. In omnibus aliis suis bonis mobilibus et immobilibus, et juribus, et actionibus sibi competentibus et competituris Julianum, Federicum et Synicardum filios quondam Raynerii sui fratris pro tertia parte equaliter inter eos dividenda, et Synicardum filium quondam Thomaxij sui fratris pro alia tertia parte, et Bonaventuram, et Jacobuzium filios domini Aldegherii fratris sui pro reliqua tertia parte sibi heredes instituit etc.

Actum fuit testamentum predictum, in quo predicta continentur, in chamera ipsius domini Archipresbiteri apud ecclesiam beati Petri Bononie in presentia dompni Petroboni presbiteri sacriste dicte ecclesie qui dictum testatorem dixit se cognoscere; presentibus domino Ugolino et domino Folingno canonicis bononiensibus, presbitero Formento et dominis Consilio et Pari mansionariis Ecclesie bononiensis, fratre Coradino de Cremona de Ordine Minorum, presbitero Zanbono de sancto Martino de Apoxa, presbitero Johanne cappelano dicti domini Archipresbiteri et Symone Ugolini de Castaldis notario et tunc ad memorialia deputato, testibus a dicto testatore rogatis.

(L. † S.) Ego Leonardus quondam Bonvicini Leonardi, imperiali auctoritate notarius, predictam partem testamenti ipsius magistri Sinicardi prout in testamento suo inveni, ex rogationibus dicti mei patris ex auctoritate michi concessa per comune Bononie ita exemplavi, scripsi et in publicam formam redegi et subscripsi et signavi etc.

VIII.

1279, 13 decembris.

Ex Arch. Max. bon., in *Memor. Comm.*, Mem. Johannis Bonacosae Cavallerii, 1279, c. 166 v.

[Mcclxxviiij.] Die mercurii xiij. intrante decembri.

¶ Venerabilis pater dominus frater Thedericus, episcopus cerviensis, habens plenam licentiam et irrevocabilem potestatem a canonicis et capitulo ipsius Ecclesie cerviensis super hiis que in presenti instrumento continentur, sicut aparet ex instrumento, sive instrumentis, scripto, sive

(1) « *Fiedi commissarios* » pro « *fidei commissarios* » legitur.

scriptis manu Ugolini fratris Tranchedi notarii previdenti (1) utilitate ipsius Capituli, episcopatus et Ecclesie cerviensis, dedit et concessit domino Branchaleoni quondam domini Andalo, recipienti et stipulanti vice et nomine Andree, filii quondam domini Castelani Andalonis ipsius filii, et nepotibus masculis ex eo descendentibus, in enfiteosim castra Plancalduli, Belvederis et Sasxi (2) Guatari, salvo jure dominii et proprietatis Episcopatus et Ecclesie cerviensis, cum omnibus et singulis juribus et actionibus ad eumdem dominum Episcopum, Episcopatum et Ecclesiam cerviensem spectantibus in eis castris, sive terris occasione ipsorum, salvis conditionibus instrumento concessionis insertis; et hoc nominatim pro quatringentis libris bononenorum, quas idem dominus Episcopus confessus fuit habuisse, dando eciam et prestando predictus henfitheotecarius, et predicti descendentes ab eo filii et nepotes masculj legitimi dicto domino Episcopo, sive successoribus suis et Ecclesie cerviensi, annis singlis pro annua pensione porchum unum in mense marcii, seu infra indictionem (3) tunc currentem precii et extimationis trium librarum bononenorum. Hoc etiam acto, quod finita tercia generacione, silicet mortuis filiis et nepotibus masculis predictis, si filii masculi legitimi decendentes ab eis vellent renovare, renovabuntur eis dicte res secundum solitum et usitatum provincie Romaniole renovationis modum. Ita tamen, quod non liceat eis nec eorum filiis vel nepotibus dictas res vendere, vel contractum aliquem facere alicui persone, sed post transitum eorum et suorum filiorum et nepotum, quando Domino placuerit, predicte res ad jus et dominium Episcopatus Cervie, cujus est proprietas, sine molestia revertantur, nisi dicti heredes vellent se renovare, ut dictum est. Hoc eciam acto, quod si infra mensem predictum non solvant, ut dictum est, dictum porchum propter hoc non cadant a feudo nisi primo fuerit requisitum. Hoc eciam acto inter eos, quod presens conceptio (4) non prejudicet Archiepiscopatu pisano, sive juri ipsius si quod habet in rebus supradictis vel aliqua eorum ex instrumento dicte concessionis scripto manu domini Bonvisini domini Bolognitti notarij, facto hodie Bononie in burgo Richo, in domo sive camera domini Episcopi cerviensis predicti, presentibus magistro Marsilio de Mantighellis, doctore decretorum, domino Martino Sulimani, legum doctore, domino Petro domini Ariverii de Carbonensibus, domino Bonifacio de Abaysio, domino Johanne notario de Merolinis, domino Jacobo de Merulinis et Salvitto Gualandini, testibus ut dictus dominus Brancaleonus et dictus dominus Johanninus, procurator dicti domini Episcopi ad faciendum poni predicta in memorialibus Comunis Bononie ex instrumento ipsi procuratori manu ipsius Bonvisini notarii facto dicta die, loco, et presentibus dictis testibus, dixit et scribi fecit.

IX.

1285, 21 iulii.

Ex Arch. Max. bon., in *Memor. Communis;* Mem. Azolini Cambi de Vitris, 1285, c. 15 v.°

Mcclxxxv., jndictione xiij., die sabbati vigessimo primo julij.

Cum hoc esset, quod dominus magister Thadeus de Florentia, artis medicine professor, proficisci intenderet ad civitatem Mutine, presentibus, et mandato dominorum Allegratuti condam domini Mezovilani de Mezovilanis, capelle sancti Michaelis de Lebroxeto, et Uberti de Pavanensibus, capelle sancti Benedicti de Porta Nova, et Yvani de Bataglutiis, capelle sancte Marie Majoris, causa curandi nobilem virum dominum Gerardum de Rangonibus civem mutinensem, cognoscentes mandatorem non obligari de casu, nisi spetialiter hoc pacto conveniat, volens sibi dictus magister Thadeus spetialiter providere, et predicti volentes ad infrascripta spetialiter obligari, predicti omnes, scilicet Allegratuti, Ubertus et Yvanus, et quilibet eorum insolidum consentihentes se principales debitores, promiserunt, solempni stipulatione interposita, predicto magistro Thadeo se facturos et curaturos quod dictus magister Thadeus liberum habeat iter, et expeditum in heundo et redeundo et stando, remoto omni obstacullo et impedimento, ita quod ab aliquibus non impedietur vel molestabitur in avere, vol persona, promittentes eundem sanum

(1) *Sic,* pro « *pro evidenti* ».
(2) *Sic.*
(3) *Sic,* pro « *mense* ».
(4) *Sic.*

et salvum in avere et persona conducere ad civitatem Bononie cum omnibus rebus suis et bonis, suscipihentes in se expressim et nominatim pericullum incursus hostium et latronum, et cujuslibet alterius casus qui quocunque modo contingere posset. Volentes se obligari, et se obligantes, ad omnem conservationem indempnitatis predicto magistro Thadeo hoc etiam [pacto] inter eos, quod dictus magister Thadeus nullo modo detineatur invictus in civitate Mutine, quod libere et expedite redire possit quandocumque ei placuerit. Et predicta promiserunt ex eo quod dictus magister Thadeus presentibus, et mandato predictorum, profecturus est ad civitatem Mutine causa curandi predictum dominum Gerardum Rangonem. Que omnia promiserunt attendere et observare sub pena mille librarum imperialium in singulis capitulis contra predictos omnes et singulos comitenda; et nichilhominus in eum casum in quo predicta non observarent, promisserunt predicto magistro Thadeo dare, solvere et restituhere in civitate Bononie et in quocumque loco, terra et foro et mercato, tria millia librarum bononenorum, quam pecunie quantitatem confessi fuerunt se ex causa depositi a predicto magistro habuisse et recepisse ex instrumento Rolandini Adriani notarii, hodie facto Bononie ante domum domini Lambertini Ramponis, legum doctoris. Presentibus dicto domino Lambertino, domino Thomaxio de Thencharariis, domino magistro Nicolao, medico, Paulo Batiffori et Neri Galutio, et Simone condam domini Martini, notarii, et me Zin[o]-notario, sic dicti contrahentes presentes dicto notario dixerunt, decreverunt et scribi mandaverunt.

X.

1288, 13 mai.

Ex eodem Arch.; Mem. Francisci Donati, an. 1288, 13 mai, car. 112 v.°

Instrumentum procure et depositi.

Die xiij. madii [Mcclxxxviij.]

ℭ Dominus Veneticus condam domini Albertj de Cazanimicis de capella sancti Bartholi in palazo, ℭ dominus Anthoniolus condam domini Gerardj de Galluciis de capella sancte Marie Rottunde de Gallucijs in solidum promixerunt domino magistro Thadeo condam domini Alderotti, qui fuit de Florentia, artis fisice professorj civitate Bononie comoranti, ipsum conducere et conducj facere sanum et tutum in avere et persona in eundo, redeundo et stando omni eorum periculo indempnem, et eorum expensis, a civitate Bononie usque ad civitatem Mutine; et ipsum omnino indempnem conservare ab omni periculo et gravamine quod eidem quocumque casu accidere posset, credendo simpliciter de omnj dampno et periculo et de suis omnibus rebus que dixerit eidem illatum fuisse, vel amisisse, seu acceptum fuisse, suo nudo et simplicj verbo sine aliquo honere sacramentj vel alterius probacionis, et dictum suum ex nunc approbando pro plena et legitima probacione. Et predictam promissionem et obbligationem fecerunt ex eo, quia dictus magister Thadeus eorum precibus et mandato iturus est ad civitatem Mutine causa videndj et curandj pro posse nobilem virum dominum Guidonem de Guidonibus confitendo, et eciam adserendo in solidum habere in depositum a dicto domino magistro Thadeo tria millia librarum bononenorum: quam pecunie quantitatem in solidum eidem restituere promiserunt in civitate Bononie et alibi, secundum quod sibj placuerit ad suam voluntatem.

Ex instrumento Rolandini Adriani hodie facto Bononie ante portas dictj dominj Veneticj, presentibus domino Alberto Novello de Cazanimicis, domino dompno Johanne de Cazanimicis, archipresbitero sanctj Anxiani, Nerio condam domini Raynerij Gallucij, Federicho Symonis pistoris, domino Jacobo de Thebaldis, Alberto condam domini Cazanimicj de Cazanimicis et Francisco Donati, notario, testibus. Et sic dicti contrahentes una cum dicto notario dixerunt et scribi fecerunt.

XI.

1292, 22 martii.

Ex eodem Arch.; Mem. Gerardonis Bencevennis de Casula, an. 1292, car. 52 v.

Compromissum.

Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, indictione quinta, die sabatj vigesimo secundo marcio intrante.

¶ Dominus magister Thadeus, medicus, ¶ dominus magister Bartholomeus de Varignana, sponte comiserunt, suposuerunt et compromiserunt se in dominum Hugolinum de Montecanigo, vicarium domini Synibaldj, archidiaconum Bononie, et in magistros Hospinellum assentem, Nicholaum de Brayna, Lucianum et Bonaventuram de Pergamo et eius adiuctorem, ut alte et basse ad eorum omnimodam voluntatem, disposicionem, ordinacionem et arbitrium, possint et valeant arbitrare, laudare et diffinire de eorum lite et questione, discordia et rangore, qui esset et esse posset inter eosdem magistros dominum Thadeum et Bartholomeum ex eo quod dictum est ipse magister Bartholomeus recepisset scholares ipsius magistri Thadey, et quod ipse dominus Hugolinus et magistri possint procedere temporaliter et spiritualiter contra ipsum magistrum Bertholomeum, et secundum quod eis videbitur equum et justum ipsum punire et condempnare propter delictum, sive excessum, actentatum et perfectum contra honorem dicti domini Archidiaconi et domini Hugolinj vicarij predictj et Collegii Magistrorum cum omnibus et singulis pactis, causis, penis, promissis et obligationibus in dicto compromisso contentis. Insuper dominus Johannes quondam domini Guillielmi de Mulnariis, precibus et mandato dicti domini magistri Bertholomei, et dominus Dinus condam domini Nicholai de Tebaldis, precibus et mandato magistri Tadey predicti fidem habentis et se principalem constituentis, et insolidum, promiserunt dicto domino Ugolino, et aliis arbitris suprascriptis, recipientes pro se ipsis et Collegio supradicto, et quod ipsi observabunt et adimplebunt et effectui demandabunt omnia et singula que dicta, laudata et arbitrata, sententiata, precepta et declarata fuerunt sub pena ducentarum librarum bononenorum, ex instrumento Arnolfi quondam Johannini notarii heri facto Bononie in civitate Bononie, in domo ubi moratur dominus Hugolinus predictus, presentibus magistro Monte de Prato, Zanello de Mantua, professore artis medicine, Cittadello quondam Boncompagni et me Gerardone notario testibus, et sic dictj contraentes una cum dicto notario dixerunt et scribi fecerunt.

XII.

1293, 22 ianuarii.

Ex archivo s. Francisci Bonon., lib. H, n. 80, nunc in Tab. Max. bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{342}{5085}$.

In nomine Domini, amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, indictione sexta, die vigesimo secundo mensis januarij intrantis. ¶ Egregius vir et discretus magister Tadeus quondam domini Alderotti, qui fuit de Florentia, artis fisice professor et doctor, in plena et bona sue mentis dispositione consistens et bono sensu, animavertit quod carnis ingressus sui semper operatur egressus, et quod dies quilibet, juxta sententiam sapientis, est velut ultimus ordinandus, et ejusdem auctoritas protestatur comodatum fore vite hominem, et non donatum, et quod cuncta mundana motu transitorio transeunt et discurunt. Considerans etiam prefixi sibi temporis hora, suarum rerum dispositionem preambula statuit pervenire, saluti anime providendo, nec non honorificentie corporali. Et ne itaque inter heredes suos ob divisionem rerum hereditariarum faciendam scintilla discordie seu materia litigij subnascatur, per suarum rerum et bonorum ministratoriam factionem, postquam naturale debitum reddiderit plenam certitudinem successoribus innuat veritatis, in hunc modum suum nuncupativum, sine scriptis ordinavit et composuit testa-

mentum. In quo quidem in primis reliquid pro anima sua et suorum parentum decem mille libras bononenorum expendendas et distribuendas per infrascriptos modos, de quibus primo voluit quod duo milia quingente libre bononenorum expendantur, et ex eis emantur possessiones fructifere, que sint perpetuo et esse debeant jure proprietatis et dominii pauperum vergonzosorum (1) civitatis Bononie et districtus; que possessiones emantur, possideantur et teneantur per Fratres et Ordinem Fratrum de Penitentia de Bononia nomine dictorum pauperum vergonzosorum, et gubernentur et earum fructus distribuantur per Ministros Fratrum dicti Ordinis de Penitentia civitatis Bononie, qui fuerint pro tempore, cum consilio et consensu Prioris Predicatorum, Guardiani vel Custodis Fratrum Minorum de conventu Bononie qui pro tempore fuerint, vel majoris partis ipsorum; qui debeant loccare et affictare dictas possessiones et earum fructus recipere, et inter pauperes vergonzosos infirmos et debiles et senes magis indigentes civitatis Bononie et districtus distribuere singulis annis perpetuo, dando viginti soldos bononenorum ad plus pro quolibet paupere, et quod dicti Ministri Fratrum de Penitentia possint et debeant singulis annis habere et retinere viginti libras bononenorum de fructibus dictarum possessionum. De quibus viginti libras possint ipsi Ministri Fratrum de Penitentia distribuere et dare Sororibus eorum Ordinis infirmis, debilibus et senibus decem libras bononenorum, et alias decem libras (2) convertantur ad usum infirmorum senum et debilium Fratrum Minorum et Fratrum Predicatorum, scilicet centum soldos pro quolibet conventu dictorum Fratrum Minorum et Predicatorum. Et voluit et mandavit quod de ipsis fructibus dictarum possessionum alicui loco religioso vel personis religiosis aliquid dari non possit quibus aliquid reliquid in presenti testamento, in genere vel specie, nec de Ordine ipsorum, nisi secundum quod supra dictum est. Item voluit et mandavit quod quatuor milia librarum bononenorum de predicta summa supra relicta pro anima expendantur, et ex eis emantur possessiones fructifere per commissarios suos infrascriptos pro conventu Dominarum sancti Francisci strate sancti Stephani, si dictis Dominabus et conventui earum placuerit; de fructibus quarum possessionum teneantur dicte Domine de sancto Francisco et conventus ipsarum tenere et habere perpetuo ad honorem Dei Omnipotentis, gloriose Virginis Matris ejus, beati Francisci et sancte Clare, et ad reverentiam Ordinis predicti in domibus ipsarum juxta vel prope ipsum monasterium, tredecim Fratres Minores pro divino ibidem officio celebrando; quibus omnibus Fratribus ipse Domine et conventus ipsarum expensas omnes facere teneantur et debeant secundum ritum Ordinis eorum. Item de fructibus dictarum possessionum, que ementur de predicta pecunia singulis annis perpetuo ipse Domine et Sorores sancti Francisci de strata sancti Stephani teneantur et debeant dare quinquaginta libras bononenorum pro expensis unius Fratris de Ordine Minorum de provincia Bononie, qui stare debeat in Studio Parisiensi in Theologia, ultra numerum Fratrum studencium qui ibidem studere soliti sunt et stabunt pro dicta provincia vel erunt, et tanto tempore quanto studentes ibi per provincias stare soliti sunt, et stabunt; et illo Fratre revocato, alius continuo succedat in ipso Studio, et sic perpetuo fieri debeat nichil obmisso; cui, vel quibus dicte Domine de sancto Francisco dare teneantur dictas quinquaginta libras bononenorum pro expensis et necessariis eorum, ut predictum est. Et voluit ipse testator quod ille Frater Minor scolaris et alii successuri elligantur et elligi debeant secundum quod consueverunt alij de dicta provincia elligi, qui morantur Parisiis ad studendum, et secundum quod pro tempore elligentur, et sic fieri debeat et non alio modo. Et voluit et mandavit quod ille Frater, et alii successuri sic elligendi, elligi debeant magis pauperes et magis indigentes, qui non habeant aliquorum scolarium auxilium, nec habere possunt; et pro predictis omnibus et singulis sic exequendis, complendis, faciendis et observandis dicte Domine de sancto Francisco et earum conventus se et bona dicti monasterij obligentur commissariis dicti testatoris, per eum modum et formam quo et qua magis poterunt cum consilio Sapientum, ad hoc ut predicta observare et facere non desistant. Et si dicte Domine de sancto Francisco nollent vel non acceptaverint predicta, vel, si acceptaverint et steterint per biennium quod dictos Fratres non emerent ut predictum est, tunc et in eo casu, voluit et mandavit ipse testator quod de illis quatuor millibus libris bononenorum ematur unus locus per dictos suos commissarios pro Fratribus de sancta Maria in Strata, ubi fiat una ecclesia prope Bononiam ad unum milliare, ubi stare debeant continue sex Fratres clerici, quorum quatuor ad minus

(1 et 2) *Sic.*

sint presbiteri, et alij in Ordinibus sacris constituti de Ordine ipsorum pro divino semper officio celebrando ibidem pro anima ipsius testatoris et parentum suorum. Et si dicti Fratres de sancta Maria in Strata predicta non acceptaverint, ordinavit et voluit quod medietas dicte quantitatis quatuor millium librarum bononenorum distribuatur et detur per commissarios suos inter pauperes vergonzosos debiles, pauperes et infirmos civitatis Bononie et districtus. Et illos intelligit et declarat pauperes vergonzosos, debiles et infirmos, quos dicti sui commissarii ellegerint et voluerint et dixerint esse. Et alia medietas dicte quantitatis quatuor millium librarum bononenorum debeat investiri, et ex ea emi possessiones fructifere, et earum fructus et redditus debeant expendi et errogari in usus pauperum vergonzosorum, debilium et senum et infirmorum per Ministros Fratrum Ordinis de Penitentia civitatis Bononie et districtus, qui pro tempore fuerint, cum consilio et consensu Prioris Predicatorum, Guardiani vel Custodis Fratrum Minorum de conventibus Bononie qui pro tempore fuerint, vel majoris partis ipsorum, qui debeant ipsas possessiones locare et affictare, et earum fructus recipere, et alia omnia et singula facere et exercere, que dicta sunt supra in primo capitulo, ubi reliquid duo millia quingente (1) libras bononenorum, de quibus emantur possessiones fructifere, fructus quarum expendatur et distribuatur secundum quod ibi dicitur, et sic eodem modo servetur in ista medietate dicte quantitatis quatuor millium librarum bononenorum.

Item voluit et reliquid conventui Fratrum Predicatorum de Bononia ducentas libras bononenorum de predicta summa et quantitate supra pro anima, relicta pro necessitate Fratrum illius conventus et specialiter pro infirmis, senibus et debilibus, qui non habent aliquorum secularium auxilium vel victuariam.

Item conventui Fratrum Minorum de Bononia trecentas libras bononenorum de summa predicta et quantitate supra relicta pro anima, reliquid specialiter pro benefaciendo et subveniendo in necessitatibus infirmorum, debilium et senium Fratrum illius loci et conventus.

Item de predicta summa et quantitate decem millium librarum bononenorum relictarum pro anima, reliquid Sororibus sancte Marie de Cystello, Sororibus sancti Johannis Baptiste, Sororibus sancti Mathie, Sororibus sancte Marie Magdalene de Val de Preda, Sororibus sancte Agnetis, Sororibus sancte Marie de Valverde, Sororibus sancte Marie de Misericordia, Sororibus sancti Laurencij, Sororibus sancti Petri Martiris, Sororibus sancti Francisci, Sororibus sancti Salvatoris, Sororibus de Repentitis, Sororibus sancti Andree de Ponte majori, Sororibus sancti Augustini, Sororibus sancte Marie de Virginibus, Sororibus sancti Guillelmi, Sororibus sancte Crucis de Mercato, Sororibus sancte Marie de Puglala (2), Sororibus sancte Marie Nove, Sororibus sancte Marie de Castro Britonum, Sororibus sancte Marie Magdalene de strata sancti Donati, et Fratribus sancte Margarite de Barbiano, Fratribus sancti Gregorij, Fratribus sancti Jacobi de strata sancti Donati, Fratribus de Monte Carmelo de Mercato, et Fratribus Apostolorum, cuilibet conventui dictorum fratrum et sororum, pro quolibet fratre et sorore professo et professa, quatuor soldos bononenorum reliquid; videlicet, ut quartam partem ejus legati habere debeant in septimo die post obitum ipsius testatoris, et aliam quartam partem in trigesimo die, et aliam quartam partem in centesimo die post obitum ipsius, et aliam quartam partem in anniversario ipsius.

Item Fratribus de Ricardina, Fratribus de Varegnana, Fratribus de Crespelano, Fratribus de sancto Johanne in Persiceto, Fratribus de Caldararia, Fratribus de Argelata, et Fratribus sancti Benedicti de Planorio, omnibus de Ordine Minorum, cuilibet Fratrum cujuslibet dictorum locorum reliquid decem soldos bononenorum.

Item ipsis Fratribus [et] conventui sancti Benedicti de Planorio reliquid unum suum Salterium et unum suum librum Evangeliorum, et unum Humiliarum; quos libros dicit ipse testator habere penes se et in domo sua.

Item reliquid et legavit ecclesie sancti Martini de Cazzanemicis centum soldos bononenorum, qui ponantur et expendantur in ornamentis ipsius ecclesie, secundum quod videbitur magistro Maglo.

Item cuilibet Hospitali civitatis Bononie et suburbiorum, quinque soldos bononenorum.

Item fratri Raymondino de Ordine Fratrum Minorum, pro suis necessitatibus, decem libras bononenorum; fratri Bartholomeo, magistro de Ordine Minorum, decem libras bononenorum;

(1) *Sic.*

(2) *Sic* pro « *Puglola* » vel « *Pugliola* ».

fratri Ugolino de Castello, fratri Bonaventure de Fannano, fratri Petro Pizinino, fratri Jacobino de Galleria, fratri Gerardino de Mutina et fratri Maynerio, omnibus de Ordine Fratrum Minorum, cuilibet eorum centum soldos bononenorum de predicta summa reliquid.

Item de dicta summa et quantitate supra, relicta pro anima sororis Frescucie, filie Bonfanzulli de Florentia, que est de Ordine Sororum de Penitentia, centum libras bononenorum reliquid.

Item Gasdie, filie Battaglerij de Florentia, quinquaginta libras bononenorum, de predicta summa et quantitate, reliquid.

Item Bandino quondam Synbaldi (1) de Florentia, viginti quinque libras bononenorum reliquid; quam quantitatem pecunie esse voluit penes commissarios suos, donec una vel due filie, quas habet, fuerint uxorate, et tunc detur eis in subsidium uxorandi; et si non fuerint uxorate hinc ad tres annos, aut si morirentur infra terminum dictum trium annorum, tunc ipsa quantitas distribuatur per commissarios suos inter pauperes Christi, secundum quod eis melius videbitur, pro anima testatoris; et si infra dictum terminum fuerint uxorate, pro matrimonio complendo habere debeant dictam quantitatem.

Item domine Marie, que consuevit vendere pannos de capella sancti Martini de Cazzanimicis, decem libras bononenorum reliquid.

Item dominabus Symone et Barthole, suis neptibus, cuilibet earum viginti quinque libras bononenorum de predicta summa et quantitate reliquid, que quantitas detur eis pro augmento dotis.

Item reliquid filie Benvenuti sui servientis, que non videt bene lumen, duodecim libras bononenorum de predicta summa et quantitate relicta pro anima supra; reliquid Codeferro suo servienti viginti quinque libras bononenorum, si tempore obitus ipsius testatoris steterit secum. Nicole de Cassia viginti quinque libras bononenorum, si tempore obitus testatoris steterit secum, Zannino de Anzissa, suo familiari, quinquaginta libras bononenorum, et Beatrixie, sue servienti, ultra salarium suum, otto libras bononenorum si tempore obitus testatoris steterit secum.

Item voluit et reliquid quod viginti de scholaribus suis elligantur magis pauperes et indigentes per magistrum Magrum et magistrum Anselmum, qui, cum fuerint electi per commissarios suos, debeant indui de panno albo, eorum cujuslibet indumentum sit valoris et precij sex librarum bononenorum, et predicta fieri debeant de predicta summa supra pro anima relicta.

Item voluit et mandavit quod omnes sui familiares masculi, qui stabunt secum tempore sui obitus, et socii sui et bidelli induantur et habere debeat quilibet eorum de predicta summa supra relicta pro anima, unam vestem albam precii et valimenti sex librarum bononenorum pro quolibet et qualibet veste.

Item conventui Fratrum Minorum illius civitatis, in qua ipse magister Tadeus testator obierit, decem libras bononenorum de predicta summa et quantitate supra relicta pro anima reliquid, dandas et erogandas in quolibet infrascriptorum terminorum, videlicet decem libras pro qualibet vice, scilicet in septimo die, trigesimo, centesimo et anniversario suo, pro refectione ipsorum Fratrum, ad hoc ut pro anima ejus orent ad Dominum. Et in ea civitate ubi obierit sepulturam suam esse voluit apud ecclesiam Fratrum Minorum illius civitatis; in qua quidem sua sepultura et in expensis que fient in ea et circa eam et ejus occasione, expendi voluit et dari mandavit de supradicta pecunia relicta pro anima, quingente (2) libre bononenorum.

Item voluit et mandavit, quod de supradicta pecunia et summa relicta pro anima dentur magistro Guidoni de Montepulzano septem libre bononenorum, magistro Johanni de Ancona tres libre bononenorum, et magistro Johanni de Tortona tres libre bononenorum. Residuum vero, quod superabit et superat a dictis legatis et relictis de predicta summa et quantitate decem millium librarum bononenorum relictarum pro anima, jussit et voluit dari et distribui per commissarios suos inter pauperes Christi civitatis Bononie et districtus, scilicet viduas pauperes, orphanos pauperes, infirmos pauperes, miserables (3) personas et vergonzosas pauperes, et ad domicellas pauperes uxorandas, et hoc pro satisfactione et recompensatione male ablatorum, et illicite acquisitorum, de quibus non est ei memoria. Et voluit quod non possint predicti sui commissarii dare alicui de predictis personis ultra quantitatem viginti soldorum bononenorum, nisi pro puellis pauperibus, et multum indigentibus uxorandis, quibus possint providere et dare in subsidium

(1, 2 et 3) *Sic.*

matrimonii complendi, et pro ipso matrimonio faciendo vel complendo usque ad quantitatem vigintiquinque librarum bononenorum pro qualibet earum, et non possint commissarii sui vel debeant aliquid dare, de ipso residuo concedere vel errogare alicui de predictis conventibus suprascriptis, Religionibus, nec aliquibus aliis de Ordinibus predictorum, in specie vel genere, ultra id quod supra dictum est in eis, et voluit et mandavit ipse testator quod omnia et singula predicta et infrascripta, que commissa sunt vel erunt in hac ultima voluntate commissarijs suis, illa omnia et singula exequantur et faciant simul et non separatim, scilicet quod non possint inter se dividere, ut quilibet habeat partem suam ad distribuendum, set omnes vel major pars eorum sint in concordia.

Voluit insuper et expresse mandavit ipse testator, quod Zeus Bonasalti de Pisis, qui nunc est in carceribus Janue, habere debeat omni anno, quamdiu steterit et fuerit in ipsis carceribus, quindecim florinos auri pro suis necessitatibus, et illos sibi consignent et dent vel dari faciant in ipsis carceribus omni anno heredes dicti testatoris; et si exiverit et liberatus fuerit ab ipsis carceribus quandocumque, heredes sui infrascripti dicto Zeo dare et solvere teneantur et debeant infra sex menses liberationis ipsius ab ipsis carceribus ducentas libras bononenorum. Quod si heredes sui non fecerint et facere obmiserint, gravat ipsos heredes et quemlibet eorum in duplum tam de florinis, quam de ducentis libris bononenorum sibi solvendis.

Item voluit et mandavit quod libri sui Avicenne, qui sunt in quatuor voluminibus, et libri Galieni, qui sunt in quatuor voluminibus, perpetuo remanere debeant Fratribus Minoribus, et esse in domo eorum de Bononia ad usum Fratrum Minorum, qui ibi erunt pro temporibus, ita quod ipsi libri non possint aliquo modo vendi, vel alienari, vel obbligari, nec inde extrai, vel portari.

Item reliquid jure legati Fratribus suis sancte Marie Metaphisicam Avicenne et Etthicam Aristotelis, et sextum librum de Naturalibus Avicenne de majori volumine.

Item magistro Nicholao de Faventia jure legati reliquid Glosas suas omnes, quas ipse magister Tadeus [scripsit] super libris Medicinalibus, et Almansorem suum, si tempore obitus ipsius testatoris tunc steterit secum.

Item reliquid jure legati magistro Johanni de Asisio, suo socio, Sarapionem suum et sextum de Naturalibus Avicenne de minori volumine, et est vetus, si tempore obitus ipsius testatoris steterit secum.

Domine vero Adele (1), uxori sue, jure legati quinquaginta libras bononenorum reliquid, et totam cameram suam et lectum suum cum omnibus suis apparatibus, et vestes suas omnes et pannos tam de lana quam de lino et serico cum omnibus supelectilibus que sunt, et esse consueverunt in camera sua, cujuscumque condictionis existant, et etiam annulos, zenturas et zoglas, exceptis vasis argenteis vel auri.

Item reliquid eidem domine Adale habitationem unius sue domus, quam habet Florencie in contrata sancte Crucis, et usumfructum unius petie terre posite in territorio florentino in loco ubi dicitur Ronchi juxta filios domini Jacobi Morandi, quam habitationem et usumfructum domus et terre ipsam dominam Adelam habere voluit quamdiu honestam et vidualem vitam duxerit, et honorem servaverit maritalem; si vero aliam vitam sibi elegerit, habeat et habere debeat dotem suam, que fuit trecentarum librarum de Pisanis in florinis, et quinquaginta librarum pisanorum occasione donationis propter nuptias facte inter eos tempore contracti matrimonij, et predicta legata tantum scilicet quinquaginta libras, et cameram suam, et lectum cum suis apparatibus, et vestes, et pannos tam de lana quam de lino et serico, et etiam annullos, zenturas, et zoglas, et non ultra.

Commissarios suos esse voluit et executores omnium predictorum et singulorum et infrascriptorum, et sibi ellegit et esse voluit ad omnia predicta et singula predictorum et infrascriptorum, dominum Thomaxinum de Plantavignis, dominum Ugolinum de Montazanigo, dominum Novellonum Megloris de Florentia, et dominum Amedeum Poete; quibus commissariis dedit et concessit plenam et liberam licentiam, auctoritatem et potestatem, quod, eorum propria auctoritate, absque requisitione heredum suorum vel alicujus Judicis, Potestatis vel alterius superioris, possint accipere apprhendere de bonis ipsius testatoris mobilibus et immobilibus, juribus et actio-

(1) *Sic.*

nibus et omnia, et particulariter ad eorum omnimodam voluntatem, et ex nunc prout ex tunc, adveniente casu et tempore quo debeant commissariam predictam exercere, constituit eos suos procuratores in rem suam, ut possint ea bona et jura vendere, alienare et obbligare, et contractus facere ex eis, prout eis placuerit, de evictione cavere et heredes ipsius et bona obbligare et pecunias exigere, solutiones recipere, solventes liberare et absolvere, et omnia et singula facere et exercere in judicio et extra, que ipse idem testator nunc facere posset, usque ad integram satisfactionem omnium predictorum singulorum infrascriptorum et ex nunc dictorum commissariorum nomine se possessores costituit; volens etiam et mandans quod de bonis suis solvantur et restituantur omnia et singula male ablata et illicite acquisita per ipsum testatorem omnibus et singulis a quibus illicite acquisivisset vel habuisset, et etiam ad predicta male ablata et illicite acquisita commissarios suos esse voluit predictos supranominatos, ut possint, si eis placuerit, predicta effectui demandare, facere et complere secundum bonam conscientiam ipsorum, et de hoc, quod fecerunt in predictis et quolibet predictorum, non possint vel debeant aliquo modo, vel racione aliqua ab alio vel aliquibus inquiri, vel requiri, aut molestari, nec alicui rationem reddere teneantur, nec possint compelli.

Porro voluit et mandavit, quod si aliquis error fuit in ratione quam olim habuit facere ipse testator tempore rumorum vastationis Bononie cum illis de Marano et illis de Plantavignis, satisfiat eis secundum quod dixerint frater Ostexanus et dominus Thomaxinus de Plantavignis usque ad quantitatem viginti quinque librarum bononenorum, et quod Ventura et Fuscus de Columbario, comitatus Florentini, qui fuerunt sui laboratores, absolvantur ab omni eo et toto quod sibi tenerentur quacumque de causa, vel modo quocumque.

In omnibus aliis suis bonis mobilibus et immobilibus, juribus et actionibus et rationibus, sibi competentibus et competituris, sibi heredes instituit et esse voluit dominam Minam suam filiam pro tercia parte, computando in illa tercia parte dotes suas integras, quas dixerit fuisse mille florinorum auri, et Taddeum suum filium pro alia tercia parte, et Opizum suum nepotem, filium quondam Bonaguide sui fratris, pro alia tercia parte, cum condicionibus et modis inferius denotatis et scriptis, videlicet quod Opizus predictus de parte sibi contingente dare teneatur, et debeat Beatrixie sue sorori et filie quondam dicti Bonaguide, quatuor centum vigintiquinque libras bononenorum ad maritandum eam, vel Religionem intrandum. Et quod dictus Opizus quamdiu dictam pecuniam non solverit, teneatur et debeat et allimenta congrua dare et prestare dicte Beatrixie sue sorori. Item quod ipse Opizus teneatur, et debeat allimenta prestare et dare domine Billie sue matri, vel dari sibi centum florinos auri ad voluntatem dicte domine; et si contigerit dictum Opizum decedere sine filijs masculis legitimis, voluit ipse testator et ordinavit, quod medietas hereditatis predicte contingentis ipsi Opizo proveniat ad Fratres Penitentie civitatis Florentie pro pauperibus vergonzosis civitatis Florentie et districtus, emendo possessiones pro dictis pauperibus vergonzosis.

Item ecclesie sancti Petri episcopatus Bononie, sive laborerio ipsius ecclesie, centum solidos bononenorum reliquid pro restitutione et satisfactione decimarum; de superfluo veniam postulavit a Domino (1), et quod ex fructibus dictarum possessionum dicte dimidie per Fratres predictos Penitentie fiant expense ipsis pauperibus infirmis vergonzosis, et dicti fructus expendantur et distribuantur inter dictos pauperes per dictos Fratres Penitentie, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint. Alia vero dimidia partis dicte hereditatis dicti Opizi perveniat ad Dominas et Sorores et ad conventum ipsarum Dominarum et Sororum Minorum Ordinis sancte Clare civitatis Florentie; f[ructus cujus dimidie dicte Domine] et Sorores et conventus ipsarum, teneantur et debeant expendere et errogare in necessitatibus Fratrum Minorum morantium in conventu Florentie, et qui pro tempore morabuntur, infirmorum, senium et forensium et non aliter vel aliquo alio modo.

Item voluit et mandavit fieri debere de dicta domina Mina, quod si moriretur sine filiis masculis legitimis, distribuatur sua pars hereditatis predicte modo et forma quo et qua dictum est super de Opizo. Et si Tadeus ejus filius decesserit sine filiis masculis legitimis, voluit et mandavit quod dimidia sue partis hereditatis predicte sibi contingentis, perveniat et pervenire debeat ad Fratres Penitentie civitatis Bononie pro pauperibus vergonzosis et infirmis, et in necessitatibus infirmorum et vergonzosorum convertatur, ita quod fructus dicte dimidie singulis annis perpetuo

(1) Verba « *Item ecclesie* » etc. in inferiori paginae parte, signo crucis praemisso, addita sunt.

expendere et errogare teneantur tam presentes, quam qui pro tempore fuerint, secundum modum superius dictum. Alia vero dimidia hereditatis predicte perveniat et pervenire debeat ad eosdem Fratres Penitentie; fructus cujus dimidie expendere, dare et errogare teneantur et debeant singulis annis perpetuo Fratribus Minoribus, infirmis et senibus, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint in conventu Bononie forenses et non aliter vel aliquo alio modo.

Si vero predictus Opizus et Tadeus vel alter eorum decesserit, habendo unam filiam tantum vel plures, voluit quod quelibet illarum habere debeat quingentas libras bononenorum ad maritandum vel Ordinem intrandum, et superfluum dicte hereditatis distribuatur predicto modo; quibus fratribus et sororibus tam civitatis Bononie quam civitatis Florentie concessit et dedit plenam licentiam et liberam tribuit potestatem, si contingerit predictos Opizum et Tadeum vel aliquem ex eis decedere sine filiis masculis legitimis, apprehendendi et accipiendi hereditatem et bona decedencium vel decedentis auctoritate propria, et ex nunc transfert in eos et eas dominium et possessionem, ita quod possint accipere et a quocumque tenente vendicare et recuperare.

Denuo voluit et mandavit testator predictus, quod pecuniam (1) et res mobiles, que supererunt et superabunt a solutionibus dictorum suorum legatorum et omnium predictorum que supra scripta et dicta sunt, libere, sine aliqua contradictione alicujus vel aliquorum, perveniant et pervenire debeant ad dictos suos commissarios, et quod ipsi commissarii libere percipere, habere et recipere possint pecuniam et res mobiles dicti testatoris et expendere debeant; et ex ea pecunia emere possessiones nomine heredum suorum predictorum, scilicet nomine cuiuslibet eorum pro tercia parte, ubi melius videbitur dictis suis commissariis pro utilitate cujuslibet eorum dictorum suorum heredum; et quod predicte possessiones, empte per dictos suos commissarios, ad heredes suos perveniant et eorum sint, emptione facta, salvis semper condictionibus suprascriptis et infrascriptis, quibus voluit subjacere.

Item voluit et mandavit quod possessiones, que pervenirent ad quemlibet ex dictis suis heredibus, penes dictos suos heredes et eorum filios legitimos debeant remanere, ita quod non liceat alicui ex eis heredibus ipsas possessiones, vel aliquam partem ipsarum vendere vel alienare, aut obbligare, vel aliquo alio modo in alium transferre, sed sibi et suis filiis legitimis ab ipsis procreatis cuilibet eorum partem sibi contingentem conservare teneatur et debeat, ut in eos permaneant, et ut ex earum fructibus alimenta percipiant et habeant; et si aliquis ex dictis suis heredibus, vel aliqui alii, impedirent commissarios suos predictos, aut facerent vel tractarent de jure vel de facto quocumque modo, quominus predicta pecunia et res mobiles non pervenirent ad dictos suos commissarios, et quod dicte possessiones non emerentur et non conservarentur, ut supra dictum est, privat illum vel illos, qui contrafecerit vel fecerint, ab omni eo quod sibi reliquid; et voluit, quod pars contrafacientis perveniat ad pauperes Christi eligendos et nominandos per commissarios suos predictos; quos pauperes ipse testator nunc eligit et vult esse illos, quos predicti sui commissarii elegerint et nominaverint esse pauperes Christi; et in hoc casu et in aliis de quibus de pauperibus Christi supra mentio facta est; et inter illos pauperes dicti commissarii distribuant pro ut eis melius videbitur faciendum pro anima dicti testatoris. Cuilibet commissariorum suorum dictorum quinquaginta libras bononenorum reliquid pro parte eorum laboris; de superfluo rogat Dominus eis retribuat pro eo, et ipsas quinquaginta libras bononenorum retinere possint et habere de bonis ipsius testatoris, facta primo executione hujus sue ultime voluntatis.

Item voluit et mandavit quod, si aliquis ex heredibus suis impediret alium vel alios choheredes in parte hereditatis sibi contingentis; aut faceret vel curaret id, propter quod alius vel alij heredes non habeant pacifice et quiete partem hereditatis ei vel eis relictam, privat illum qui contrafaceret vel fecerit vel impediverit, sua parte hereditatis, et in eo casu pars contrafacientis vult quod perveniat et pervenire debeat ad alios coheredes.

Si vero dicta domina Adela, uxor dicti testatoris, pregnans sit vel fuerit ex isto presenti legitimo matrimonio, et feminam unam pepererit vel plures, quelibet earum equis portionibus sibi heredes instituit cum heredibus supradictis. Si vero filium masculum tantum unum vel plures peperit, illum vel illos equis porcionibus sibi heredes instituit universaliter in omnibus aliis suis bonis, prioribus heredibus in hoc casu exclusis. Salvo quod isti filii, unus vel plures, heredes ultimo instituti, teneantur dare dicto Tadeo suo filio quingentas libras bononenorum, et dicto Opizo

(1) *Sic.*

alias quingentas libras bononenorum, de quibus per commissarios suos predictos ematur possessio cuilibet eorum et pro eis, que possessio condictionibus subjacere voluit supradictis; et si dictus suus filius nasciturus vel nascituri, ut predictum est, isto legitimo matrimonio morerentur sine filiis legitimis quandocumque, in eo casu ipsa hereditas perveniat et revertatur ad priores dictos suos heredes, scilicet dictam dominam Minam, Tadeum et Opizum cum iis condictionibus et modis superius notatis et scriptis.

Item si cum dicto vel dictis filiis masculis, ex isto matrimonio procreatis, nascituris, nasceretur una femina tantum, teneantur ipsi masculi eam dotare in mille libris bononenorum, et, si fuerint plures, quamlibet illarum in quingentis libris bononenorum.

Et hanc suam ultimam voluntatem et dispositionem asseruit esse, et ipsam dispositionem jussit et voluit valere jure testamenti; que, si non valeret jure testamenti, saltem valere voluit jure codicillorum et alterius cujuscumque ultime voluntatis, qua melius valere potest; et quamquam ultime dispositio voluntatis scripture publice testimonio fulciatur, cujuslibet suspicionis sublatis eventibus, non minus utile quam necessarium fore sibi voluit providere, ne per aliquem vel aliquos, ausu falso, temerario et contra veritatem, posset vel possit testamentum aliquod falsum ordinare, factum ante istud suum presens et verum testamentum, vel etiam post illud, per quod istud testamentum posset infringi, dixit, et protestatus fuit et bene recordatus se fecisse temporibus retroactis plura testamenta Bononie, Florentie, Ferrarie, Rome, Mediolani, Venetiis, et in pluribus aliis locis, et in eis, vel in aliquibus seu aliquo eorum expresse dixisse, quod volebat illud vel illa testamenta prevalere omnibus aliis testamentis per eum factis et ordinatis et faciendis, et apposuit in ipsis vel ipsis certam formam et modum, et certa verba, dicens, nullum aliud testamentum factum, vel faciendum, valeat, nisi servetur in eo talis forma et modus, et talia verba, hic expresse contenta, de quibus forma et modo et verbis in ipso vel ipsis contentis non recordatur, et ideo specialem mentionem non facit, sed ipsis non obstantibus, et etiam non obstante quod in hoc presenti testamento non sint apposita vel inserta, voluit hoc testamentum, ut predictum est, omnibus aliis factis per eum hinc retro preferri et etiam prevalere; et si quod testamentum factum repperiretur in fucturum post istud testamentum, vult illud non valere, et ex nunc cassat et irritat omnino, nisi appositum et scriptum fuerit, et repperiretur in fine ipsius testamenti.

Ego magister Tadeus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, condidi hoc testamentum, cujus anima requiescat in pace; et hanc suam ultimam voluntatem voluit esse secretam, et secreto teneri, et deponi in sacristia Fratrum Minorum conventus Bononie; et voluit debere sigillari sigillo conventus Fratrum Minorum de Bononia vel Guardiani dicti conventus.

Acta sunt omnia predicta, et lecta Bononie in sacristia Fratrum Minorum conventus Bononie, presentibus domino fratre Pelegrino de Pollicino, fratre Johannino de Luisinis, fratre Francischo de Schiva sacerdotibus, fratre Landulfo de Cazanimicis, fratre Amedeo de Asti, fratre Jacobo de civitate Pannensi de Apulia, fratre Jacobino de Galleria, et fratre Johanne de Imola omnibus de Ordine Minorum, testibus vocatis et rogatis. Coram quibus testibus ipse magister Tadeus testator predictus dictam suam ultimam voluntatem et presens testamentum in dicta sacristia Fratrum Minorum deposuit, et consignavit fratri Jacobino de Galleria nunc Sacrista (1) sacristie predictorum Fratrum Minorum de conventu Bononie. Propterea voluit et mandavit ipse testator, quod quilibet dictorum testium, qui interfuit predictis et qui scriptus supra est, habere [debeat] de bonis triginta solidos bononenorum, si fuerint in vita [tempore] mortis dicti testatoris.

(L. † S.) Et ego Bonaventura Viviani, imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus interfui rogatus a dicto testatore, et quia ipsum cognovi, predicta scripsi, subscripsi etc.; et quia pro oblivione et errore dimiseram « item ecclesie sancti Petri episcopatus Bononie, sive laborerio ipsius ecclesie centum solidos bononenorum reliquid pro restitutione et satisfactione decimarum, de superfluo veniam postulavit a Domino » superius signavi †.

(1) *Sic.*

XIII.

1295, 20 martii.

Ex Arch. Max. bon., in *Memor. Communis;* Mem. Petri de Floranis, c. 47.

Societas | Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, indictione octava.
Die dominica vigesima mensis martii.

Magister Jentilis de Cingullo, filius domini Benvenuti, doctor in logicha, contraxit societatem cum magistro Guillielmo, filio quondam domini Milonis de Dexaia, astensis diocesis, qui moratur in domo domini Venture prepositi, in capella sancti Archangelli, et qui dominus Jentilis moratur in domo domini Jacobini de Munariis in capella sancti Antholini, infrascripto modo et infrascriptis pactis et capitulis inter eos initis et factis; videlicet quod promisit dictus magister Gentilis per stipulationem dicto magistro Guillielmo, doctori in eadem scientia, a principio sequentis studii legere extraordinarie in phylosophia in scholis dicti magistri Guillielmi, et de lucro de phylosofia dare quartam partem dicto magistro Guillielmo, et non legere ordinarie logicam usque ad tempus trium annorum; et versa vice dictus magister Guillielmus per stipulationem promisit dicto magistro Jentili legere ordinarie in loycha usque ad tempus trium annorum, et presentare de quolibet scolari stante in duodena sua vel (1) repetitorum suorum et societatis, non afugentis duodenas comunes propter paupertatem, treginta solidos bononenorum, et representare lucrum habitum de scholis, facta soluctione scholarum, et presentare illud, quod ab aliis scholaribus pauperibus non stantibus in duodena habebit, et dare eidem magistro Jentili terciam partem tocius istius lucri, hiis habitis pactis inter eos, quod uterque eorum promittat alterum juvare bona fide, et cum nullo aliorum magistrorum Bononie existencium vel supraveniencium pacisci in lesionem alterius; et si fuerit aliquis scholarium stantium in duodena, qui aufugeret, ita quod dictus magister Guilielmus non possit habere solucionem pro illo vel pro illis, non teneatur aliquid representare; et si aliquis non vellet dare salarium, teneatur dictus magister Guillielmus ipsum compellere coram aliqua persona, que de jure audire habeat, et si non posset convincere predictum, quia judicaret de pauciori, id tantum teneatur prestare et id dividere secundum quod dictum est, dando ei terciam partem, et hoc quidem intelligatur de scholaribus venientibus ad studium ante festum Nativitatis. De venientibus post festum teneatur assignare lucrum, quod habebit, bona fide, et dare sibi secundum predictam porcionem.

Item, si contingeret dictum magistrum Guillielmum non posse aliquo tempore legere causa alicujus infirmitatis corporis vel alia ractionabilli causa, et non haberet personam decentem que pro ipso posset legere, quod dictus magister Jentilis debeat legere pro eo uno mense, et si contingeret dictum magistrum Jentilem legere ultra me[n]sem, teneatur dictus magister Guillielmus sibi dare duas partes lucri sibi contingentis pro illo tempore, ita quod, si magister Guillielmus habuisset pro mense libras novem, teneatur sibi dare sex.

Item quod pacta ista teneant utroque magistro faciente suum officium, ita quod, altero omnino deficiente a suo officio, ita quod alter iret domum et inreversurus, cessent pacta ultra.

Item quod si magister Guillielmus accipiat pro scholari quadraginta solidos, et si ascendet ultra, teneatur dare de lucro (2) ulteriori dicto magistro Jentili terciam partem ejus, quod ultra quadraginta solidos acceperit, et si fieret statutum per aliquem ad hoc deputatum quod magister Guillielmus non possit accipere triginta solidos, tunc magister Guillielmus teneatur dare terciam ejus, quam tunc capere posset secundum formam illius statuti.

Item pactum ad invicem fecerunt, quod nullus eorum possit ire ad aliquem alium locum causa studendi ibi ante tempus statutum, scilicet trium annorum si al[iter] (3) staret in terra, uterque teneatur legere suas lectiones.

(1) « *Vel* » bis.
(2) Verba « *teneatur dare de lucro* » repetuntur.
(3) Hic spatium pro uno verbo.

Item quod neuter possit recedere (1) de terra non reversurus, nisi haberet fortem et urgentem causam.

Item hec pacta non teneant legente alio magistro superante dictum magistrum Guillielmum in scholaribus, ita quod haberet medietatem scholarium, vel paulo plures.

Item quod repetitores magistri Jentilis, qui essent, vel velent esse si ipse legeret, tractentur a dicto magistro Guillielmo quantum ad honera sicud sui proprij, et scholares eodem modo.

Item si videbitur dictis magistris retinere scholas magistri Gentilis, rettinebunt et solvantur de comuni lucro.

Item quod magister Gentilis habeat horam in scholis magistri Guillielmi preter horam ordinariam quamcumque vult.

Item si aliquis scholarium non intenderet stare multum in studio, quod dictus magister Guillielmus capiat de dicto scholari id quod poterit habere et dare tertiam partem lucri magistro Jentili, et in omnibus istis, siquod esset verbum ambiguum, interpretetur secundum dictum magistri Tadey; et si dictus magister Tadeus non esset, vel arbitrari non posset, interpretentur verbum vel pactum ambiguum vel obscurum per Guardianum Fratrum Minorum, qui pro tempore fuerit.

Item quod dictus magister Guillielmus teneatur dare tertiam partem ejus, quod receperit in Nativitate, predicto magistro Jentili; residuum vero ante festum Paschatis Resurecionis Domini, et promiserunt non contravenire sub pena centum librarum in singulis capitulis; et si aliquis veniret contra predicta, vel aliquod predictorum, privetur pignoribus suis datis magistro Tadeo pro predictis omnibus et singulis supradictis observandis, que pignora, seu extimatio ipsorum, quam faciunt comuniter et concorditer quinquaginta librarum bononenorum, pervenire debeat ad alium; et si contingeret dictum magistrum Guillielmum quarto anno stare in civitate Bononie et legere, inter eos dicta pacta debeant omnia et singula observari que in dictis et pro dictis tribus annis dicta et scripta sunt supra pervenire debeat ad alium, que in tribus (2) jta tamen quod magister Jentilis illo quarto anno non legat.

Actum Bononie in domo domini Bonagratie in qua moratur magister Tadeus, presentibus magistro Tadeo et magistro Joanne de Assisio, et magistro Francisco de Massa testibus, et sic dicti contrahentes una cum dicto notario venerunt, dixerunt et scribi fecerunt.

XIV.

1298, 18 aprilis.

Ex libro Q *Reformationum Comm. Bonon.*, in Arch. Max. bon., c. 223 v.°, 225 r.° et 226 v.°

De peticione magistri Bonnesegne, filii domini Benvenuti.

Die decimo octavo mensis aprilis [Mcclxxxxviij.]

Item quid placet Consilio providere super infrascripta peticione, cujus tenor talis est: Vobis excelso viro domino Capitaneo, Sapientibus Viris dominis Anzianis et Consulibus Populi Bononie, supplicat magister Bonnesegna, filius domini Benvenuti Bonifacii, judicis de Populo Bononie, doctor et magister in arte fisice et astrologie et aliis artibus examinatus et continuatus in hiis in regno serenissimj Regis Jerosolimitani et Sicilie, ut publice patet per literas sigillatas sigillis pendentibus cerce (3) rubee excelsi ducis domini Roberti, primogeniti et vicarii generalis dicti domini Regis in dictis regnis, noviter reversus ad civitatem Bononie de regno serenissimi regis Francie et de dicto regno domini regis Karli, quod amore et honore ipsorum Regum et Ducis et pro honore et utilitate Comunis Bononie velitis ponere et firmarj facere in vestro Consilio Populi, quod nomen et pronomen ipsius magistri Bonnesegne ponatur presencialiter et successive in brevj ubi e saculo ponuntur nomina Medicorum civitatis, qui dantur iudici domini Potestatis ad videndum offensas et

(1) Bis « *recedere* ».
(2) Addita sunt infra: « *lucrum cupiendo pro* ».
(3) *Sic.*

injurias factas hominibus civitatis et districtus Bononie, et quod ipse gaudeat et gaudere debeat privillegiis et beneficiis, quibus gaudent dicti medici et doctores dictarum arcium, ac si scriptum esset nomen ejus in Collegijs ipsorum Medicorum, Doctorum et Magistrorum, non obstante quod dicatur quod sit junior triginta annis, vel alia quacumqne causa, et maxime cum a prudentibus viris publice enarrentur quod scientia et bonitas perfecti doctoris consuevit adimplere etatis defectum.

. . . .

Partitum magistri Bonnesegne

Item facto partito per dictum dominum Capitaneum de sedendo ad levandum et ad scrutinium, ut dictum est, placuit illis qui posuerunt fabas albas, qui fuerunt numero trecenti decem et novem, quo[d] peticio magistri Bonensegne filii domini Benvenuti Bonifacij sit firma, valeat et teneat et plenum robur obtineat et execucioni mandetur in omnibus et per omnia secundum quod scripta est et lecta fuit in dicto Consilio, non obstantibus etc. ut supra; illi qui posuerunt fabas nigras in contrarium fuerunt decem et septem.

Presentibus Daniele Johannis et Rolando Casotti bannitoribus Populi, testibus in dicto Consilio existentibus.

XV.

1298, 17 octobris.

Ex archivo sancti Dominici Bonon., nunc in Tab. Max. bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{181}{7515}$.

In Christi nomine, amen. Anno a nativitate ejusdem Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, indictione undecima, die veneris decimo septimo mensis octubris. ₵ Notum sit universis presentes literas inspecturis, quod nos frater Thederichus divina miseratione cerviensis episcopus recepimus litteras sanctissimi patris domini Nicholay pape iij. cum Bulla Papali plumbea pendente, non vitiatas nec cancellatas, nec in aliqua sui parte abolitas vel suspectas, sed in sua prima figura et vera Bulla formam hujusmodi continentes:

« ₵ Nicholaus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Thedericho episcopo cerviensi salutem et apostolicam benedictionem. ₵ Quia presentis vite conditio statum habet instabilem, et ea que visibilem habent effectum, tendunt visibiliter ad non esse; tu hac salubri meditatione premeditans diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. ₵ Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque non per Ecclesiam seu Ecclesias licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis, tue, dum viveres, dispensationi seu admninistrationi comissis, et que non fuerint altaris ministerio, seu alicui speciali divino cultui vel usui deputata, vel que Ordinis Fratrum Predicatorum, quem fuisti professus, non existant, pro decentibus et honestis expensis tui funeris et pro remuneratione illorum, qui tibi serviverint, sive sint consanguinei, sive alij, juxta servitij meritum, testari ac disponere possis, et alias prius tue Ecclesie ere alieno deducto, ne ipsa Ecclesia remaneat debitis obligata, de ipsis in pios usus ac licitos convertendis, tibi auctoritate presentium plenam ac liberam concedimus facultatem. Volumus tamen ut in eorumdem ecclesiasticorum dispositione bonorum juxta quantitatem residui erga Ecclesias, a quibus eadem percepisti, te liberalem exibeas, prout conscientia tibi dictaverit, et saluti anime tue videris expedire. Datum Rome apud sanctum Petrum, sexto decimo kalendas madii, pontificatus nostri anno secundo ».

Predicte itaque auctoritate licentie sani mente, quamvis corpore debiles, presens testamentum nuncupativum sine scriptis voluntatem nostram ultimam disponimus et facimus in hunc modum.

In primis recomandamus animam nostram Deo et beate Marie semper Virgini et beatis confessoribus Paterniano patrono Ecclesie cerviensis, et Nicholao ac Dominico patronis Ecclesie Fratrum Predicatorum de Bononia.

Item sepulturam nostram eligimus in ecclesia beati Dominici, in sepulcro quod in presbiterio novo a latere sinistro fecimus fabricari. Et si contingat nos extra Bononiam mori, volumus, quod corpus nostrum deferatur ibidem.

Item pro exequiis faciendis relinquimus centum libras bononenorum et duos baldechinos, qui portentur subtus et supra corpus nostrum in die sepulture.

Item volumus et mandamus, quod in die sepulture nostre erogentur pauperibus centum libre bononenorum in ecclesia beati Dominici congregandis; et siquid superfuerit de predictis centum libris in ecclesia distribuendis, illud residuum ponatur in opere ecclesie si fuerit oportunum.

Item relinquimus et legamus Sororibus sancte Agnetis de Bononia podere de Casaraltola, eisdem modis et condictionibus que contine[n]tur in instrumento donationis, quam fecimus eisdem Sorroribus inter vivos . . . .

Item podere nostrum de Archuveco vel Frassino legamus Sorroribus predictis sancte Agnetis, eisdem modis et condicionibus que continentur in instrumento donacionis inter vivos quam eis fecimus . . . .

Item relinquimus et legamus pro pietanzia Fratrum Predicatorum Bononie in die sepulture nostre facienda xv. libras bononenorum ipso die totaliter expendendas, et celebretur missa in conventu . . . .

Item jure legati relinquimus eidem conventui Bononie unum paramentum completum cum mitra frisata cum frisio aureo brustito et faldistorio nigro.

Item jure legati relinquimus fratri Hgoni (1) Ordinis Predicatorum, nepoti nostro, legendas Sanctorum, et Monaldinam, et x. florenos de auro annuatim quamdiu vixerit, quos debeat recipere et habere de fructibus possessionum emptarum Luce, que empte fuerunt de pecunia in elemosinam eis datam pro Sororibus de Angelis de Luca, cum condictionibus et modis qui continentur in contractu emptionis ipsarum possessionum, seu concessione . . . .

Item ecclesie sancti Petri Majoris de Luca viginti libras luchenses pro una planeta.

Item pauperibus Masse Fiscalie, cerviensis diocensis (2), specialiter Masse Nove, centum libras bononenorum dispensandas, per manus Prioris et Lectoris Fratrum Predicatorum de Ferraria qui pro tempore fuerint, [ma]gis indigentibus dictorum locorum pro anima nostra . . . .

Item pauperibus puellis de Cervia maritandis vel in religione ponendis, centum libras ravenatorum distribuendas et dividendas per Guardianum Fratrum Minorum et Priorem Fratrum Heremitanorum de Cervia et Priorem Fratrum Predicatorum de Ravenna, qui pro tempore fuerint.

Item conventibus Fratrum Predicatorum de Cremona et de Mutina cuilibet viginti libras bononenorum.

Item conventibus Fratrum Predicatorum de Ferraria, de Forlivio, de Cesena et de Ravenna cuilibet decem libras bononenorum.

Item conventui Fratrum Minorum de Cervia et conventui Fratrum Heremitanorum ejusdem terre cuilibet decem libras ravenatorum.

Item conventuj Fratrum Predicatorum de Pistorio viginti libras lucanorum.

Item conventui Fratrum Predicatorum de Pisis quadraginta libras pisanorum.

Item conventibus Fratrum Minorum de Bononia quinquaginta libras bononenorum, et de Luca quinquaginta libras lucanorum . . . .

Item fratri Johanni Faventino Ordinis Predicatorum, qui aliquando fuit Lector Bononie, vigintiquinque libras bononenorum.

Item Guillielmo Sornachij, consanguineo et familiari nostro, quinquaginta libras bononenorum et remittimus ei omnes offensas et displicentias et siquid fraudasset ratione administrationis, quam longo tempore gessit in domo nostra a juventute sua usque ad tempus hujus scripture facte; et si inveniretur nobis in aliquo esse obligatus ex quacunqne causa a tempore hujus scripture facte, totaliter ipsum absolvimus ex nunc prout ex tunc, ipsum esse volumus totaliter absolutum.

Item relinquimus Thederico, filio domini Veltri, et Ugoni et Veltrutio, fratribus et filiis domini Francisci, libros nostro de Medicina . . . .

Item Veltro Sornachij, consobrino nostro, centum libras lucanorum.

Item pro opere sancti Cristofori de Luca, decem libras lucanorum.

(1) Hic legitur: « *fratri H Hugoni Ugoni* ».

(2) *Sic.*

Item decem fratribus Ordinis Fratrum Predicatorum de conventu Bononie, et totidem de conventu Luchano magis indigentibus, cuilibet tres libras bononenorum pro una tunica, inter quos frater Phyglocarus, conversus de provincia Lombardie qui aliquando mansit nobiscum, sit unus.

Item ecclesie sancte Marie de Muradellis, civitatis Bononie, pro uno paramento altaris, sex libras bononenorum.

Item ecclesie sancti Petri de Massa, cerviensis diocesis, decem libras bononenorum pro reparatione ecclesie sancti Petri predicti.

Item fratri Bonacursio Lamfredi, Ordinis Fratrum Minorum, quadraginta libras lucanorum.

Item volumus et mandamus, quod postquam fideicomissarij hujus nostri testamenti fuerint congregati, dare teneantur et debeant infra octo dies pauperibus Jesu Christi quinquaginta corbes frumenti, et quindecim corbes vini, si tamen repertum fuerit penes nos tempore mortis nostre. In qua quidem distributione recomendatos esse volumus pauperes vicinos nostros de Burgo richo. Suppellectilia vero, sicut schrinea, bancha, dischos, vegetes, vasa cochine, jure legati relinquimus domino magistro Veltro, fratri nostro, et Veltrucio nato condam fratris Uberti fratris nostri, et eorum heredibus.

Item magistro Bertholatio, medico nostro et familie nostre, relinquimus decem libras bononenorum.

Item magistro Pantie de Luca, medico nostro et familie nostre, relinquimus decem libras bononenorum.

Item Antonio, appotecario nostro, relinquimus post mortem nostram omne id et totum id, quod nobis teneretur occasione confessionis cujusdam instrumenti septuaginta librarum bononenorum, solvendarum nobis in quolibet anno quatuor libris bononenorum donec nobis solutionem predictam compleverit prout in ipso instrumento scripto manu mei Johannis Damiani, notarii et procuratoris nostri infrascripti, plenius continetur . . . .

Item jure legati pro anima nostra relinquimus fratri Francisco Ordinis Predicatorum, salumbriensi episcopo, intuitu persone non ecclesiastice, et pro servitiis multis nobis et ecclesie nostre collatis, domum nostram de Ciconiis, positam in Burgo richo juxta domum domini Episcopi bethelemitani, et juxta heredes condam domini Dalphyni condam domini fratris Michaelis prioris, et juxta Laurentium condam Ugolini brentatorem, et juxta viam publicam . . . .

Item fratri Branchaleoni Ordinis Predicatorum, sotio nostro, annuatim in vita sua decem libras bononenorum, percipiendas de vinea quam donavimus et concessimus Sororibus sancti Matthie post obitum nostrum possidendam . . . .

Item jure legati pro anima nostra relinquimus fratri Stephano ejusdem Ordinis, sotio nostro, annuatim in vita sua decem libras bononenorum percipiendas de podere, quod emptum fuit, et donatum Sororibus sancte Marie Magdalene Vallis petre prope Bononiam post obitum nostrum possidendum . . . .

Item jure legati relinquimus ecclesie cerviensi mitram nostram laboratam de auro et lapidibus, baculum pastoralem eburneum, faldistorium unum rubeum, missalem, et duo vascula pro chrismate, unum argenteum et alium crystallinum, [or]dinarium breviarium, altare viaticum de porfilo rubeo, naviculam argenteam cum cocleari et theribulo et ampullis et uno calice argenteis, et unum paramentum completum pulchrius, quod inventum fuerit in paramentis nostris, et duo paria cophynorum. Ita quod predicte res deponantur in sacristia Fratrum Predicatorum de Bononia, et postea, tempore competenti, assignentur successori nostro postquam fuerit canonice confirmatus per nostros commissarios infrascriptos.

Item jure legati relinquimus eidem Ecclesie cerviensi domum nostram magnam, quam de novo edifficari fecimus, positam in contrata Barbarie in capella sancti Barbatiani, seu sancte Malgarite juxta dominum Paulum Gosberti ex una parte, et juxta heredes condam domini fratris Fini condam domini Theuzij ex alia, juxta viam publicam ex parte anteriori domus predicte, juxta vias ex parte posteriori, et juxta domum heredum quondam domini Arardi canonici, et juxta Rolandutium Gerrardini Armaniti; que domus est super terreno heredum quondam domini Theuzij . . . .

Item jure legati relinquimus conventui Fratrum Predicatorum de Luca calicem argenteum capelle nostre et Bibliam nostram in duobus voluminibus . . . .

Item relinquimus et condonamus Fratribus de Barbiano triginta libras bononenorum de eo quod nobis annuatim reddere tenentur, sicut patet per cartam scriptam manu Henregipti Petrizoli de Vandolis notarii, factam sub anno Domini millesimo ducentesimo nonageimo secundo, indictione quinta, die octavo septembris.

Item relinquimus et condonamus Sororibus de Misericordia libras triginta bononenorum de ea summa, quam dare nobis tenentur annuatim per cartam scriptam manu Johannis Bonaventure de Armis notarii, factam sub anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, indictione septima, die sexto mensis septembris . . . .

In omnibus autem aliis bonis nostris mobilibus et immobilibus, juribus et actionibus utilibus et directis, realibus et personalibus, nostros heredes instituimus, et jure institutionis relinquimus et esse volumus equalibus portionibus, conventum Fratrum Predicatorum de Bononia et conventum Fratrum Predicatorum de Luca, et predictam Ecclesiam cerviensem; volumus autem et mandamus quod conventus Fratrum Predicatorum de Bononia edificari fatiat et compleri quamcito potest comode fieri, opus et testudinem per nos inceptam super presbiterium majoris altaris sancti Nicholay per manum fratris Marchysini de Principibus et fratris Branchaleonis de Rodaldis de Bononia et fratris Stephani sotij nostri, quibus hoc spetialiter opus faciendum et perficiendum comittimus, et ad complendum dictum opus expendant redditus poderis de Frasino, quod superius restituimus Sororibus sancte Agnetis pro se et Fratribus Predicatoribus, et nichil precipiant dicti conventus Fratrum et Sororum de redditibus ipsius poderis de Frassino donec dictum opus fuerit perfectum, sed perveniat ad manus dictorum fratrum Branchaleonis et Marchisini et Stephani in dicto opere expendendi . . . .

Datum et actum Bononie in Burgo Richo in domo nostra in camara nostra, presentibus testibus vocatis et rogatis venerabile patre domino fratre Francisco Ordinis Predicatorum, permissione divina salumbriensi episcopo, fratre Symmone de Fracta sub priore Ordinis Fratrum Predicatorum de Bononia, fratre Ugone priore Fratrum conventus sancti Romani de Luca Ordinis Fratrum Predicatorum, domino dompre (1) Cambio presbitero et rectore ecclesie sancte Marie de Muradellis, cappellano ecclesie dicti testatoris, qui asseruit cognoscere dictum testatorem, fratre Stephano de Bononia, fratre Branchaleone de Rodaldis, fratre Albergipto de Bononia, fratre Gerardo de Tuscis, fratre Galvano de Butrio, fratre Pinamonte domini Gandini domini Jacobi Guarini judicis, omnibus Ordinis Fratrum Predicatorum de Bononia, fratre Thederico de Bononia, presbiteris, qui omnes dixerunt et asseruerunt se cognoscere dictum testatorem, fratre Jacobo de Luca fratre et converso conventus sancti Romani de Luca Ordinis Fratrum Predicatorum, domino magistro Francischo quondam domini magistri Ugonis de Luca, medico, Guillielmo, qui dicitur Lemus, quondam domini Sornachi de Arcu de Luca, domino Putio quondam domini Ugolini Borgognonis de Luca, Bartonzone quondam Bonacursij de sancto Lupidio, domino Durazio quondam domini Henrici Duratij de Luca, Antonio, quondam magistri Bolondini, speciali, Betho Sornachi de Luca, qui omnes asseruerunt se cognoscere dictum dominum Episcopum testatorem.

(L. † S.) Ego Johannes Damiani notarii, imperiali auctoritate notarius, hiis omnibus interfui, et mandato dicti domini Episcopi cerviensis testatoris scripsi et publicavi, et meum signum consuetum apposui, scripsi, subscripsi, signavi; et predictum dominum Episcopum testatorem cognovi et supra in decima linea manu propria punctavi « *nostro* » et in duodecima linea (2) punctavi « *deferatur* », et in sexta decima interlineavi « *donationis* », et in vigesima septima « *ultra quinque* » et in trigesima « *lucanorum* » et in quadragesima quinta « *nos* » et in quinquagesima secunda « *fratris* » et in ottogesima nona « *ejus* », quia per errorem fefelleram scribendo.

Eodem anno, indictione, loco et testibus ibidem et incontinenti dictus dominus Episcopus infirmus fecit et constituit et ordinavit dominum fratrem Pinamontem domini Gandini domini Jacobi Guarini judicis, fratrem Ordinis Predicatorum de Bononia, testem prescriptum, ibidem presentem et mandatum sponte recipientem, qui asseruit cognoscere ipsum testatorem, suum procuratore, actorem et nuntium specialem ad deponendum ipsum prescriptum testamentum in sacristia dictorum Fratrum ut moris est, et ad omnia alia et singula fatienda in predictis et

(1) *Sic.*
(2) « *Et in duodecima linea* » bis.

que per verum et legiptimum procuratorem fieri et exerceri possunt, et que ipsemet facere et exercere posset ac si presens esset; promitens se firmum et ratum perpetuo habiturum quicquid per dictum procuratorem factum fuerit in predictis et quolibet predictorum sub obligatione suorum bonorum.

(L. † S.) Ego Johannes Damiani notarii, imperiali auctoritate notarius, presens, rogatus scripsi, et predictos constituentem et constitutum cognovi.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, indictione undecima, die decimo septimo octubris. ℭ Dominus frater Pinamonte domini Gandini domini Jacobi Guarini judicis, Ordinis Predicatorum de Bononia, procurator predictus, ad infrascripta specialiter constitutus ut de hiis patet instrumento dicte procurationis scripto manu mei notarii infrascripti, deposuit fratribus Dominico et Phylippo sacristanis sacristie ecclesie sancti Dominici Ordinis Predicatorum de Bononia, prescriptum testamentum, sigillatum sigillo dicti domini Episcopi cerviensis et sigillo Prioris Ordinis Fratrum Predicatorum de Bononia, in sacristia dictorum fratrum.

Actum Bononie in dicta sacristia Fratrum Predicatorum de Bononia, presentibus testibus vocatis et rogatis, fratre Galvano de Butrio, fratre Albergipto de Bononia, ambobus Ordinis Fratrum Predicatorum de Bononia, Rampezo quondam Geremie de Florentia, Baronzone quondam Bonacursij de sancto Lupidio et Bartolomeo Johannis Damiani; qui frater Galvanus asseruit cognoscere contrahentes predictos.

(L. † S.) Ego Johannes Damiani notarii, imperiali auctoritate notarius, presens, rogatus scripsi, subscripsi, et contrahentes predictos cognovj.

[A tergo:] Testamentum domini Episcopi Thederici cerviensis.

MONUMENTA

SPECTANTIA

AD PROFESSORES PHILOSOPHIAE, HUMANIORUM LITERARUM ET THEOLOGIAE.

I.

Ineunte saeculo XIII.

Ex tom. I. *Petri de Vineis iudicis aulici et cancellarii Friderici II. Imp. Epistolarum, quibus res gestae eiusdem Imperatoris aliaque multa ad historiam ac iurisprudentiam spectantia continentur* (ed. J. R. Iselius, Basileae, MDCCXL.) pag. 492, cap. LXVII.

[Mittit Magistris et Scholaribus bononiensibus libros Aristotelis, de graeco et arabico in latinum per eum noviter translatos].

In extollendis regie prefecture fastigiis, quibus congruenter officia, leges et arma communicant, necessaria fore credimus scientie condimenta, ne (1) per hujus mundi (2) suaves et mulcebres semitas, nube ignorantie commiscente, vires ultra licitos (3) terminos effrenate (4) lasciviant, et justitia circa debiti regulas diminuta languescat. Hinc nos profecto, qui divina largitione populis presidemus, generali, qua omnes homines naturaliter scire desiderant, et speciali, qua gaudent aliqui (5), utilitate proficere, ante suscepta nostri regiminis onera, semper a juventute nostra quesivimus, formam ejus indesinenter amavimus, et in odore (6) unguentorum suorum semper aspiravimus indefesse. Post regni vero nostri curas assumptas, quanquam operosa frequenter negotiorum turba nos distrahat, et civilis sibi ratio vendicet solicitudinis nostre partes, quidquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, transire non patimur otiosum, sed totum in lectionis exercitatione gratuite (7) libenter (8) expendimus, ut anime clarius vigeat instrumentum in acquisitione scientie, sive (9) qua mortalium vita non regitur liberaliter (10). Dum librorum ergo volumina, quorum multifarie, multisque modis distincta chirographa, nostrarum armaria divitiarum locupletant, sedula meditatione revolvimus et accurata contemplatione pensamus, compilationes varie ab Aristotele, aliisque philosophis, sub grecis, arabicisque vocabulis antiquitus edite (11), in sermocinalibus et mathematicis disciplinis nostris aliquando sensibus occurrerunt. Quas adhuc originalium dictionum ordinatione (12) consertas et vetustarum vestium, quas eis etas prima

(1) L.: *ne se.*
(2) *Mundi* abest.
(3) L.: *liciti.*
(4) L.: *effrenare.*
(5) L.: *aliqua.*
(6) L.: *odorem.*
(7) L.: *gratuitate.*
(8) L.: *libenter totum.*
(9) L.: *sine.*
(10) L.: *liberaliter erogamus.*
(11) *Edite* abest.
(12) L.: *perplexione.*

concesserat, operimento contectas, vel hominis defectus aut operis, ad latine lingue notitiam non perduxit. Volentes igitur ut veneranda tantorum operum simul authoritas, apud nos non absque commodis communibus, vocis (1) organo traducere innotescat, ea per viros electos et in utriusque lingue prolatione peritos instanter jussimus, verborum fideliter servata virginitate (2), transferri. Quia vero scientiarum generosa possessio in plures dispersa non deperit, et distributa per partes minorationis detrimenta non sentit: sed eo diuturnius perpetuata senescit quo publicata fecundius se diffundit: hujusmodi celare laboris emolumenta nolumus, nec estimavimus nos (3) eadem retinere jucundum, nisi tanti boni nobiscum alios participes faceremus. Considerantes verumtamen, quorum conspectibus, quorumque judiciis operis cepti primitie possent detentius deputari, ecce vobis potissime, velut philosophie preclaris alumnis, de quorum pectoribus promptuaria plena fluunt, libros aliquos, quos curiosum studium translatorum lingua (4) non potuit fidelis instruere, consulte providimus presentandos vel destinandos (5). Vos igitur viri (6), qui de cisternis veteribus aquas novas prudenter educitis, qui fluenta melliflua sitientibus labiis propinatis, libros ipsos, tamquam exennium amici Cesaris, gratanter accipite et ipsos antiquis philosophorum operibus, qui vocis vestre ministeriis reviviscunt, quorumque nutritis (7) famam, dum dogmata sternitis (8) sapienter, ut expedit, aggregantes eos in auditorio vestro, in quo gratia virtutum fructificat, erroris rubigo consumitur et latentis scripture varietas (9) aperitur, cum (10) mittentis favore commoniti, tum clari transmissi (11) operis meritis persuasi, ad communem utilitatem studentium et evidentis (12) fame nostre preconium publicetis.

II.

1218, 1 octobris.

Ex Arch. Max. bon., in *Registro Grosso,* lib. I., car. 339.

Exemplar cujusdam instrumenti scripti per Julianum Leonardi notarium, qui est cum domino Cancelario, sic incipientis: Juramentum factum a magistro Bene florentino.

Anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, indictione sexta, die primo intrante octubri. Coram examine domini Albergiti Pandemillo, potestatis Bononie, in presentia domini Walfredi sui judicis, domini Laurencij Romani, domini Vidonis Tantidinarij, domini Jacobi Parvi, domini Malatigne, dominj Alberti Guidonis Grassi, domini Ugolini Primadicij et aliorum multorum de curia, tam militum quam judicum et notariorum, in hunc modum: « *Juro ego magister Bene non dare operam ullo modo quod Studium civitatis Bononie aliquo tempore alibi transferatur. Et si scivero aliquem dantem operam ad hoc ut Studium Bononie alibi transferatur, bona fide prohibebo atque vetabo, et si cum effectu vetare vel prohibere non possem, Potestati Bononie quam cicius potero manifestabo. Et alibi ullo tempore in Gramatica facultate non regam, nec scholas habebo, salvo tamen, quod si promotus essem ad officium clericale in civitate Florentie, ut liceat mihi legere clericis illius Ecclesie tantum in qua essem ad ordinem clericalem promotus* ». Factum fuit hoc juramentum in sala palatii Comunis Bononie.

Ego Julianus Leonardi, imperialis aule judex, atque nunc Comunis Bononie notarius, huic juramento interfui et ut supra legitur scripsi.

(L. † S.) Ego Petrus Pizolus Bolognoli, domini Octonis imperatoris et Comunis Bononie notarius, sicut scriptum vidi per manum Juliani notarii, ita scripsi, nec addens vel minuens, nisi signum, quod non feci.

(1) L.: *commodi communis profecto vocis.*
(2) L.: *veritate virginitate aliter.*
(3) L.: *nobis.*
(4) L.: *et lingua.*
(5) Verba: *vel destinandos* desunt.
(6) L.: *viri docti.*
(7) L.: *quorumcunque mittitis.*
(8) L.: *cernitis.*
(9) L.: *veritas.*
(10) L.: *cum modo.*
(11) L.: *claris transsumpti.*
(12) L.: *evidens.*

III.

1272, 5 novembris.

Ex tom. XXVIII. *Cod. dipl. Eccl. bon.*, num. XL.

Gregorius . . . [X.](1) fratribus Hieronijmo de Esculo, Raymundo Berengarij, Bonagratie de sancto Johanne in Perseceto et Bonaventure de Mugello apostolice Sedis nuntijs.

Cum vos ad magnificum virum Paleologum, imperatorem Grecorum illustrem, cum nostris sub certa forma litteris destinemus, in quibus inter cetera continetur ut si velit, ad prosecutionem illorum de quibus in eisdem litteris agitur, ante indictum a nobis generale concilium vel in ipso concilio solemnes apocrisarios ad nos mittat, ne forsan idem imperator se hujusmodi apocrisarios securitate non habita commode mittere non posse, causetur, vobis omnibus, vel tribus, aut duobus ex vobis, si reliquos impediri contingat, concedendi eisdem apocrisariis securitatem veniendi ad Sedem apostolicam, ibi morandi, et exinde ad propria redeundi, prout videritis expedire, plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Securitate hujusmodi tantummodo usque ad dictum concilium duratura. Ex tunc enim, si apocrisarios ipsos ad eamdem Sedem venire contingerit, eis super hoc Sedes eadem plenius providebit.

Datum apud Urbemveterem nonis novembris, pontificatus nostri anno primo.

IV.

1273, 25 novembris.

Ex eodem tomo *Cod. dipl. Eccl. bon.*, num. XLI.

Gregorius . . . [X.](2) fratribus Hieronymo de Esculo et Bonagratie de sancto Johanne in Preseceto Ordinis Fratrum Minorum.

Labores vestros humano pensantes affectu, ad vos propter eos multa compassione movemur, sed, dum levamus considerationis oculos altius, et attendimus vos in illius servitio laborare cui numquam sine remuneratione servitur, vobis super illis non dubitamus potius congaudendum. Verum non intendimus in talibus plene doctos instruere, sed hortari potius ut laborum magnitudinem certa spes immense retributionis alleviet et laborantium zelum accendat, ut ad obtinendum votivum suscepte commissionis exitum laborent instantius, et si augmentum possit ipsorum sollicitudo recipere, instantia maioris attentionis intendant recepturi a Domino, illud, ut pretangitur, inestimabile retributionis indubitate premium et apostolici favoris augmentum perinde non immerito habituri. Ceterum apud magnificum virum Paleologum, grecorum imperatorem illustrem, vos specialiter instare volumus ut cum suis nuntijs venturis ad Concilium sic celeriter vos remittat, quod, auctore Domino, eidem Concilio possitis personaliter interesse.

Datum Lugduni, septimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno secundo.

(1) Ex reg. I. Greg. X., ep. 40, fol. 62, an. MCCLXXII., V. novembris.
(2) Ex reg. I. Greg. X., ep. de Curia II., fol. 107, MCCLXXIII., XXV. novembris.

V.

[1280-1326]

Ex archivo sancti Benedicti Fabriani (1).

a) De sancto Silvestro abbate, Congregationis Silvestrine fundatore.

Oriundus namque vir Dei servus Silvester fuit ex patria Auximana. Nobilis quidem patre inter alios civitatis ejusdem, sed fide et virtutibus non minus extitit decoratus. Nam sicut exterius corporali etate crescebat, ita intus magis ac magis virtutibus et bonis operibus refulgebat. Pater vero ejus, nomine Gislerius, lege civili peritus, Silvestrum ejus filium, sue adolescentie tempore Bononiam et Paduam transmittens, ei imposuit ut insudaret studio legalis scientie. Quod studium postmodum sapienter relinquens, eo quod cor ejus nequaquam accenderet ad divina, cepit ad pure theologie fluenta totis desideriis anhelare. Igitur, relicto legum studio, tanto ardore se dedit divinarum literarum scholis, ipsarum notitiam cupiens adipisci, ut in eisdem parvo tempore commoratus, tam scientie floribus quam subtilitate ingenii pariter ditaretur. Sed cum adhuc per pueriles et adolescentie transiret annos, non earundem etatum lascivias nec negligentiam sectabatur; nec perniciosas fabulas nec vaniloquia, nec etiam scurilitates sectabatur: sed tantum ea que ad edificationem dicebantur diligenter auscultans, non oblivioni tradebat, imo tenaci memorie comendabat. Auriebat tunc aquam sapientie salutaris de fontibus Salvatoris animo sitibundo, quam postea gutture mellifluo eructavit ad utilitatem et comoda singulorum. Hec et multa alia laude digna vir venerabilis et Deo devotus Benvenutus, qui civitati Auximane nunc preest officio pastorali, et eidem in scholis socius extitit, veridica narratione perhibuit (2).

b) De beato Joanne a Baculo, sancti Silvestri abbatis discipulo.

Parentes autem ejus et fratres gloriabantur, quia de Johanne bonum dicebatur ab omnibus, et circa Ecclesias et cultum divinum ejus intentio et conversatio attentius versabatur: et ut animum suum posset ad sapientiam transferre, pro posse secularium hominum conversationem fugere nitebatur, orationi et lectioni vacando continue. Animantur predicti parentes et fratres in studioso Johanne; et ad grammaticalia capiendum inter eos deliberato consilio Bononiam transmiserunt. Qui, propter literarum et grammaticalium studium pervigilem curam anime non postponens, predicationibus et sermonibus, qui fiebant in religiosorum et aliorum ecclesiis, cum posse aderat, deesse nolebat, sed ad illos currebat ut ad cibum famelicus. Nam circa studium grammaticalium sic operam dedit ut in brevi tempore ipsorum sufficientiam reportaret. Sed cum multa ibidem a conservanda puritate retrahentia videret invitus, cepit timere, ut debuit, et etiam cogitare cum tedio, quid esset sibi potius eligendum, recedere an morari. Si recederet, timebat offensam parentum et fratrum, qui ejus procurabant honorem et comodum: si remaneret, damna puritatis et casum anime fortius formidabat. Perplexus sic itaque ad orationem se dedit, ut de celo super hoc sibi consilium mitteretur. Cujus orationi cito appropinquavit divina miseratio de supernis, que latus ejus percutiens in tibia ipsum apostemate pessimo vulneravit, et excitavit exterius ad meliora et magis pro anima necessaria requirendum. Cogitat prudens juvenis se esse exauditum de celo, et gaudet interius, licet in corpore exterius doloris immensi pungatur aculeo: patienter tamen portat corporis infirmitatem ut anime sanitatem conservet. Studet hec celeriter

(1) Praeclarum Monasterii sancti Benedicti fabrianensis archivum inter MDCCCLXI. et MDCCCLXIII. subtractum, haud deperditum, creditur.

(2) Ita venerabilis Andreas Jacobi de Fabriano coaevus dicti sancti fundatoris in *Vita sancti Silvestri abbatis*, cod. membr., anno 1280, ut creditur, conscripto. Haec Vita typis Bonelli edita fuit in urbe aesina a. 1772, quae iam autographa in archivo sancti Benedicti Fabriani asservabatur. Obiit sanctus Silvester die 26 novembris 1267: eiusque historicus, anno 1298 fuit Abbas Generalis renunciatus; ac Romae in monasterio sancti Gregorii, cuius reformationi iussu Ioannis XXII. operam navabat, decessit anno 1326, die prima augusti.

notificare parentibus et germanis, ut mittatur cito pro eo. Et quia per se pedester reverti non poterat, vulneris, sive plage qualitatem notificat, et ut asellum aut animal aliud pro ipso mittere procurarent. Receptis autem literis, dicti sui parentes et fratres tristantur plurimum; tristantur etiam convicini; et Nicholam ejus germanum, qui Johannem artius dirigebat, cum asino ad ipsum reducendum Bononiam transmiserunt (1).

c) Hugo quippe beatissimus de Oppido Serre sancti Quirici extitit oriundus, et domini Actonis filius: et quemadmodum puerulus tempore in corporeis artubus succrescebat etatis, ita morum et virtutum juge suscipiebat incrementum; idemque indolis et siquidem docilis erat, ob idque ut literarum studiis insudaret, ipsius genitor eum profecto imbuendum Bononiam destinavit; ibique post moram temporis admodum pauci et . . . . peritia cepit plurimum proficere. Sed cum ibidem multos ire per abrupta vitiorum cerneret, peneve omnigenis vitiis exuberantes, cogitatu sedulo authumare cepit, sic in suis alloquens precordiis: incassum laboro si ex earum studio cor meum illesum servare nequibo. Igitur literarum studio despecto, sublimioris profectus ardore succensus, nutu Dei divinaque sic disponente clementia, ad locum sancti Joannis de Saxoferrato venit festinus, ibique Silvestrum beatissimum nostri Ordinis inceptorem peculiari gratia humilitatis ornatum reperit (2).

VI.

Saeculo XIII.

Ex Bibliothecae Malatestiana caesenate, plut. II. sinistrorsum, ex cod. IV., saec. XII., qui continet *Summam Raymundinam* et alia, c. 268 (3).

Magister Moneta et magister Paganus et frater Albericus placentinus et frater Bartholomeus bononiensis, Fratres omnes predicti Ordinis Predicatorum, de communi concordia et voluntate consuluerunt quod in contractibus socidarum boum, innitis hinc retro ad quartam partem lucri et dampni, et non fuerunt alia inserta in contractu, quod ille qui concessit boves teneatur restituere ad salutem anime sue tres partes frumenti, quas recepit, sive quod recepit a rustico pro tribus partibus de quibus non erat periculum concedentis boves sed rustici. Et quartam partem frumenti teneatur sibi dare sicut fuit suum periculum pro quarta parte de bove mortuo vel deteriorato quocumque casu fortuito, etiam divino judicio. Rusticus paciatur periculum trium partium et teneatur ad solvendum illas tres partes domino, cum sit quodamodo mutuum, et habet naturam mutui pro illis tribus partibus dampnorum.

Item consuluerunt omnes predicti fratres quod contractus socide possit fieri licite sine macula pecati in hunc modum: talis concessit tali rustico ad laborandum ad quartam partem lucri et dampni duos boves precii xx. librarum ravennatorum, suscipiens in se dictus rusticus tres partes periculi. Dominus vero quartam partem quocunque casu fortuito dicti boves perierint, etiam divino judicio; et pro quarta parte laborerii dictorum boum promisit rusticus deferre ad domum domini x. corbes frumenti, et promisit dominus se esse contentum de dicta quantitate etiam si plus posset habere; et si contigerit quod dictus rusticus non possit dare dictam quartam partem, eo quod

(1) Idem auctor in Vita praedicti Beati, quae autographa asservabatur in archivo ut supra. Obiit autem beatus Ioannes die 24 martii 1290.

Praedictae Historiae hoc est initium: « *Johannes igitur predictus originem traxit de humili villa Paterni, Fabriani districtus: pater ejus vocabatur* BONELLUS, *mater vero* SUPERCLA ».

(2) Ex tribus antiquis membranis continentibus Vitam beati Hugonis discipuli sancti Silvestri abbatis, existentibus tempore quo Sarti et Fattorini scripserunt, in archivo monasterii sanctissimi Crucifixi Saxiferrati, et relatis in Actis canonizationis, summar. n. 8 Process., fol. 316.

(3) Haec in margine in principio codicis leguntur: « *Ista Summa Raymundi est Fratrum Minorum de Cesena post mortem fratris Jacobi de Cesena, et habetur littera magistri apud Guardianum dicti loci* ».

rustico non remanerent xxx. corbes frumenti pro tribus partibus laborerii boum illius anni, deductis laboribus et expensis circa boves, et opera predicti laborerii propter sterilitatem vel infirmitatem rustici vel bovis, vel alio casu fortuito, quod non teneatur dictus rusticus. Sed tamen teneatur pro rata, et si nichil lucretur in nichilum teneatur, sed teneatur dominus reddere sibi extimationem operarum laboris dicti rustici, et laborerii pro quarta parte, si rusticus perdidisset operas suas, et pro dicta probare teneatur rusticus per duos bonos et legales viros suos vicinos, qui jurent de credulitate, et ipse idem rusticus juret quod ita sit rei veritas.

Talis fuit confessus habuisse a tali x. libras ravennatorum ad laborandum in tali arte ad quartam partem lucri, et non dices ibi de dampno addito, et cum fuerit ad locum, ubi dicitur promittens restituere eidem dictam pecunie quantitatem cum dicta quarta parte lucri, sive eo minus quantam fuerit quarta dampni dices, sive eo minus quantum fuerit totum dampnum divino judicio vel casu fortuito sine ipsius debitoris culpa vel dolo in dicta mercatione secutum. Ego puto addendum: et eo minus quantum fuerit quod de suo expendit pro quarta parte et quantum capit quarta pars extimationis operarum. Vel sic; et eo minus quantum capiet quarta pars operarum et expensarum de suo factarum circa negociationem cum dicta pecunia exercendam. Vel non ponas illud verbum, scilicet: divino judicio, vel casu fortuito. Sed dicas sic: sive eo minus quantum fuerit totum dampnum, sine ipsius debitoris culpa vel dolo in dicta mercatione secutum, et sic poterit laborator deducere extimationem operarum et impendia que de suo fecit.

VII.

Saeculo XIV.

Ex opere cui tit. *Flores veritatis grammaticae,* a magistro Bertolutio composito saec. XIV., in cod. iam apud clariss. Io. Chrisost. Trombelli, abbatem sancti Salvatoris, nunc in Bibl. Universitatis bonon. inter codd. s. Salv., sub num. 2619, car. 3 r., 20 r. et 21 v. et 34 v. (1)

℄ Si autem loquimur de accusativo, qui regitur ex parte post, tunc est triplex, eo quod est vel terminus specificantis, vel est terminus transitionis, vel est terminus localis. Si loquimur de termino specificante, tunc sic dicatur: Cujus casus accusativi queritur, qui asignatur per modum specificantis esse importatum per verbum vel per participium in supposito, vel in subjecto accusativi casus, ut « *Petrum esse bonum* », et « *Petrum entem bonum* ». ℄ Si vero loquimur de accusativo, qui est terminus transitionis, tunc sic dicere debemus. Cujus casus accusativi queritur, qui asignatur per modum termini in quem aliquid transit, vel qui asignatur per modum finis transitus actus. ℄ Si vero loquimur de termino ad quem aliquid movetur vel ordinatur, tunc sic dicere debemus: cujus casus accusativi queritur, qui asignatur per modum termini localis vel finalis, ad quem aliquid movetur vel ordinatur. ℄ Et nota quod terminus ad quem potest duobus modis importari uno modo per unum modum significandi, et talis accusativus sine prepositione potest a verbo imperfecto regi, ut puta accusativus supini, ut « *vado amatum* ». Si vero importetur per duos modos, ut per prepositionem et terminum in quem, et tunc est per prepositionem, ut « *vado ad Bononiam* », et sic de similibus. ℄ Item nota, quod de accusativo, qui est terminus transitionis, talis datur regula: omne verbum vel participium significans per modum transeuntis in alterum congrue construitur cum accusativo qui significatur per modum termini in quem aliquid transit . . . .
. . . .

[In inferiori paginae margine, et in subsequentis superiori haec, ex alio operis codice addita sunt:]

Item nota, quod quando datur thema per participium quod non invenitur, tunc debemus recurrere ad infinitum verbi illius participij cum hoc verbo *sum, es, est;* et hoc dupliciter, quod

(1) De codicis scriptura sic cl. Sarti: « *Scriptus est adeo consertis et inter se colligatis literis ut vix alicubi legi possit. Sed de hac difficultate nec mihi nec ulli alteri dolendum magnopere est, cum, ut jam diximus, inepta plane et ridicula sint illa grammaticae praecepta quae in hoc codice traduntur, quamvis eorum Auctor celeberrimus per ea tempora haberetur. Ex paucis quae modo speciminis loco subijcimus, de caeteris dijudicari facile poterit* ».

vel cum relativo, si fit latinum, vel sine. Si fit latinum cum relativo, si substantivum illius participij per quod datur thema, habet respectum ad aliud verbum quam ad participium, fiet latinum substantivi ponendo relativum cum illo infinito illius participij loco suppositi, si est verbum passivum, vel loco terminationis, si est aliud quam passivum, ut in isto themate. « *Lo maistro servito va a la piaza. Magister cui aliquem fuit servire*, hoc totum est loco suppositi, *vel cui ab aliquo fuit serviri*, hoc est suppositum, *vadit ad plateam* »; vel in isto alio: « *Lo maistro amato va a la piaza: Magister, quem fuit amari, vadit ad plateam* »; vel sine relativo, si substantivum participij non habebit respectum nisi ad illud participium in themate ponendo illud substantivum loco suppositi illius infiniti, si est passivum, vel loco terminationis, si erit aliud quam passivum, et ordinare illud infinitum ad suppositum illius verbi fuit, ut in isto themate: « *Lo maistro è aprezato da li scolari: Magistrum fuit licere a scolaribus* », vel isto modo: « *Lo maistro è assalito da li scholari: Scholares fuit aggredi magistrum* ».

. . . .

Explicit Donatus per modos significandi compositus. Deo gratias. Amen.

[In fine:]

Expliciunt Flores veritatis gramatice compositi a magistro Bertolutio, fratre magistri Guiczardi Bononiensis, qui in partibus omnibus Lombardeque (1) Tuscie doctor doctorum in gramatica reputatur.

Johannes de Spoleto vocatur a Christo benedicatur.

Explicit

(1) *Sic.*

MONUMENTA

SPECTANTIA

AD CLASSEM ARCHIDIACONORUM ECCLESIAE BONONIENSIS.

I.

1105, 19 iulii.

Ex archivo Capituli Metropolitanae bononiensis, capsa B, num. I., doc. 11.

I[n nomine] s[ancte et i]ndividue Trinitatis. Anno Dominice incarnacionis millesimo centesimo quinto (1), quarto decimo kalendas augusti, indictione terciadecima. Ego quidem in Dei [nomi]ne Matilda Dei gratia cometipsa, filia q[u]ondam bone memorie Bonefacii ducis et marchionis, bono animo et voluntatis placet et convenit mihi, ut per hanc cartulam offersionis atque concessionis a presenti die do atque concedo in canonica sancti Petri bononiensis ecclesie, et vobis dominis Dominicus archipresbiter (2) et clarissimo Archidiacono vestrisque confratribus, qui nunc ibi sunt aut pro tempore fuerint, ad habendum, tenendum et possidendum communiter conversancium Fratrum, idest ecclesiam sancti Michaelis, que est sita juxta castrum Argelate cum omnibus ad eandem capellam pertinentibus, do, cedo, offero pro remedio anime mee et parentum meorum in perpetuum ad iura proprietate et [a]d utilitatem prefate Canonice sancti Petri. Insuper do, atque concedo medietatem (3) Masse Taurani cum pensione et renovacione, eo videlicet tenore quod in vita mea concesse[ritis] mihi decimacionem ipsius Masse et placitum et districtum, et de ipsius decimis, quas mihi reservo, volo atque concedo decimam partem predicte Canonice; post meum vero obitum in integrum totum concedo, scilicet decimas et placitum et districtum et cetera omnia in integrum jam dicte Canonice sancti Petri. Et hoc quod in me reservo, sicut superius legitur, nulli ominum (4) alienabo, neque per feodum, neque per nullam vim, ingenium, et ut neque per me neque per aliam sumissam personam abeatis (5) molestacionem, set omni tempore ab omni homine defensare et auctorizare promitto, alioquin tunc datura me p[romit]to ego prefata cometissa componere et dare pene nomine in argento denariorum lucensium libras centum predictis Canonicis et eorum successoribus, [et post penam solutam] predicto (6) in suo robore in perpetuum permanentem.

Actum in Episcopatu lucensi in loco, qui dicitur Gahlinganum, indictione suprascripta terciadecima. In presencia donni Bonniseniori, viri venerabilis regiensis episcopi, et capellanorum domine cometisse, scilicet Alberici et Froch[erii (7). . . . . .] perti et Johannis [Bo]n[i boniensis (8)]

(1) Deest « *decimo* ».
(2) *Sic.*
(3) Bis « *medietatem* ».
(4, 5 et 6) *Sic.*
(7) Vide: Ricci, *I primordii dello Studio Bolognese*, Bonon., MCCCLXXXVIII., doc. X. (1098), pag. 126.
(8) Op. cit., doc. XIII. (1103) et XV. (1104), pag. 130, 134, 135.

et in presencia judicum Ubaldi de Carp?neta et Boni judicis de Nonantula, in testimon[ium . . . .] domine cometisse . . . . longobardie quam Tussie, qui presentes interfuerunt, videlicet Sasso de Bibianello, Lamfrancus [. . . . .] clittus [. . . . . e]t Manfredus Cantellus de Motina (1) et Dominicus notarius de Baioaria comes eciam Uual[fredus Gand]ulfus [. . . . .]i. Et [A]to filius Pagani et Rolamdus filius Guiberti de Baciano † [. . . . .]sis ecclesie.

[Foris:] Carta concessionis ecclesie sancti Michaelis de Argelata.

II.

1130, 13 aprilis.

Ex archivo Metropolitanae Ecclesiae ravennatis, capsa F, n. 1914 (2).

In nomine Domini nostri. Anno ab incarnatione eius millesimo centesimo trigesimo, die terciodecimo mensis aprilis, indictione octava. Dum donnus Gualterius, venerabilis archiepiscopus sanctae ravennatis Aecclesiae, propter guerram et litem maximam, que erat inter populum ravennatem et populum bolondiensem, et ideo clerici et laici bolonienses non audebant secure venire Ravennam, ascendisset ad locum sancti Ioannis, qui dicitur in Perseceta, ut secundum institucionem et morem antiquisimum prefate ravennatis Aecclesiae Heinricum Electum boloniensem consecraret; cumque iam ad examinationem predictus donnus Gualterius archiepiscopus solempniter indutus cum episcopis suis sedens Dodone videlicet mutinensi, Iacobo faventino, Bennone corneliensi, Petro ficoclensi, presbiteris vero ravennatis Aecclesiae cardinalibus, scilicet Ioanne de Carda tituli sancte Marie Maioris, Leone tituli sanctae Agathe, Petro tituli sancti Michaelis, Guidone etiam archidiacono eiusdem sanctae ravennatis Aecclesiae, Rodulfo diacono, et Azone diaconis cardinalibus Bel[itto], Rambertino, Tusco subdiaconis, Heinrico, Alberto, presbitero Ioanne, Rainulfo cantoribus, Peregrino, atque Gerardo hostiariis eiusdem ravennatis Aecclesiae, Ioanne quoque venerabili priore portuensis canonice cum Gerardo diacono canonico, et Petro Ioanne de Azone converso eiusdem canonice, abbate quoque Ildebrando nonantulano, presbitero Alberto et Ugolino, clericis faventinis, et Guidone presbitero corneliensi, Odone diacono ficoclensi, presentibus etiam Lamberto archipresbitero, atque Rodaldo archidiacono boloniensis Aecclesiae, Heinrico de Sala, Attone diacono et Martino diacono, presbitero Catanio et Gerardo et Rainerio et Guidone Rainerii, Angelo, canonico boloniensis Aecclesiae, Raimundo, archipresbitero eiusdem plebis in Perseceta cum clericis suis, Petro, priore canonice sancti Victoris, presentibus quoque Grimaldo Perticone, Cavalcabove, Buvalello filio Ramberti de Geremia, Guezolo de Bangarola, Guiscardo Scuguzaprette, Alberto maistro de sancto Marino et filio Nucaniani cum multis aliis laicis boloniensibus, Alberto etiam de Sala, Falsabrina, Matheo, Odelrico, Alberto de Bonifacio Catancis, mutinensibus; in istorum omnium presentia, dum prefatus Electus Heinricus secundum ordinem canonice examinaretur, mota est questio ex parte boloniensium, ut Electus eorum consecraretur condicionaliter, salva iusticia boloniensis Aecclesiae; adversus quos donnus Gualterius archiepiscopus cum prefatis episcopis et clericis suis constanter respondit, se nunquam eum consecraturum aliter, nisi sicut predecessores sui archiepiscopi consecraverant predecessores illius electi sub omnimoda obedientia ravennatis Aecclesiae. Postquam autem causa iam satis esset ventilata, et veritate cognita, quod episcopatus boloniensis perpetui iuris esset sancte ravennatis Aecclesiae, atestante etiam Gerardo, cardinali sanctae romanae Aecclesiae tituli sanctae Crucis que altero nomine Ierusalem apellatur, qui ibi presentialiter aderat, quod Episcopatus boloniensis perpetui juris esset

(1) *Sic.*

(2) In copia saeculi XII. a me, maiori quam potui diligentia conlata. Cfr. Savioli, *Annali bolognesi,* vol. I., p. II., pag. 175, num. CXI.; Fantuzzi, *Mon. ravennati dei secoli di mezzo,* vol. VI., pag. 247, num. 411; Ficker, *Foschungen zur R. u. R. It.,* vol. III., pag. 184; Ricci, *I primordii dello Studio Bolognese,* pag. 96-97 e 175-178, num. XXXVI. (M.)

sanctae ravennatis Aecclesiae, et bolonienses nihil propter se rationis haberent adversus ravennatem Aecclesiam, nisi quod semper deberent hobedire, cum episcopo suo, sicut matri sue Metropolitanae Aecclesiae, sedata est contentio tota, et ita, divina cooperante gratia, prefatus Enricus Electus boloniensis consecratus est in episcopum sub perpetua et omnimoda hobedientia atque subiectione ravennatis Aecclesiae.

Ego vero Heinricus faventinus notarius, dum in his omnibus interessem, sicut vidi et audivi sicque complevi, et propria manu ad perpetuam noticiam scripsi.

[A tergo:] ⊂ Consecrecionis Episcopi bononiensis.

III.

1133, 7 maii.

Ex archivo sancti Joannis in Monte, nunc in Tab. Max. bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{2}{1342}$, doc. 31.

☧ In nomine sancte et individ[u]e Trinitatis, Henricus Dei gratia sancte bononiensis Ecclesie episcopus, licet indignus, servus servorum Dei, dilectis fratribus Alberio priori (1), et fratribus in ecclesia sancti Victoris, que juxta Bononiam sita est, divino servitio mancipatis tam presentibus, quam futuris in perpetuum. Aecclesiastice sollicitudinis pietas nos jugiter ammonet ut religiosas personas atque religionem Deo placitam studeamus modis omnibus augendo diligere et diligendo propagare. Numquam enim obsequium Deo gratum impenditur, nisi ex radice caritatis procedat et a religionis puritate undique custodiatur. Proinde, dilecti in Domino filii, vestris petitionibus clementer annuentes, ecclesiam sancti Victoris et ecclesiam sancti Johannis evangelistae posita (2) in monte Olivetj, in quibus divino vacatis officio (3), sanctae bononiensis Ecclesiae matris vestre nostro privilegio decrevimus muniendas. Ut igitur locorum vestrorum quies per Dei gratiam tranquilla et tuta persistat in suis rebus tam mobilibus quam immobilibus juste sibi pertinentibus in omnibus et per omnia sint libere ab omni condicione atque servitio seu tributo tam monachorum et clericorum quam laicorum, vel alicujus tam parve quam magne persone [sive domini]o, preter episcopale jus. Insuper vobis, vestrisque successoribus perpetualiter concedimus ut hoc quod modo ad jus, sive de jure nostrae sanctae bononiensis Ecclesiae habetis et detinetis, seu in futuro juste adquisituri estis, sive a quibuscumque aliis quomodocumque vobis aut vestris successoribus aliquid juste obvenerit, seu que ab aliis ecclesiis vel personis tam monachorum et clericorum, quam laicorum habetis ac detinetis, et in antea juste adquisieritis in decimis scilicet in primitiis, in aliis quibuscumque fidelium oblationibus tam vivorum quam defunctorum, terras quoque, vineas et oliveta, silvas, cum pratis et pascuis, piscationes, paludes, aquas, cum omnibus usibus earum, colonos et inquilinos, domnicatum et ordinatum, divisum et indivisum, cultum et incultum, omnia et ex omnibus cum universis usibus suis, tam fructifera quam infructifera, in montanis denique et in planis et ubicumque modo detinetis, vel quocumque jure habetis, aut in futuro habebitis vel adquisieritis cum scripto sive sine scripto. Hec autem omnia, sicut superius legitur, vobis vestrisque successoribus in eidem Aecclesiis manentibus, per hujus decretj paginam damus, concedimus atque largimur, et ab omni vinculo sive dominio, preter episcopale jus, libera et absoluta ab omni contradicente homine esse precipimus et in perpetuum concedimus atque firmamus. Vitae quoque canonice (4) ordinem, quem professi estis, presentis privilegii auctoritate roboramus, sancientes ut nemini inter vos professione exhibita liberum sit

(1) Alberii prioris frequens mentio est in tabulis archivi sancti Ioannis in Monte. Eius obitus in veteri *Necrologio Canonicorum sancti Ioannis in Monte* his verbis notatus est: « *VII. idus martii obiit dominus Alberius, reginus episcopus, qui fuit Prior noster MCCLXII.* »

(2) *Sic.*

(3) Legitur « *offocio* ».

(4) Legitur « *cononice* ».

sine tua vel eorum, qui post te in eodem regimine successerint, aut sine comuni congregationis licentia de claustro discedere. Quod si discesserit, et comonitus redire contempserit, tibi tuisque successoribus faccultas sit ejusmodi ubilibet a suis officiis (1) interdicere. Interdictum vero nullus archipresbiterorum, seu sacerdotum abbatumve infra nostrum episcopatum suscipiat. Sane clericos seculariter viventes ad conversionem suscipere nullius hominis nostri episcopatus contraditio vos inhibeat, quamdiu scilicet apud vos canonici ordinis tenor, Domino prestante, viguerit. Porro sepulturas locorum vestrorum omnino liberas esse jubemns, ut eorum, qui illic sepeliri se deliberaverint, devotioni (2) et extreme voluntatj, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Ordinationes clericorum, a quo malueritis catholico episcopo suscipere, locorum vestrorum fratribus permittimus, vel cum episcopum non habet bononiensis Ecclesia, vel quem habuerit, constat non esse catholicum. Laicorum etiam nostri episcopatus susceptionem, ad disciplinae videlicet regularis consersionem, nisi forte legalibus conditionibus teneantur obnoxii, a nullo vobis clerico sive laico permittimus interdici, vel clericorum tonsionem, qui regulariter in loco vestro vivere per professionem deliberaverint. Fructum autem vestrorum, nec non et terrarum decimas, quas terras ubilibet habetis, sine omni contraditione vobis concedimus obtinendas. Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat Ecclesias vestras temere ullo modo perturbare, aut earum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integrae conserventur, et ab omni vinculo et conditione atque tributo, sicut superius legitur, in perpetuum absolvantur. Si quis igitur, decreti hujus tenore cognito, temere, quod absit, contraire tentaverit, honoris et officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi presumptionem suam digna satisfactione correxerit. Amen. Amen. Amen.

(Rotula † episcopalis). Ego Henricus Bonnoniensis Episcopus mea manu scripsi. (*Monogramma:* BENE VALETE)

Rodaldus archidiaconus mea manu scripsi.
Lambertus archipbresbiter scripsi.
Johannes presbiter mea manu scripsi.
Guido presbiter mea manu scripsi.
Blasius presbiter mea manu scripsi.

Ego presbiter Capitaneus mea manu scripsi.
Atto diaconus mea manu scripsi.
[A]g[i]l[ulfu]s diaconus mea manu scripsi.
Martinus diaconus mea manus scripsi.

Ego Gerardus subdiaconus mea manu scripsi.

Datum Bononie per manus Pauli Romani vice nostri scr[i]ptoris, indictione xj., incarnationis Dominice anno M. c. xxx. iij. nonis madii, pontificatus autem domini Henrici anno iiii.to (3)

IV.

1156, 18 martii.

Ex arch. Metrop. Eccl. ravenn., lib. H, num. 3716.

In nomine Domini. Ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo septimo, temporibus domini Adriani pape et Frederici imperatoris, die octavodecimo mensis marcii, indictione quinta, Ravenne. Enricus, canonicus mutinensis Ecclesie, consecratus est episcopus in

(1) Legitur « *offociis* ».
(2) Legitur « *dovotioni* ».
(3) Pendet sigillum cereum literis exesis, imagine tamen extante episcopi casulati et mitrati, manibus extensis, et sinistra baculum pastoralem gerentis.

sancta mutinensi Ecclesia a domino Anselmo sancte ravennatis Ecclesie archiepiscopo, et missa expleta, accessit ad altare, in quo desuper erat librum Evangeliorum Dei, et posuit manum suam dextram supra ipsum librum, et dixit: « *Ab hac ora in antea ego supradictus Henricus Episcopus mutinensis Ecclesie fidelis et obediens ero sancte ravennati Ecclesie et domino meo Anselmo archiepiscopo consecratori meo, successoribusque eius canonice ingredientibus et consegratis, ita ut contra eam non agam, aut contra eum et successores suos, neque agentibus sensum prebeam, et inimicis suis et illorum masiente* (1) *ad suam et illorum damnitatem non sociabo. In festivitate autem sanctorum martyrum Apolenaris et Vitalis, excepta infirmitate* (2) *causa, aut contra canonica excusacione cum ordinibus mee Ecclesie obedienter occurrere promitto, nisi per suam suorumque successorum licenciam remaneam. Sibi quoque Anselmo ravennati archiepiscopo, et . . . . . honori, quem in Romania aut in Emilia habet, sive habere debet, successoribusque suis adiutor ero ad tenendum . . . . . . consilium, quod mihi credet per se vel per suum certum nuncium, ad suum damnum per nullum ingenium . . . ndas terras, paludes, piscarias, silvas, villas, castella, seu omnem immobilem possessionem . . . . . . Ecclesie mee, que per emphyteosim vel pactum ordinate non sunt, vel in futurum Ecclesie mee reciderint absque sua suorumque successorum licencia per emphyteosim vel pactum non ordinabo: legatos quoque sancte ravennatis Ecclesie vel suos successores per me transeuntes, aut ad me venientes . . . . . mihi notum fuerit . . . . . . susipiam et humaniter tractabo. Sic Deus enim adiuvet, et Sancta eius Evangelia* ».

Actum est hoc in presencia Alberti archidiaconi sancte ravennatis Ecclesie, et presbiteri Guarnerii . . . . Guidonis et Viviani diaconi, cardinalium, et magistri Mazolini, et Ugonis, quorumdam canonicorum ipsius mutinensis Ecclesie et Guidotti filii Manfre[di] . . . ardi de Rangone, et aliorum Mutine nobilium et ravennatum Guidonis . . . . . . et Guidonis de Ungarucio et Fantini pensaurensis . . . . . . doctoris et aliorum quam plurium quorum nomina longa sunt ad scribendum.

Ego Iohannes tabellio et notarius sancte ravennatis Ecclesie scripsi hoc . . . . . . omnia infrascripta ut vidi et audivi et interfui.

V.

1168, 30 decembris.

Ex archivo Capit. Metrop. bonon., nunc in Tab. Max. bonon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{20}{207}$, doc. 29 (3).

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Bonifatio archidiacono et Alberto archipresbitero ecclesie sancti Petri bononiensis eorumque fratribus, tam presentibus quam futuris canonice substituendis. In perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor equitatis et ordo exigit rationis, presertim quando petentium voluntatem pietas adjuvat, et veritas non relinquit. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prefatam ecclesiam sancti Petri, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: ecclesiam sancti Joannis Baptiste, ecclesiam sancte Marie in Montovalo, ecclesiam sancti Egidij juxta Savinam, ecclesiam sancti Petri in Castagnaolo, ecclesiam sancti Michaelis de Argelata, et plebem Medicine, ecclesiam sancte Marie de Vineis, et eccle-

(1) *Sic* pro « *maxenate* ».

(2) *Sic.*

(3) Cl. Sarti et comes Savioli (*Annal.*, vol. II., par. II., p. 7-9, n.° CXCIV.) bullam exscripserunt et « *Libro Arium* » Archivi Capitularis s. Petri Bonon. Nunc prodest ex originali bulla in Archivo Max. bon. servata.

siam [sancti] Laurentij, ecclesiam sancti Michaelis, que sunt in Medicina cum omnibus predictarum ecclesiarum pertinentiis; terram etiam cum domibus et sine domibus, que est circa ecclesiam sancti Petri vestri episcopatus, scilicet a meridie, vespere et septemtrione positis, terras que sunt juris Ecclesie vestre in septemptrione positas infra murum civitatis in loco qui hospitale vocatur, et extra murum usque ad viam sancti Thome apostoli, et a platea, que pergit ad eandem ecclesiam usque ad rivum, qui dicitur Avisa, omne domnicatum quod habetis et tenetis, tres quoque partes decimationum totius vestre plebis, scilicet sancti Petri episcopatus, cum omnibus primitiis et oblationibus vivorum et mortuorum, et quicquid in sancta vestra episcopali ecclesia offertur, seu in altari aut in pavimento ponitur, decimationem totius plebis de Buida, preterea quemadmodum bone memorie G. bononiensis episcopus ab honere expensarum, quas solebatis facere in eundo Ravennam ad synodum et redeundo, vos absolvit, sicut in autentico scripto exinde facto noscitur contineri, vos auctoritate apostolica absolvimus, et inposterum tam vos, quam successores vestros absolutos manere censemus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra et illibata conserventur eorum pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolice auctoritate et bononiensis Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dej et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit Pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(Rotula † pontificia) Ego Alexander, Catholice Ecclesie episcopus, subscripsi. (*Monogramma:* BENE VALETE)

† Ego Hubaldus, presbiter cardinalis tituli sancte Crucis in Ierusalem, subscripsi.

† Ego Johannes, presbiter cardinalis tituli sancte Anastasie, subscripsi.

† Ego Albertus, presbiter cardinalis tituli sanctj Laurentii in Lucina, subscripsi.

† Ego Boso, presbiter cardinalis sancte Pudentiane tituli Pastoris, subscripsi.

† Ego Petrus, presbiter cardinalis tituli sancti Laurentii in Damaso, subscripsi.

† Ego Johannes, presbiter cardinalis tituli sancti Marci, subscripsi.

† Ego Theodinus, presbiter cardinalis sancti Vitalis, tituli Vestine, subscripsi.

† Ego Bernardus Portuensis, et sancte Rufine episcopus, subscripsi.

† Ego Ardicio, diaconus cardinalis sancti Theodori, subscripsi.

† Ego Hugo, diaconus cardinalis sancti Eustachii juxta templum Agrippe, subscripsi.

Datum Beneventi per manum Gratiani, sancte romane Ecclesie subdiaconi et notarij, III. kalendas januarii, indictione j., incarnationis dominice anno M.° C.° LX.° VIIJ.°, pontificatus vero domni Alexandrj pape iij. anno decimo.

VI.

1206, 18 martii.

Ex arch. Capit. Metropol. bonon., in « *Libro Axium* », car. 11 (1).

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati sancti Proculi Bononie, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut dilecti filii archidiaconus, archipresbiter et Capitulum Bononie sua nobis insinuatione monstrarunt, statutum habent in eorum Ecclesia juramento vallatum, quo sunt astricti nullum eligere vel recipere in canonicum, nisi ad eum ordinem, vel superiorem, in quo fuerat cedens canonicus vel decedens, nec electum vel confirmatum in canonicum admittere ad perceptionem prebende, nisi primo se faciat promoveri ad ordinem ad quem receptus fuerit vel electus, nec permittere illum in primo receptionis sue anno percipere prebende sue proventus, preter victualia sola, sed proventus illius anni convertentur in canonicorum utilitates communes, neque permittere ipsum prebende sue fructus percipere, nec admittere ad communes tractatus capituli, nisi de premissis omnibus et singulis observandis juramenti vinculo se astringat. Ad hec de antiqua et approbata consuetudine hactenus in eadem Ecclesia est obtentum, quod Camare cedentium vel decedentium canonicorum ad successores non transeant, sed disponantur libere per Capitulum et etiam concedantur. Cum igitur statutum hujusmodi sit auctoritate apostolica confirmatum, et predicta consuetudo sit inibi hactenus pacifice observata, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus non permittas dictos archidiaconum, archipresbiterum et Capitulum super his ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum Perusii quintodecimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno nono (2).

VII.

1207, 22 augusti et 1213, 15 iunii.

Ex archivo Capit. Metropolitani bonon., nunc in arch. Max. bonon.,
sect. « *Demaniale* », num. $\frac{21}{208}$, doc. 13.

G[erardus] Dei gratia Bononiensis Episcopus, dilectis in Christo fratribus Henrico Archidiacono et Judici Archipresbitero et Universis Canonicis Bononiensis Capit[uli, [sa]l[utem] in D[omino]. Cum ex officij debito nobis commissi, ea que pacis sunt et concordie teneamur quadam manu solicitudin[is] (3) . . . . refutacionem, transacionem et concessionem de decimis plebatus Medicine, inter bononiense Capitulum [et] . . . . . Ubaldum Vicarium Plebis et alios clericos de Medicina et laicos ex altera, pro bono pacis amicabiliter . . . . [ut ex actis] Petri notarii continetur, volumus observari. Tenor autem instrumenti talis est et sic incipit: . . . .

Millesimo ducentesimo septimo, undecimo kalendas septembris, indictione de[cima] . . . . Capitulum bononiensis Ecclesie ex una parte, et clericos et homines de Medicina ex altera . . . . e[t] Capitulum bononiensis Ecclesie decimas possessionum Plebatus Medicine pertinere . . . . [l]ayci . . . . dicebant eas pertinere

(1) Cfr. Savioli, *Ann. bol.*, vol. II., par. II., pag. 277, num. CCCLXIX.

(2) Innocentii III. literis addimus alias Honorii III. anni MCCXXIII., quae pertinent ad similia Canonicorum Ecclesiae bononiensis Statuta.

(3) Hac in membrana multifori multa desiderantur.

ad Plebem Medicine, seu Buide, dominus Henricus . . . . fratribus suis scilicet presbitero, Alghisio, presbitero Taviano, presbitero Alberto, presbitero Pl. . . . . Anguisa, magistro Lamberto, magistro Johanne suddiaconibus et domino Guidoni . . . . [fecerun]t finem et refutacionem et transacionem et concessionem perpetuam et inre[vocabilem . . . .] Vicario Plebis de Medicina recipienti pro se et suis in predicta Plebe suc[cessoribus] . . . . decimarum que sunt in Curte Medicine et in ejus Plebatu, preter quam de decimis . . . . [privile]gio et eorum Curtis et pertinenciis. Quas decimas integre retinuit pro Ecclesia bononiensi et concessit eidem presbitero Ubaldo recipienti nomine dicte Plebis, omne jus et accionem, quod et quam Ecclesia bononiensis sive Capitulum bononiensis Ecclesie habebat vel habere credebat in quarta decimarum Curtis Medicine, promittens ei sibi legitime defendere et auctorizare, nec contravenire per se suosque in presenti et in futurum successores suppena (1) centum librarum imperialium presbitero Ubaldo recipiente et stipulante nomine dicti Plebatus, qua pena soluta si commissa fuerint, omnia predicta in sua permaneant firmitate, et dictus presbiter Ubaldus . . . . [pre]sencia, domino judice bononiensis Ecclesie, et dicte Plebis Medicine Archipresbitero prestante ei auctoritatem et presente . . . . . , [pre]sente presbitero Viviano capellano sancti Laurentii de Medicina, procuratore et sindico clericorum de Medicina . . . . lungo procuratore singulorum hominum de Medicina et consenciente, idem presbiter Ubaldus fecit finem [et r]efutacionem et transsaccionem et concessionem perpetuam et inrevocabilem domino Henrico bononiensi Archidiacono recipienti pro se et fratribus suis nomine bononiensis Ecclesie [pro] tribus partibus decimarum Curtis Medicine, retenta sibi quarta pro ipsa Plebe et de decimis integre Podii et Treforc[is] et Gagii et eorum Curtis et pertinentiis in quibus nichil predicta Plebe retinuit, et omne jus et accionem quod et quam dicte plebes de Medicina vel ipse nomine Plebis habebat vel habere credebat in dictis tribus partibus decimarum Curtis Medicine et universis decimis de Podio et Treforcia et Gagio et eorum curtis et pertinenciis, dicto domino Archidiacono recipienti pro dicta Ecclesia bononiensi refutavit et concessit atque cessit, promittens omnia legitime dicta defendere et autorizare Ecclesie bononiensi, nec contravenire per se suosque in predicta Plebe Medicine successores sub jam dicta pena centum librarum imperialium a partibus solemniter inter se stipulata et pro[missa], si comissa fuerint, omnia predicta in sua permaneant firmitate. Et ita convenerunt . . . . ne colligantur communiter per Nuncios Ecclesie Bononiensis et Plebatus de Medicina . . . . udantur, ita quod Plebatus de Medicina habeat quartam partem, et Ecclesia bononiensis . . . . [cur]tis Medicine.

¶ In claustro sancti Petri bononiensis indictione predicta decima.

. . . . Abbas sancti Michaelis de Medicina, dominus Pilius, doctor legum, presbiter Lambertus, sacrista, magister Bonadies, H. . . . . clericus . . . . . . sancti Cassiani, Guazus serviens magistri Odonis, Tomarellus, Bontalentus, Cardinalis, Dominicus Conversus, Palmerius sancti Laurentij in Collina, Arzuffus, Gerardus Taurexe, Guarinus de Medicina et alii multi rogati sunt testes.

Ego Petrus Miniator ex auctoritate domini Imperatoris notarius his omnibus interfui et scri[psi] et *magistro Lamberto* interlinealiter emendavi. Ego Thomas Alberici Petri Alberici notarius secundum quod vidi scriptum per manum Petri Miniatoris notarii, ita exemplavi fideliter.

Quia igitur ea que fiunt a subditis roborari desideratur a prelatis, nos dictam finem, refutacionem transsaccionem, sicut supra legitur, presentis scripti (2) munimine roboramus et confirmamus, statuentes ut liceat nulli dicte transsaccioni et nostre confirmacioni contrahire. Si quis autem ipsam transsaccionem infringere ac nostre confirmationi contraire presumpserit, maledicionem omnipotentis Dei et nostram excomunicationem se noverit incursurum; excomunicam[us] enim omnem hominem qui hanc transsaccionem, pro bono pacis et concordie factam, nec non et confirmationem nostram tem[e]rario ausu aptentav[erit anu]lare.

Actum in palatio prelibati Episcopi presentibus prefato Archidiacono, Iu[liano] presbitero, presbitero Alberto, magistro Iohanne, magistro Andrea et magistro Odone canonicis bononiensibus, millesimo [ducentesimo] xiij., xvij. kalendas iulii, indictione prima . . . .

(1) *Sic.*
(2) Legitur: « *scriptis* ».

Marani, presbiter Georgius, presbiter Gerardus plebis Pastini et Martinus serviens dicti domini Episcopi, hu[ic refutaccioni et transaccioni] testes interfuere . . . .

[Ego] Petrus miniator, ex auctoritate domini Imperatoris notarius, huic confirmationi facte a prenominato Ep[iscopo interfui, et eius] mandato scripsi, et prefatum instrumentum transsationis per manum meam scriptum de verbo ad verbum huic confirmationi interseruj. Ego Thomas Alberici Petri Alberici, notarius, secundum quod vidi scriptum per manum Petri miniatoris notarii ita scripsi et fideliter exemplavi.

VIII.

1210, 13 octobris.

Ex tom. XXVII. *Cod. dipl. Eccl. bonon.*, num. XXVI.

Innocentius papa III.(1) Priori sancti Joannis in Monte bononiensi, et archipresbitero de Campo Gall[i]ano, mutinensis diocesis, et G., doctori decretorum, Bononie commoranti.

Ex literis pie memorie Uguccionis episcopi et dilectorum filiorum archipresbiteri et prepositi ferrariensium, intellixerimus quod cum olim inter B. tunc Abbatem et monachos sancti Bartholomei de Ferraria gravi dissensione suborta, ipsi omnes, communicato consilio, in eundem Episcopum compromiserint, jurantes in omnibus ejus observare mandata quecumque faceret pro statu ipsius Ecclesie reformando; proponentibus demum monachis et conversis quod sub ejusdem Abbatis cura numquam proficere posset Ecclesia memorata, idem Abbas in manu ipsius Episcopi administrationi et Abbatie spontaneus resignavit, assentiens quod alius eligeretur ad ipsam. Ejus itaque cessione recepta, dictus Episcopus annuam sibi prebendam cum consensu constituit monachorum, quandam nihilominus ei capellam assignans, et curam sibi conferens animarum. Cumque postmodum Capitulum vota sua in duos Fratres et prefatum Episcopum contulisset, ipsi Sancti Spiritus gratia invocata, dilectum filium Johannem tunc priorem sancti Danielis, virum idoneum, elegerunt concorditer in Abbatem, sub cujus tandem regimine cum Ecclesia proficere incepisset, memoratus B., diabolica suggestione compulsus, ad abbatiam, cui sic renuntiarat, aspirans, literas apostolicas ad Archipresbiterum de Greczano subripuit, facti premissi tacita veritate. Qui rationabiles substituti Abbatis exceptiones recusans admittere, per procuratorem suum probare volentis literas ipsas fuisse per mendacium impetratas, post appellationem ab eodem procuratore ad nostram audientiam interpositam, lite non contestata, pro sepe dicto B. temerariam sententiam promulgavit, precipiens eam per Abbatem nonantulanum et quosdam alios executioni mandari. Et licet idem Abbas appellationem suam postmodum prosecutus, ad Abbatem sancti Michaelis apostolicas literas obtinuerit super eam, nihilominus tamen prefatus B. ipsum non desiit per quasdam literas molestare, quas super confirmatione prelibate sententie se a nobis obtinuisse dicebat. Quapropter ad presentiam nostram memoratus Johannes abbas accedens, non tam sibi, quam commisse sibi Ecclesie petiit provideri, que hujus occasionis pretextu graviter lesa est, et gravius ledenda timetur. Volentes igitur indemnitati et paci ejus, sicut tenemur, adesse, discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus inquisita et cognita veritate, si dictum B. taliter abbatie ipsi renuntiasse constiterit, revocantes in irritum quicquid per literas per ipsum vel pro ipso, subreptas inveneritis attentatum, silentium super hoc ei perpetuum imponatis, et pro eo quod abusus gratia sibi facta, repetendo improbe prelaturam cui spontanee resignarat, Ecclesiam suam enormiter asseritur offendisse, compellatis eundem, prebenda et capella memorata dimissa, vacare artius regularibus disciplinis, ac predictum Abbatem administrationis et loci sui faciatis pacifica possessione gaudere; contradictores, si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes etc. duo vestrum ea etc.

Datum Laterani iij. idus octobris, anno xiij.

(1) Ep. CXL. Innoc. III., an. MCCX., XIII. octob.

IX.

1211, 12 octobris.

Ex eodem tomo, num. XXVII.

Innocentius papa III. (1) Abbati sancti Stephani bononiensis, et magistro Gratia (2), decretorum doctori, Bononie commoranti.

Illius testimonium invocamus, qui testis est in celo fidelis, quod quantum ipse nobis dignare donatur, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, negotia, que ad Sedem apostolicam perferuntur, cum puritate ac honestate tractari ac expedire curamus, venalitatis vitium, quod ex cupiditate procedit que radix est omnium vitiorum, omnimodis detestantes; sicut etiam illi possunt perhibere testimonium veritati, qui pro diversis negotiis exequendis ad romanam Ecclesiam frequenter accedunt, quam per divini muneris gratiam ab hujusmodi labis contagio servare satagimus expiatam, ut quod gratis accepimus, gratis demus, nullatenus substinentes, quod in causis ecclesiasticis aliqua pactio, vel conventio, seu etiam promissio intercedat; quatenus si quid interdum post finem negotii fuerit exhibitum, non per necessitatem extortum, sed per devotionem appareat esse collatum. Verum mirari cogimur, et moveri super eo quod ab alexandrino Episcopo didicimus attentatum, et juramento quod ipsemet prestitit in causa que inter ipsum et quosdam mercatores romanos coram vobis ex delegatione nostra extitit ventilata; qui cum ab eo quandam repeterent pecunie quantitatem, quam Rome suis procuratoribus mutuaverant literas ejus habentibus de mutuo contrahendo, ipse suum recognoscens esse sigillum, quod literis erat impressum, sed negans eas de sua conscientia processisse, constanter asseruit quod centum libras ei solverat pro expensis, et potestatem illis concesserat ut si possent forsitan obtinere quod Ecclesie, que ad alexandrinam Ecclesiam, sicut olim statutum fuerat, accedebant, ire ad eam minime tenerentur, et quod si idem Episcopus octo locorum Ecclesie pacifice possideret, usque ad centum quinquaginta libras mutuum contrahere liceret eisdem; si vero impetrare possent ut omnes possessiones ecclesie sancti Martini de Foris ad alexandrinam Ecclesiam pertinerent, usque ad trecentarum librarum summam possent libere a mercatoribus mutuare. Ex his quidem evidenter apparet quid de nobis idem Episcopus senserit, quos ad bona ecclesiastica concedenda per interventum pecunie induci posse putabat quidve dari mandaverit pro bonis ecclesiasticis obtinendis, cum expresse taxaverit quantam pro istis et quantam pro illis possent pecuniam mutuare. Quia vero non solum a malo, sed ab omni specie mali precepit apostolus abstinere, nos zelo ecclesiastice honestatis accensi, tante presumptionis ac turpitudinis malum corrigere cupientes, per apostolica vobis scripta precipiendo mandamus quatenus, auctoritate nostra suffulti, prefatum Episcopum ab executione pontificalis et sacerdotalis officii, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, publice suspendatis, ut ejus exemplo similia ceteri agere pertimescant, facientes sententiam suspensionis hujusmodi per censuram ecclesiasticam firmiter observari.

Datum Laterani IV. idus octobris, [pontificatus nostri] anno XIV.

X.

1213, 26 novembris.

Ex arch. Max. bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{19}{955}$, doc. 24.

Anno Domini millesimo ccxiij., die v. exeunte novembri, indictione prima. In presentia et testimonio domini Henrici Electi bononiensis, magistri Bonidiei . . . . Alberici notarii, domni Ysnardi, domni Marsilii Filicari, Rolandini Bonincambii, Arardi, Graziani de Cazettis etc. merca-

(1) Ep. CXIV. Innoc. III., an. MCCXI., XII. octob.
(2) Legitur « *Gregorio* ».

torum Bononie, et aliorum multorum. Domnus Azo, abbas sancti Stephani Bononie, numeravit, dedit et tradidit fratri W[illielmo], familiari domini Pape, nomine ipsius domini Pape ex parte regis Portugallie, tria millia aureorum marrochinorum duo (1) minus, et ex parte Ulixbonensi Episcopi cccc. obolos aureos. Item ex parte Archiepiscopi Toletani, aut Archiepiscopi sancti Jacobi, quingentas unas musimutinas duplices. Item in alia parte ex parte predictorum Episcoporum cxiij. duplices, et ccclxxiiij. sinplices. Item sequenti die prima in civitate Bononie in camara ipsius abbatis, in presentia et testimonio domni Marsilii, domni Jacobi archidiaconi ravennatis, Henregicti clerici canonicorum sancti Petri, fratris Viviani templarii, Brixiani Pistoris, Zanelli de Sabina et Rainuzini de Varegnana, prefatus abbas dedit et tradidit prefato W[uillielmo] fratri, familiari domini Pape, unum pallium ad cooperiendum altare vel lectum, cum iiij.^or toalliolis et obbam (2) auream et duas obbas argenteas deauratas ad opus Domini, ex parte Regis Castelle, secundum quod ipse Abbas credit. Que omnia suprascriptus Abbas dedit et tradidit prefato W[illielmo] recipienti nomine domini Pape, sicut suprascriptum est et ipse recepit.

Prenominatus frater W[illielmus], ut supra legitur, una cum iam dicto Abbate scribere rogaverunt.

Forma literarum quas habebat prefatus W[illielmus] cum bulla domini Pape hec erat: « Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis . . . . . . sancti Stephani, ... sancti Proculi abbatibus, priori sancti Joannis in Monte, et . . . . . domus Hospitalarii Jerosolimitani, et . . . . domus militie Templi magistris Bononie salutem et apostolicam benedictionem. Presentium vobis auctoritate mandamus, quatenus quicquid penes vos nomine nostro depositum, dilecto filio fratri W[illielmi] familiari nostro presentium latori sine difficultate qualibet assignetis, nobis quicquid et quantum eidem singuli assignabitis fideliter rescripturi. Datum Laterani tertio kalendas novembris, pontificatus nostri anno sextodecimo ».

(L. † S.) Ego Canbius, sacri palatii notarii, omnibus supradictis interfui et scripsi, et bullam vidi, et emendavi *prefatus abbas* interlinialiter.

XI.

1214, 14 septembris.

Ex arch. Max. bon., in *Registro Grosso,* car. 208 r.° et v.°

Anno Dominice nativitatis millesimo CC. xiiij., die dominico xiiij. intrante septembri, indictione ij.^a, in palatio Communis Bononie presentibus testibus, quorum nomina inferius declarantur, et aliis quampluribus, dominus Rodulfus Guidonis Bergognonis, comes, Bononie Potestas, voluntate et parabola hominum Consilii Credentie civitatis Bononie ad campane sonitum in palatio Communis Bononie congregati una voce clamantium et dicentium quod infrascripta promittentur pro Communi et nomine Communis Bononie, promisit domino Ubaldo, Dei gratia sancte ravennatis Ecclesie Archiepiscopo, vice Christi et nomine illarum personarum que crucem acceperint et ire voluerint ultra mare pro recuperanda Terra sancta et sanctissima Cruce ad honorem Domini nostri Jesu Christi, scilicet pro illis de civitate Bononie et districtu cum fuerit generalis transitus, sive passadium, dare pro Communi Bononie omnibus de civitate Bononie et districtu euntibus expensas omnes pro eorum armis et rebus portandis a civitate Bononie usque Venetias, vel ad alium locum ad quem ire poterint cum eorum rebus, pro tanto precio quanto Venetias portarentur, et a Venetiis, vel ab illo loco quo naves intraverint, dabunt comune naulum similiter quo res et persone eorum veantur usque ad terram ultramarinam et ut supra legitur, ut dictum est, voluntate et parabola hominum Consilii, nomine Communis Bononie promisit dicto domino Archiepiscopo ipse dominus Ro[dulfus] comes, Bononie Potestas, quod Commune adtendet et servabit.

℄ Actum, ut dictum est, in civitate Bononie in palatio Communis, indictione predicta secunda, prefato domino Rodulfo comite, Bononie potestate, voluntate hominum Consilii et ipsis

(1) *Sic.*
(2) *Obba,* id est: *ampulla.*

hominibus scribere mandantibus. ℭ Interfuerunt dominus Henricus Bononie Episcopus, donnus Judex archipresbiter sancti Petri, magister Tancredus decretorum, atque magister Rolandus prepositus Ecclesie ravennatis, et magister Martinus et donnus Albertus, canonici sancti Petri de civitate Bononie, donnus Jacobus archidiaconus ravennas, et donnus Gerardus prepositus Ymole, et donnus Albertus presbiter et cardinalis Ravenne, et presbiter Bonencontrus sancti Ypoliti de civitate Bononie, et Carbonus notarius, atque Parens notarius Potestatis, et Bernardinus Nicholai et Jacobinus Pelegrini et Ubertinus de Mutina et Pelegrino de Gisso et Guililmus (1) et Grimaldus notarius curie Comunis Bononie et alij quamplures, de quibus suprascriptis duo instrumenta scripta sunt, unum, quod habet dominus Archiepiscopus, et istud pro Communi Bononie, uno eodemque tenore.

(L. † S.) Ego Pascalis, sacri palatii notarius, his interfui et, ut supra legitur, mandato dicti domini Rodolfi comitis Bononie Potestatis, et parabola et voluntate hominum Consilii subscripsi (2).

XII.

1219, 28 martii.

Ex tom. XXVII. *Cod. dipl. Eccl. bon.*, num. XL.

Honorius papa III. (3) Clero et populo civitatis et diocesis bononiensis.

Cum dilecto filio magistro Gratia, capellano nostro archidiacono vestro, duxerimus indulgendum, ut, non obstante aliqua consuetudine que canonicis obviat vel derogat institutis, officium et jurisdictionem archidiaconatus, sicut ad eum secundum canonica instituta vel approbatam consuetudinem dignoscitur pertinere, libere ac plenarie, submoto cujuslibet contrario, etiam apostolico obstaculo, presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus quatenus eidem archidiacono, vel ejus vicario, in hiis que ad officium et jurisdictionem archidiaconatus sui de jure vel approbata consuetudine pertinere noscuntur obediatis devote, ac humiliter intendatis. Alioquin noveritis quod sententiam, quam idem archidiaconus rationabiliter tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.

Datum Laterani quinto kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

XIII.

1219, 22 aprilis.

Ex eodem tomo, num. XLI.

Honorius III. (4) magistro Gratie capellano nostro, Archidiacono bononiensi.

Ne jura bononiensis Ecclesie minuantur, si non sit qui specialiter habeat curam ejus, in Capitulo ejusdem Ecclesie plenam et liberam administrationem spiritualium et temporalium tibi tuisque successoribus duximus, auctoritate presentium, concedendam, ut tu idemque successores tui administrantes in eadem Ecclesia, cum necesse fuerit, corrigatis et reformetis ac statuatis, sicut queque pro tempore suo cognoveritis officio indigere: contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuras ecclesiasticas, submota appellatione, compescendo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Rome apud sanctum Petrum, decimo kalendas maij, pontificatus nostri anno tertio.

(1) *Sic.*

(2) In margine: « *Promissio facta Archiepiscopo Ravenne pro illis qui vadunt ad recuperandum Terram Sanctam* ».

(3) Ex reg. II. Honorii III., ep. 372, fol. 78, MCCXIX., XXVII. martii.

(4) Ex reg. II. Honorii III., ep. 410, fol. 85, MCCXIX.. XXII. aprilis.

XIV.

1219, 22 aprilis.

Ex eodem tomo, num. XLIII.

Honorius III. (1) magistro Gratie, capellano nostro, Archidiacono bononiensi.

Auctoritate presentium tibi, tuisque successoribus indulgemus, ut, non obstante aliqua consuetudine, que canonicis obviat vel derogat institutis, officium et jurisdictionem archidiaconatus, sicut ad vos secundum canonum instituta vel approbatam consuetudinem dignoscitur pertinere, libere ac plenarie, submoto cujuslibet contrario etiam apostolico obstaculo, exequi valeatis: contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Rome apud sanctum Petrum, decimo kalendas maij, pontificatus nostri anno tertio.

XV.

1219, 22 aprilis.

Ex eodem tomo, num. XLIV.

Honorius III. (2) Episcopo bononiensi.

Presentium tibi auctoritate precipiendo mandamus et districtius inhibemus, ne causas ecclesiasticas et alia, que debent secundum canonica instituta, vel approbatam consuetudinem per dilectum filium bononiensem Archidiaconum expediri, cuiquam expedienda committas, sive per alios exequaris, non obstante super hoc aliqua consuetudine, que canonicis obviat et derogat institutis. Alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Episcopo imolensi et dilectis filiis faventino et imolensi Prepositis in mandatis dedisse, ut te ab injuria ipsius Archidiaconi, super hijs monitione premissa, per censuras ecclesiasticas, appellatione remota, compescant.

Datum Rome apud sanctum Petrum, decimo kalendas maij, pontificatus nostri anno tertio.

XVI.

1219, 22 aprilis.

Ex eodem tomo, num. XLII.

Honorius III. (3) magistro Gratie, capellano nostro, Archidiacono et Capitulo bononiensi.

Ex parte vestra nobis extitit supplicatum, ut cum in capellis plebatus bononiensis et plebatus Medicine, ac sancte Marie de Monteovolo, sancte Marie de castro sancti Petri, sancti Petri de Castagnolo Minore, et sancti Michaelis de Argelata, ecclesiis diecesis bononiensis jus instituendi habere noscamini, corrigendi et destituendi facultatem nec non jurisdictionem plenam dignaremur vobis vestrisque successoribus concedere in eisdem. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati benigne vobis concedimus postulata, auctoritate presentium statuentes, ut Archi-

(1) Ex reg. Honorii III., ep. 370, fol. 78, MCCXIX., XXII. aprilis.
(2) Ex reg. II. Honorii III., ep. 371, fol. 78, MCCXIX., XXII. aprilis.
(3) Ex reg. II. Honorii III., ep. 411, fol. 85, MCCXIX., XXII. aprilis.

diaconus, qui pro tempore fuerit, quem post Episcopum constat esse caput Capituli, cum ibidem ressidentiam fecerit, predicta exerceat ipsius vice Capituli, sicut queque suo cognoverit officio indigere, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuras ecclesiasticas, submota appellatione, compescendo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Rome apud sanctum Petrum, decimo kalendas maij, pontificatus nostri anno tertio.

XVII.

1219, 28 iunii.

Ex tomo XLIII. *Cod. dipl. Eccl. bon.*, num. XVII.

Honorius, servus servorum Dei (1), dilecto filio Archidiacono Bononiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sepe contingat ut minus docti ad docendi regimen assumantur, propter quod et doctorum honor minuatur, et profectus impediatur scholarium volentium erudiri, nos eorumdem utilitati et honori prospicere cupientes, auctoritate presentium duximus statuendum, ut nullus ulterius in civitate predicta ad docendi regimen assumatur, nisi a te obtenta licentia, examinatione prehabita diligenti, tu denique contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas.

Datum Rome IV. kalendas julij, pontificatus nostri anno III.

XVIII.

1219, 28 octobris.

Ex eodem tomo, num. XLV.

Honorius III. (2) magistro Gratie, capellano nostro.

Cum in Lateranensi Concilio provida fuerit deliberatione statutum, ut postquam quis electus fuerit ad episcopatum et electionis confirmationem acceperit ac ecclesiasticorum bonorum fuerit ministrationem adeptus, decurso tempore de consecrando Episcopis a canonibus diffinito, de ipsius electi beneficiis is, ad quem spectare dignoscitur, liberam disponendi habeat facultatem, et secundum canonicas sanctiones, si consecrati in Episcopos ex aliqua causa, dummodo sine culpa sua, non recipiantur a Parrochijs ad quas fuerint consecrati, possint in honore prius habito residere, ne contingat eos interim, quod esset absurdum, acephalos inveniri, nos volentes alijs malignandi materiam amputare, et tibi, quem dilectionis prerogativa diligimus, precavere, precipue propter viarum et maris discrimina et quia terra ultramarina majori, quam cetere terre, discrimini subjacet, discretioni tue, auctoritate presentium duximus concedendum, ut Ecclesias, seu beneficia tua, sicut hactenus tenuisti, tamdiu, cessante cujuslibet contradictione, retineas, donec Ecclesie antiochene, ad cujus curam et regimen electum te canonice duximus confirmandum, plenam et pacificam personaliter possessionem adeptus fueris corporalem, districtius inhibentes ne quis interim presumat tibi beneficia ipsa subtrahere, aut te super illis aliquatenus molestare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Viterbii quarto kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

(1) A. C. MCCXIX., XXVIII. iunii.
(2) Ex reg. II. Honorii III., ep. 587, fol. 186, MCCXIX., XXVIII. octobris.

XIX.

1221, 16 aprilis.

Ex eodem tomo, num. LIII.

Honorius III.(1) magistro Gratie capellano nostro, Archipresbitero et Capitulo bononiensi.

Ea, que provide per ecclesiarum prelatos aguntur, ne aliquorum malitia temere impugnentur, expedit apostolico munimine roborari. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris supplicationibus inclinati donationem de decimis, et de ecclesia sancte Marie et de castro sancti Petri et de censu ab ecclesia sancti Antonij debito, nec non de fundo quodam qui dicitur Sanguineta a bone memorie G[erardo] bononiensi Episcopo vobis factam, sicut est provide celebrata et in istrumento publico inde confecto plenius continetur, vobis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, ecclesiarum parrocchialium jure salvo circa decimas de possessionis acquirendis. Ad majorem autem rei evidentiam, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus duximus inserendum, qui est talis:

« G[erardus] Dei gratia Bononiensis Episcopus, dilectis in Christo fratribus Henrico archidiacono, et Ju . . . . archipresbitero, et universis Fratribus bononiensis Capituli presentibus et futuris in perpetuum. Cum speciali prerogativa bononiense Capitulum teneamur diligere, profectibus ejus intendere volumus et honori, ea propter dilecti in Christo fratres Henricus archidiaconus et Ju . . . . archipresbiter et universi ejusdem Capituli fratres, precibus vestris grato concurrentes assensu, damus et concedimus et presentis scripti pagina confirmamus, recipientibus vobis nomine ipsius Capituli, jus petendi et recipiendi decimas, et ipsas decimas omnium possessionum tam novalium, quam aliarum, que jure proprietatis vel emphiteotico, vel alia concessione ad Capitulum bononiense pertinent, vel in futuro pertinebunt in toto bononiensi Episcopatu, excepta Curia Centi et Maximatici et Podij, que possessiones per alios clericos vel laicos detinentur a Bononiensi Capitulo in emphiteosim vel alio modo, ut dictarum possessionum decimas possitis percipere et a quolibet possessiones vindicare. Item damus et concedimus vobis pleno jure ecclesiam sancte Marie de castro sancti Petri, quod est juxta Sellarum, et censum nobis debitum ab ecclesia sancti Antonij, sita juxta Savinam in Bononiensi plebatu, et jus institutionis, correctionis, reformationis, quod in ipsis ecclesiis et hospitali, atque ponte ejusdem ecclesie sancti Antonij, et omne aliud jus quod in eis habemus. Et insuper damus vobis et concedimus jure proprietatis quemdam fundum terre in integrum positum in pertinentiis Argelate in loco qui dicitur Sanguineta juxta Galeolum, qui est de jure dicti Capituli, salva tamen concessione et datione, quam fecimus dilecto fratri nostro bononiensi Archipresbitero in vita sua, ut post ejus obitum liceat vobis jure proprietatis ac dominij dictam terram emphiteotis possessionibus revocare et in emphiteosim dare, pensiones et decimas percipere, et proprietatis illius fundi constituimus vos possidere. Et quia volumus hanc nostram dationem et concessionem a nobis et successoribus nostris inviolabiliter observari, promittimus vobis recipientibus nomine dicti Capituli, et stipulationem solvere nomine pene centum marchas optimi argenti, si nos vel successores nostri hanc concessionem et dationem infringere tentaverimus, et soluta pena, hec datio et concessio in sua permaneant firmitate; et insuper decernimus ut nulli omnino laico vel clerico liceat huic nostre concessionis pagine contraire, et si quis temerario ausu hoc facere scienter vel ignoranter attemptaverit, si tertio admonitus se non correxerit, excommunicationem nostram, sub qua ne id fiat precipimus, et maledictionem Dei omnipotentis se noverit incursurum. Hanc autem paginam, licet sit manu publica scripta, ne de hac concessione et datione quis dubitet, nostri sigilli fecimus munimine roborari.

Actum in palatio Episcopi millesimo ducentesimo decimotertio, die quarta intrante novembri, indictione prima, presentibus presbitero Georgio Raynucio, scriba ipsius Episcopi, Jacobino, prenominati Episcopi camerario, et Martignone, prelibati Episcopi serviente ».

(1) Ex reg. III. Honorii III., ep. 631, fol. 124, MCCXXI., XVI. aprilis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani sextodecimo kalendas maij, pontificatus nostri anno quinto.

XX.

1221, 13 iunii.

Ex eodem tomo, num. LV.

Honorius III. (1) Episcopo et Capitulo bononiensi.

Dignum est ut nos inveniatis promptos ad gratiam, qui vos in devotione Sedis Apostolice pronos satagitis exhibere, ut exhibitus vobis favor vos ostendas existere gratiosos et ipsi magis, ac magis studeatis vos reddere gratie aptiores. Vestris itaque supplicationibus inclinati auctoritate vobis presentium indulgemus, ut quamprimo Archidiaconatum bononiensem vacare contigerit, ipsum infra tempus a jure vobis indultum de persona idonea, que tanto congruat oneri et honori, vos communiter vel divisim, prout de jure vel consuetudine ad vos pertinere noscitur, ordinetis. Auctoritate presentium nihilominus statuentes ut Archidiaconus, qui pro tempore fuerit, nisi absens pro negotijs et evidenti ejusdem Ecclesie utilitate fuerit, Archidiaconatus proventus in absentia non percipiat, nec officium suum alij committere valeat exequendum, si, absente Archidiacono vel Archidiaconatu vacante, officium exequamini, et percipiatis proventus, sicut ad vos communiter pertinet vel divisim. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani idibus junii, pontificatus nostri anno quinto.

XXI.

1221, 27 augusti.

Ex arch. Capit. Metrop. bonon. in « *Libro Axium* », car. 37.

☙ Hoc est exemplum cujusdam instrumenti cum die et consule sic incipientis:

In nomine Domini, amen. Magister Gratia Archidiaconus bononiensis pro honore et statu Capituli bononiensis infrascripta Capitula et Statuta, scilicet infrascriptam formam semper in bononiensi Capitulo imposterum observanda, presentibus J. archipresbitero, domno Probo, domno Ottaviano, domno Alberto, domno Guidone, domno Angelo, presbiteris, magistro Oddone, Petro Succida, Guidone Grasso, Andrea, magistro Martino, diaconibus, Guidone de Bagnolo, Guidotto, magistro Lamberto, Jacobo, magistro Tancredo, subdiaconibus, et Henrigipto canonicis bononiensibus, tactis sacrosanctis Evangeliis, juravit: « *Ego magister Gratia Archidiaconus Bononie consilia et decreta Capituli bononiensis, que precepta erunt esse secreta per Archidiaconum et Archipresbiterum, vel eorum alterum, vel, eis absentibus, per Capitulum, nulli pandam, ultra decimum octavum Canonicorum numerum in bononiensi Ecclesia constitutum nullum in Canonicum eligam vel recipiam, ordines servabo in Capitulo bononiensi, videlicet sex Presbiteros et sex Diaconos et quatuor Subdiaconos et duos Acolitos, ita tamen cum primo vacaverit Ordo Subdiaconatus, eligam Ordo ejus unum ad Acolitum. De hac tamen observatione et ordinum districtione nolo juramento teneri, nisi cum fuerit per Superiorem hoc Capitulum, seu ordinum districtio, confirmata; nullum eligam vel recipiam in Canonicum bononiensem, nisi ad eum, quem per mortem alicujus Canonici, vel alio modo legitimo,*

(1) Ex reg. III. Honorii III., ep. 745, fol. 149, MCCXXI., XIII. iunii.

vaccare contigerit ordinem, vel superiorem. Nullum quoque electum et confirmatum in Canonicum admittam ad perceptionem benefitij, nisi primo receperit ordinem ad quem assumetur vel eligetur. Non permittam Canonicum in primo sui Canonicatus anno percipere benefitium vel prebendam, preter victualia sola, sed illius anni benefitium vel prebenda in comunes utilitates et necessitates Capituli expendatur (1), *ita tamen quod inter Canonicos non dividatur; possessiones, jura et honores, instrumenta, seu chartas sive privilegia Capituli contra omnes homines adjutor ero ad conservandum, defendendum et recuperandum, sicut Capitulo vel majori parti melius et utilius videbitur; possessiones immobiles ad bononiense Capitulum pertinentes non alienabo, nec alienari consentiam, nisi pro emptione vel permutatione alterius possessionis immobilis utilioris vel eque utilis, vel constructione alicujus hedifitij ad comunem utilitatem pertinentis, vel alia evidenti utilitate comuni: ita tamen quod inter Canonicos non fiat divisio pretij de possessione recepti. Super agendis et utilitate Capituli, quam scienter non impediam, requisitus, quod magis utile credam consilium dabo. Scienter non fraudabo Capitulum, sive offitium habeam, sive non. De iis que venient ad manus meas pro Capitulo, vel ad Communitatem pertinent vel pertinebunt, literas a Curia romana contra hec Capitula non impetrabo, nec impetratis utar. Nullum electum et confirmatum in Canonicum admittam ad perceptionem beneficij vel consilia Capituli, nisi primo juraverit ad sancta Evangelia omnia et singula predicta Capitula observare. Sic me Deus adjuvet et hec sancta Evangelia. Secundum prescriptam formam prescripta Capitula juraverunt Archipresbiter et singuli prescripti, presentibus Archidiacono antedicto et aliis suprascriptis universis* ».

Actum in civitate Bononie in canonica sancti Petri, in camera dicti Archidiaconi, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo, die quinta exeunte mense augusti, indictione nona.

Ego Albizus Petri Albici, imperatoris Federici notarius, hiis omnibus interfui, et mandato dicti domini Archidiaconi et dicti domini Archipresbiteri et ceterorum predictorum canonicorum scripsi.

(L. † S.) Ego Bernardus filius Bencevennis Boninsegne, imperiali auctoritate notarius, ut in predicto instrumento inveni, ita per ordinem fideliter exemplavj.

XXII.

1221, 1 novembris.

Iam in archivo Capit. Metrop. bonon. (2)

Nos magister Gratia, Archidiaconus et Judex Archipresbiter bononiensis, presentibus et consentientibus fratribus nostris Canonicis bononiensibus, presbitero Lamberto quondam Sacrista viam universe carnis ingresso, de sacristia sancti Petri statutum fecimus semper imposterum observandum; videlicet, quod ad custodiam et conservationem precipue instrumentorum unus de canonicis semper sit Sacrista, non ad annum sed perpetuus; et Sacrista qui erit pro tempore accipiat et habeat duos sacerdotes bone opinionis in officio baptisterii, et ad alias utilitates et necessitates Capituli unum, loco predicti presbiteri Lamberti et alium pro reverentia Alfredi . . . . . . quondam Episcopi, pro cujus et aliorum Episcoporum, qui Capitulo benefecerunt, animabus spiritualiter orare promittant. Et pro hiis duobus sacerdotibus et duobus servientibus clericis ad sacristiam, Sacrista habeat et accipiat victualia de comuni in pane et vino, sicut habent et accipiunt Canonici; scilicet eo die quo jejunabunt sacerdotes predicti, accipiat Sacrista et habeat pro eis tantum tres panes. Cetera vero victualia accipiat et habeat pro predictis sacerdotibus et servientibus aliquantulum in minori quantitate quam Canonici. Cum vero in cella vinum non fuerit de comuni, Sacrista pro ipsis sacerdotibus et servientibus recipiat a Camerariis vinum vel equivalentiam competentem. Habeat quoque ac percipiat Sacrista singulis annis a Camerariis Capituli vj. libras bononinorum pro vestibus dictorum sacerdotum, iij. libras in

(1) In margine: « *Nota fructus prebendarum non percipiendos per non existentes in sacris* ».

(2) Documentum hoc, in archivo Capituli Metrop. bonon. praeterito saeculo asservatum, nunc nec in illo archivo, nec inter acta eiusdem Capituli, quae prostant in archivo Maximo, invenire potui.

festivitate sancti Michaelis, et alias iij. in Pascha Resurrectionis; habeat quoque et teneat Sacrista denarios et candelas unius brachii et infra missarum votivarum quas cantabunt dicti sacerdotes. Ceteras autem oblationes ipsarum missarum et omnes denarios et oblationes missarum quas cantabunt alicui societati ipsi sacerdotes, et in die veneris ad honorem sancte Crucis, et in die sabbati ad honorem sancte Marie, assignet Sacrista canevario qui pro tempore erit. Si civitatem, quod absit, contigerit interdicto generali supponi, pro predictis denariis et candelis votivarum missarum, Sacrista recompensationem recipiat a Camerariis Capituli competentem. Cameram quoque juxta sacristiam et campanile, que consuevit dari ad pensionem, post festum sancti Michaelis proximum habeat Sacrista ad usum suum et eorum qui cum eo erunt, ita quod usque ad quatuor annos cameram illam elevet cum expensis sacristie, preter panem et vinum que percipiet a Capitulo, ut desuper habeat cameram Sacrista, et illa, que nunc est, finito quadriennio, Capitulo dimittatur. Dictos quoque sacerdotes accipiat et amoveat Sacrista, sicut viderit expedire, consilio Capituli requisito. Dicti quoque sacerdotes et duo clerici servientes, quod credentiam a Capitulo vel Sacrista injunctam non revelabunt et res sacristie et Canonicorum scienter non fraudabunt, presente Capitulo, prestabunt corporaliter juramentum.

Actum anno Domini M.CC.XXJ., kalendis novembris. Ut autem hec firmius observentur et de hiis imposterum non dubitetur, hanc cartam nostris sigillis fecimus sigillari.

XXIII.

1224, 20 maii.

Ex archiepiscopali archivo ravennate, capsa E, num. 1488.

Anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo vicesimo quarto, die duodecimo exeunte madio, indictione duodecima, magister Tancredus, bononiensis canonicus, detentus infirmitate, protestatus fuit et dixit coram domino Henrico, Dei gratia Bononie episcopo, et coram infrascriptis testibus, in verbo veritatis affirmans et in virtute Spiritus Sancti adiurans, quod dominus Symon, Dei gratia ravennas Archiepiscopus, nunquam donaverat vel donari fecerat seu dari per se vel per alium, sibi nec alicui alii pro se, equum aliquem, nec cuppam argenteam, neque aliquod aliud donum aliquo tempore parvum vel magnum, valens unicum denarium; et quod per totum mensem iulii, augusti et septembris proximi preteriti semper fuit in civitate vel diocesi bononiensi, et in illis tribus mensibus non exivit civitatem vel diocesim bononiensem. Et quod viginti anni sunt, et plus, quod non intravit civitatem Ravenne vel eius districtum nisi semel, et hoc in mense aprilis in festivitate sancti Vitalis. Et nunquam comedit cum eodem archiepiscopo, nec bibit cum eo, quod recordetur, nisi semel, quando erat cum episcopo suo bononiensi. Et super hiis omnibus paratus est facere fidem plenarie suo iuramento.

Acta sunt hec apud canonicam bononiensem in camera predicti magistri Tancredi, indictione predicta; presente dicto domino episcopo Bononie, et presentibus testibus domino Guidotto de Corrigia, canonico bononiense, domino Bernardino, canonico faventino, magistro Amico florentino, Zantulino clerico de Crespellano, et domino Guidone de Castello et aliis pluribus.

(L. † S.) Et ego Lanfrancus Papiensis, imperialis aule notarius, interfui predicte protestationi, et rogatus a dicto magistro Tancredo, hanc cartam scripsi et publicavi.

XXIV.

1224, 26 augusti.

Ex arch. Metrop. bon., nunc in Tab. Max. bon., sect. « *Demaniale* », num. $\frac{21}{208}$, doc. 41.

In Dei nomine, amen. Anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo quarto, die sexto exeunte augusto, indictione duodecima. Cum inter Capitulum bononiensis Ecclesie ex una parte, et dominum Azonem Abbatem, et conventum monasterii sancti Stephani bononiensis ex alia,

super decimis talis questio verteretur, scilicet quod Archipresbiter et Canonici, nomine sue Ecclesie, a predicto Abbate et ejus conventu, nomine monasterii sui, petebant decimas omnium terrarum et possessionum, quas monasterium ipsum habebat et tenebat in plebatu ipsius bononiensis Ecclesie et in plebatu Medicine sive Bude, quas decimas dicebant ad Capitulum bononiensis Ecclesie pertinere partim jure comuni, partim per concessiones et privilegia Episcoporum bononiensium et multorum romanorum Pontificum. Unde iam dictus Abbas ad Capitulum ipsum humiliter ac devote accedens, petiit ab eisdem, ut de petendis a se et predecessoribus suis sibi facerent remissionem, et persolvendis imposterum annuatim certam reciperent quantitatem. Canonici vero petitionibus ejus annuentes taliter inter se amicabiliter convenerunt; scilicet quod idem Abbas de cetero annuatim solvere debeat eisdem Canonicis post kalendas septembris, cum a nuntio ipsorum Canonicorum fuerit requisitus, octo corbes boni et pulchri frumenti sine malitia, et dicti Canonici suis expensis dictum frumentum scilicet deferri faciant, et ipsum monasterium ad hoc, scilicet ad deferendum, nullatenus teneatur. Et predictus Archipresbiter et Canonici remiserunt et donaverunt eidem Abbati, recipienti nomine suo et monasterii sui, omnes detentas retro decimas et quicquid ultra dictam quantitatem nomine decimarum exigere possent imposterum ab ipso Abbate vel suis successoribus, sive conventu vel monasterio ipso pro possessionibus supradictis, quas ipsum monasterium possidet tempore istius compositionis in predictis plebatibus, et pro possessionibus quas habent ecclesie ejusdem monasterii, scilicet capella sancti Rofelli prope Savenam et ecclesia de Medicina et Barbiani. Et supradictus Abbas cum fratribus suis, scilicet domino Blasio priore, domino Ysnardo, domino Johanne, domino Alberto, domino Bernardo, domino Rambertino, domino Nicholao et domino Petro, monachis et fratribus predicti monasterii in Capitulo constitutis, per stipulationem promisit magistro Oddoni bononiensi Canonico, recipienti nomine Capituli bononiensis Ecclesie, solvere supradictis Canonicis annuatim de cetero octo corbes frumenti, sicut superius dictum est, sub pena decem librarum bononenorum. Et magister Oddo supradictus, nomine Capituli bononiensis Ecclesie et suo, presentibus presbitero Zoene, domino Petro de Succida, domino Guidotto de Corrigia concanonicis et fratribus dicti magistri Oddonis, promisit supradicto Abbati, recipienti nomine suo et monasterii et suorum successorum, supradictam remissionem, donationem et concessionem omni tempore ratam et firmam habere et tenere, et nullo tempore contravenire per se et suos fratres et successores et Capitulum bononiensis Ecclesie, sub predicta pena decem librarum bononenorum, et pena soluta ab ea parte, que contra predicta vel aliquod predictorum fecerit, supra dicta omnia in sua nichilominus maneant firmitate. Et si contingeret Episcopum bononiensem evincere decimas a dicto monasterio, non teneatur monasterium solvere Capitulo bononiensi supradictam quantitatem. Et promisit dictus magister quod curabit et faciet, quod Capitulum bononiensis Ecclesie confirmabit et approbabit, et ratum habebit istum contractum.

Actum in Capitulo monasterii predicti sancti Stephani, indictione predicta, presentibus rogat's testibus domino Grimaldo Rubeo, domino Guidone Petri Cunradi strate sancti Stephani, Torrexano ejus filio, Cambio notario de sancto Stephano, Gerardo Crogio de Castro Novo de Parma et domino Alberto de Parma.

Eodem anno, mense et die et indictione. In choro bononiensis Ecclesie, presentibus testibus presbitero Aldrevando, capellano sacristie sancti Petri, Gerardo, clerico de sacristia, domino Symone de Genzano, Alberto domine Castellane et Clario notario de Vivario, magister Gratia Archidiaconus bononiensis Ecclesie, et dominus Judex Archipresbiter ejusdem, et sui fratres, scilicet presbiter Albertus, presbiter Probus, presbiter Ottavianus, presbiter Zoen, dominus Andreas, dominus Guido Grassus, dominus Petrus de Succida, magister Martinus, dominus Guido de Bagnolo, magister Lanbertus, magister Tancredus, dominus Jacobus condam Guidonis Lambertini, dominus Guidottus de Corrigia et dominus Henricus, nomine Capituli bononiensis Ecclesie, consenserunt predicto contractui et eum in totum approbaverunt et confirmaverunt, et predictam remissionem et concessionem fecerunt domino Dato, syndico monasterii sancti Stephani supradicti, recipienti nomine et vice predicti Abbatis et monasterii et Fratrum suorum et successorum, promittentes eidem, recipienti predicto nomine, predicta firma perpetuo tenere et in nullo contravenire sub predicta pena decem librarum bononenorum, et ea soluta, predicta firma permaneant et rata.

(L. † S.) Ego La[n]francus Papiensis, imperialis aule notarius, interfui et rogatus a supradictis omnibus Fratribus et contrahentibus, hanc cartam ex jnstrumento scripsi et publicavi.

Iste sunt possessiones de quibus monasterium sancti Stephani supradicti vult habere concessionem decimarum in futurum prestandarum et remissionem detentarum, scilicet:

Brayda sancti Stephani superius et inferius. Confines tales sunt (1).

Item vinea una, posita ad Ravonem, que fuit Martini Garri. Confines tales sunt.

Item vinea una, posita in pertinentiis Barbiani, in loco ubi dicitur Mixano de Podio Barbiani. Confines tales.

Item possessio sancti Martini in Pozadello et sancti Vitalis de Barbiano. Confines sunt tales.

Item vinea sancti Rofelli et possessiones sancti Rofelli. Confines tales sunt.

Item vinea una, posita in Runco Mauroni, quam monasterium evicit in eodem Runco Moroni a psesbiteris sancti Nicholai Leproseti. Confines tales.

Item petia una terre, quam monasterium evicit in eodem Runco Ma[u]roni a presbitero Ugone de Bagnacavallo, et presente Fabro. Confines tales.

Item Brayda et Clausura de Villola. Confines tales.

Item possessiones sancti Andree de Vico Medicine, quas habet ipsa ecclesia tempore istius compositionis.

XXV.

1226, 31 ianuarii.

Ex arch. Metrop. bonon., in « *Libro Axium* », car. 18 v.°

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Severino ariminensi, canonico Bononie commoranti, salutem et apostolicam benedictionem.

Non (2) facimus injuriam venerabili fratri nostro [Henrico] Episcopo et dilectis filiis Archipresbitero et Capitulo bononiensi, sed potius Ecclesie ipsorum consulimus, si amputemus materiam, qua inter eos jam ortum dissidium dicitur, quod timetur parere scandalum, dampnum ipsi Ecclesie non modicum illaturum. Intelleximus siquidem, quod cum Archidiaconatus ejusdem Ecclesie vacare noscatur, super electione Archidiaconi non modica inter eos dissensio est exorta: eodem Episcopo asserente, vel ad se tantum, vel ad se cum Capitulo electionem spectare predictis . . . et dictis Archipresbitero et Capitulo e contrario proponentibus eam ad ipsos solummodo pertinere. Quia vero Archidiaconatus ipse diu sine detrimento ipsius Ecclesie vacare non potest et non inmerito dubitatur, ne inter eos, qui conservare debent in vinculo pacis spiritus unitatem, crescat hujusmodi occasione discordia, qua possit caritas vulnerari, nos super hoc ex offitio nostro volentes congruam adhibere medelam, dignum duximus providere ut dilectus filius magister Tancredus eorumdem Concanonicus, literarum scientia preditus et honestis moribus adornatus, in ipsius Ecclesie Archidiaconum assumatur; deinde nos Episcopo, Archipresbitero et Capitulo supradictis nostris damus literis in preceptis, ut, attendentes quod non de alieno sed suo multo majori honore digno, eo etiam non petente, dictum Archidiaconatum providimus ordinandum, voluntati vestre prompto animo concurrendo eidem Archidiaconatum ipsum liberaliter conferant et assignent, et sibi sicut Archidiacono in temporalibus et spiritualibus intendere, ac de Archidiaconalibus proventibus respondere procurent, non obstantibus literis, que a Sede Apostolica emanarunt, ut videlicet, si Archidiaconatus ipse, quem contuleramus venerabili fratri nostro parmensi Episcopo tunc capellano nostro, vacaret, Archidiaconi electio ad Episcopum et Capitulum, vel ad eorum alterum, deberet, prout spectaret de jure, devolvi, cum, sicut dictum est, super eadem electione inter eos ad invicem non parva suscitata sit materia questionis; que cum cito terminari non possit, eorum Ecclesia in vacatione Archidiaconatus diutina dampnum non modicum sustinetur propter id, quod grave inde dissidium cum scandalo formidatur. Ne autem causari alterutra partium valeat, quod si nobis non obediat, in hac parte in suo jure ledatur. Volumus et statuimus, ut nullum propter hoc utrique vel alterutri prejudicium imposterum generetur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si sepedicti Episcopus, Archipresbiter et Capitulum neglexerint adimplere, tu Archidiaconatum ipsum eidem magistro auctoritate nostra

(1) Confinium nomina hic et inferius desiderantur.

(2) Legitur: « *Nos* ».

conferas et assignes, reducens in irritum siquid post receptionem literarum nostrarum super eodem Archidiaconatu ab eis fuerit attemptatum. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo.

Datum Reatis ij. kalendas februarij, pontificatus nostri anno decimo (1).

XXVI.

1233, 13 iulii.

Ex tom XXVII. *Cod. dipl. Eccl. bon.*, num. LXXXIII.

Gregorius IX. (2) Archidiacono bononiensi et Priori sancte Marie de Reno, et fratri Palm. . . . canonico ecclesie de Campaniola, bononiensis et reginensis dioecesum.

Visibilium et invisibilium conditor cunctipotens et eternus etsi grata multorum perpetuitate bonorum populum reficiat quem plasmavit, illum tamen gratorum successiva recreat creatione novorum, eo quod illa humane conditionis affectibus, et sue salutis effectibus sint votiva, prout probat inspectio florum amena recentium et exhibet perceptio fructuum gratuita novellorum. Igitur ad eternas delicias fidelibus exponendas, ad dandum gentibus fidei, spei et charitatis augmentum, ad dirigendos in viam pacis et claritatis eterne pedes in tenebris et mortis umbra sedentium, solis et lune mirificus operator in celesti solio nova producit lumina lucis inextinguibilis emissiva, per que cordibus devotorum querentium luminis ineffabilis lucidissimas mansiones immensitas exultationis infunditur, et alia infinita beneficiorum genera conferuntur. Porro letantur plures hujus presentia temporis solam stellam in die prospicere, qui decurse noctis tempore innumeras se recolunt inspexisse. Gaudebant et Magi fulgorem siderum, que ab initio Dei sapientia fecerat intueri, sed spectantes stellam novam in Oriente regis nati nuntiam, gaudio inexplicabili sunt perfusi. Exultat nimirum et sancta mater Ecclesia cum in ejus fulgido firmamento diversis sanctorum splendoribus illustrato fulget de novo sydus perspicuum singularis et precellentis luminis ostensivum, per quod ignorantium Dominum tenebre propelluntur, per quod hereticorum perversum dogma confunditur et fidelium beata credulitas adaugetur. Sane gaudentes pridem accepimus, quod recolende memorie frater Dominicus, plantator Predicatorum Ordinis et magister, divina misericordia faciente, aggregatus existat collegio Supernorum, gloriam concesse beatitudinis signis exprimens gloriosis, nam circa sepulcrum ejus et locis alijs per invocationem sui nominis et devotionis sincere suffragia, multa miracula circa multos, mirabilis in altis Dominus multipliciter operatur. Verum et si per virtutum insignia, quibus olim memoratus frater extitit multiformiter insignitus, seu per famosa miracula, quibus ejus sancta rutilare dicitur sepultura celestis sponse vocibus de sanctorum esse numero debeat affirmari, tamen quia mentibus ambiguis subito rei veritas non clarescit et repentinis non solet miraculorum relatibus quorumdam specie exultare, eo quod omne rutilum nomen auri non impetrat, nec ebur quodlibet niveum immitatur. Nos, quod providentia preambula decet festinos incertis et certos in dubijs inveniri, discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, mandamus quatenus provide attendentes, quod lux vera sanctorum Dominus Jesus Christus signis publicis et prodigijs evidentibus trepidantia discipulorum pectora roboravit, mentes eorum nubilas de resurrectionis admiranda gloria expresse certitudinis clarificans fulcimentis, vitam et conversationem predicti Fratris, quibus Deo et hominibus noscitur placuisse, nec non miracula que, auctore Deo, de sui corporis sanctitate procedunt, habita pre oculis sola divine reverentia majestatis, per testes idoneos studeatis inquirere cauta diligentia et sollicitudine vigilanti; que in scriptis redacta sub sigillis vestris, fideliter conservetis, illa nobis, postquam mandatum apostolicum receperitis, per fideles et solemnes nuntios transmissuri. Quod si non omnes etc.

Datum Laterani tertio idus julii, pontificatus nostri anno septimo.

(1) In margine: « *Questio que vertebatur inter episcopum et capitulum bononiense super electione archidiaconj et de modo sublata controversia alteri papa contulit* ».

(2) Ex reg. IV. Gregorii IX., ep. 240, fol. 69, MCCXXXIII., XIII. iulii.

XXVII.

1240, 17 iunii.

Ex eodem tomo, num. XCII.

Gregorius IX. Clero civitatis et diocesis bononiensis.

Ex literis dilectorum filiorum Capituli bononiensis accepimus, quod ipsi, Ecclesia bononiensi vacante, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Archidiaconum bononiensem, Subdiaconum et Capellanum nostrum, in eorum pastorem unanimiter postulatis, spe sibi firma proposita, ut cum idem genere nobilitatis, scientia sit et moribus decoratus ac ex ingentibus probitatis sue meritis apud nos et fratres nostros obtineat favoris gratiam specialis, Ecclesie eorum multipliciter debeat fructuosus existere, presertim cum vix de alio tam opportuna provisio potuerit provenire. Quare nobis humiliter supplicarunt ut, non obstante quod adhuc ad annum trigesimum non pervenit, eum ipsis in pastorem concedere speciali gratia curaremus. Verum cum deceat ut sic in hac parte eorum desideriis annuamus, quod istitutis deferendo canonicis personam ipsius Archidiaconi condigno prosequamur honore, ac ejusdem utilitatem Ecclesie procuremus, eum in procuratorem sibi duximus concedendum, eidem plenam administrationem in spiritualibus et temporalibus committentes. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus nos in sua studentes honorare persona in omnibus pertinentibus ad administrationem huiusmodi eius salubribus mandatis et monitis devote ac humiliter intendatis, alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.

Datum Laterani quintodecimo kalendas julii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

XXVIII.

1241, 1 maii.

Ex arch. Metrop. bonon. in « *Libro Axium* », car. 15 r.

Octavianus bononiensis Ecclesie Archidiaconus procurator, universis Prelatis et aliis Ecclesiarum rectoribus per civitatem et diocesim bononiensem constitutis, salutem in Domino.

Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi que in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos extremj judicij diem pijs operibus prevenire, ac eternorum intuitu seminare in terris, que, reddente Domino, multiplicato fructu, colligere debeamus in celis, quamquam qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam eternam. Quum igitur in Monte Ovalo, bononiensis diocesis, ecclesia, constructa ad honorem Dei et Virginis gloriose, cum domibus adjacentibus ex immissione diabolica incendio sit cremata, nec ad ipsorum refectionem proprie suppetant facultates, vobis ecclesiarum prelatis et clericis mandamus atque precipimus, ut cum nuntij predicte ecclesie ad vos venerint elemosynas petituri, eos benigne recipietis, honeste tractetis, populos vobis a Deo commissos monere ac inducere procuretis, et in remissionem peccatorum suorum de bonis sibi a Deo concessis eis conferant grata subsidia caritatis, ut vos et ipsi per hec et alia bona, que feceritis, Domino inspirante, vitam habere mereamur sempiternam. Nos vero de clementia omnipotentis Dei et Virginis gloriose ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus meritis confidentes, omnibus predicto loco benefacientibus xl. dies criminalium et quartam partem venialium in Domino relaxamus.

Data Bononie anno M.° cc.° xlj., indictione quartadecima, kalendis madij (1).

(1) In margine: « *1241. De monte Ovalo* ».

XXIX.

1244, 31 maii.

Ex tom. XXVII. *Cod. dipl. Eccl. bon.*, num. CII.

Innocentius IV. (1) Capitulo bononiensi.

Assumpti, quamvis immeriti, disponente Domino, in plenitudinem potestatis, illos quos literarum scientia, morum nobilitas et conversatio munda decorant, eo libentius in partem honoris et sollicitudinis evocamus, quo per tales operarios vinea domini Sabaoth consuevit fructificare, sarculo studiosius excoli, ac securius custodiri. Cum igitur dilectum filium nostrum Octavianum sancte Marie in Via lata diaconum cardinalem, cui commissa erat ab apostolica Sede bononiensis Ecclesia procuranda, ad cardinalatus dignitatem duximus assumendum, nos diligentius attendentes quod sollicitudinis nostre intererat, ut in eadem Ecclesia illum hominem poneremus, qui Deo gratus et hominibus sit acceptus, dilectum filium fratrem Jacobum vicecancellarium nostrum, virum profecto secundum cor nostrum, cui propter prerogativam morum et scientie, super quibus ei tamquam illi qui diu nobiscum est laudabiliter conversatus, laudabile testimonium perhibemus, ipsi Ecclesie, de fratrum nostrorum consilio, prefecimus in episcopum et pastorem, et plena eidem tam in spiritualibus quam temporalibus administratione concessa, consecrationis sibi munus manibus nostris duximus impendendum, sperantes firmiter, immo pro certo probabili argumento tenentes, quod eadem Ecclesia sub ipsius regimine incrementa grata suscipiet, auctore Domino, in utrisque. Quocirca presentibus mandamus quatenus, considerato prudenter quod ex affectu magno processit, quod nos exuimus, ut vos et bononiensem Ecclesiam vestiremus, ipsi tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes, exhibeatis eidem obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote ac inviolabiliter observando; alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore [Deo], usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Laterani secundo kalendas junii, pontificatus nostri anno primo.

XXX.

1251, 3 octobris.

Ex arch. Metrop. bonon. in « *Libro Axium* », car. 80 v.°

Carta conversionis Jambonellj

In nomine Domini, amen. Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, indictione nona, die martis, tertio intrante octubre. ℭ Jambonellus Albertinelli de Bolognolis de Castagnolo Minori, presentibus et consentientibus domino Octaviano presbitero, domino presbitero Bartholomeo, domino Octaviano diacono, dedit et obtulit se cum omnibus suis bonis, juribus et actionibus Deo et ecclesia sancti Petri nomine offersionis in manus domini Phylippi archidiaconi bononiensis, et domini Bononij archipresbiteri bononiensis, promittens eisdem reverentiam et obedientiam manualem recipientibus ad honorem Domini nostri Jesu Christi et ecclesie sancti Petri episcopatus bononiensis.

Actum in canonica Bononie, presentibus domino presbitero Aldrovando, presbitero Frumento sacristanis, et Johanne rectore ecclesie sancte Marie de Auxilittis, et Cazanemico de Porcuncinis, et aliis multis testibus vocatis et rogatis.

(L. † S.) Et ego Boluisius condam Accursii, auctoritate jmperialj notarius, hiis omnibus presens fui, et, ut supra legitur, mandato ipsorum dominorum [et] dicti Jambonelli scripsi.

(1) Ex reg. I. Innoc. IV., ep. 719, fol. 113, MCCXLIV., XXXI. maii.

XXXI.

1260, 26 septembris.

Ex eodem « *Libro Arium* », car. 88 r.° et v.°, et 89 r.° et v.°

Divisio possessionum Capitulj — ———— In nomine Domini, amen. Hec partes ac divisiones possessionum Capitulj bononiensis facte et divise per dominos Canonicos bononiensis Ecclesie infrascriptos, quorum nomina inferius declarantur et scripta sunt:

In primis et in prima parte posuerunt omnes possessiones, que ad ipsum Capitulum pertinent in pertinencia et Curia Canetulis et Padulis Sale, excepta brayda Padulis, que fuit empta a filiis domini Bonifatij, et terra, que quondam fuit Bernardini, posita ad Canetulum, et casamenta de Canetulo, que dantur ad pensionem, et Medata sive domus Pallee, que sunt laboratorum sive conductorum, qui stant super illa casamenta; que domus sive Medata illj domini, qui habebunt dictam partem, teneantur emere justo precio; quod si emere non vellent dicti habitatores, possint ea elevare et portare ad eorum voluntatem.

Item addunt dicte partj duas petiolas terre prative, que sunt in Guardia Pollicini.

Sorte projecta de voluntate omnium et singulorum dominorum, sive Capituli, et nemine contradicente, devenit in partem infrascriptis dominis:

C̄ Domino Alberto archidiacono bononiensi

C̄ Domino presbitero Ugolino

C̄ Domino presbitero Frumento, mansionario, et sociis suis

C̄ Domino presbitero Jacobo, mansionario, et sociis suis.

In secunda vero parte posuerunt braydam de Malpasso positam in curia Argelis, sive Canutj, et Decimam Curie et Guardie Argelis et omnes possessiones quas habet Canonica bononieneis et sanctj Johannis, et que laborantur et tenentur per Martinum ferrariensem.

Item terras et nemora et possessiones que sunt in Morafusca.

Item terras quas tenent et habent dominus Verardus, canonicus Plebis de Cento, et ejus fratres, de quibus redduntur xx. corbes frumentj et sunt in Morafusca ultra Renum.

Item addunt dicte partj campum, quem tenet dominus Paulus in lo[co] qui dicitur Roncadellj in curia Pollicini.

Item addunt dicte partj vineam de Ambroxonis positam in Archovezo, quam tenent venerabilis pater dominus Octavianus, cardinalis, et dominus presbiter Ugoli[nu]s, et dominus Octavianus, nepos dicti cardinalis.

Item addunt dicte partj campum de Archovezo, quem tenent dominus presbiter Ugolinus, et dominus Octavianus, et dominus presbiter Jacobus et socij suj.

Item addunt dicte partj burgum sancti Petri, et ortum de Pujola versus Aposam.

Item addunt dicte partj viij. corbes frumenti, quod habet Capitulum sancte Helene a mo[n]asterio.

Item addunt dicte partj vj. corbes et dimidiam frumenti, quod habet Capitulum a monasterio sancte Marie in strata.

Sorte projecta de voluntate omnium et singulorum dominorum, sive Capituli, nemine contradicente, devenit in partem infrascriptis dominis scilicet:

C̄ Domino magistro Sinigardo archipresbitero bononiensi

C̄ Venerabilj patri domino Octaviano, cardinalj

C̄ Domino Paulo

C̄ Domino Rugerio.

In tertia vero parte posuerunt Decimam de Argillata et ejus curie.

Item addiderunt dicti domini dicte partj Decimam de Sanguineta.

Item addiderunt dicte partj ecclesiam sancti [Michaelis] de Argillata, excepto populo.

Item addiderunt dicte partj braydam de Taviano et omnia casamenta Burgifolii.

Item addiderunt dicte partj domum in qua moratur Ursitus.

Item addiderunt dicte partj casamentum Burgi de Belcornamme, quod est v. tornaturarum, salvo plus vel minus.

Item addiderunt dicte partj petiam unam terre, positam in Archovezo, in loco qui dicitur Tassinare, que est xvij. tornaturarum, salvo plus vel minus, quam habuit husque dominus Cardinalis in sua parte.

Item addunt dicte partj braydam de Podio, positam in contrata Archovezj, quam tenebant dominus presbiter Frumento et socij sui.

Item addiderunt dicte partj vineam de Bernardo, positam in eadem contrata Archovezj.

Item addiderunt dicte partj campum de Donino, positum in Archovezo, quem nunc habet et tenet dominus Petrus Caurizo.

Item addunt dicte partj ortum, sive puntam Catagaide, quod vel quam tenet dominus presbiter Octavianus.

Item addiderunt dicte partj campum de Luminata, quem tenet dominus Jacobinus cum terra et rationibus, que et quam habet et tenet Capitulum in territorium Hulmetule.

Sorte projecta de voluntate omnium et singulorum dominorum, nemine de dicto Capitulo contradicente, devenit in partem infrascriptis dominis, scilicet:

₵ Domino Zambertino

₵ Domino Octaviano

₵ Domino Azo

₵ Domino Petro Caurizo.

In quarta vero parte posuerunt in primis tumbam et domum quam habent ad Sablune, cum omnibus possessionibus, que et quas habent in Sablune et ejus pertinentiis.

Item possessiones positas ad Quartum, que condam fuerunt domini Tantidinari de Radicibus, et domus omnes ab utraque parte vie.

Item ecclesiam de sancto Sisto cum omnibus rationibus suis et possessionibus.

Item campum de Villola et Cadamuscho, qui primo fuit in partem domini Jacobi.

Item vj. tornaturas terre, quas nunc tenet magister Bernardus in curia Villole.

Item in Runcalgla domum que dicitur de Auliveriis, quam tenet dominus Azo et sui socij, et clusuram super qua est domus, et que ad ipsam clusuram pertinent.

Item campum qui est ex opposito illius domus et clusure, et qui est in partem dicti dominj Azonis.

Item vj. tornature (1) terre ibi prope posite, quas tenet dominus Jacobinus qui dicitur Vignale Corvulini.

Item campum de Taurellis, qui est viij. tornaturarum, quem tenent magister Bernardus et dominus Azo.

Item et aliam petiam terre in eadem contrata Runchalgle, qui est, ut dicitur, xxij. tornaturarum, et eam tenet dictus magister Bernardus.

Item medietatem campi Casaraltule, incipiendo versus pontem lapideum et veniendo versus Bononiam.

Item de sancto Johanne in Monte viij. corbes frumentj.

Item de sancto Stephano viij. corbes frumentj.

Item de monasterio Castri Britonum viij. corbes frumentj.

Item a monasterio sancti Gervaxii vj. corbes frumentj.

Item a plebe Montisbellij pro ecclesia sanctj Apollonaris (2) v. corbes frumentj.

Sorte projecta de voluntate omnium et singulorum dominorum, nemine de Capitulo [contradicente], devenit in partem infrascriptis dominis, scilicet:

₵ Domino presbitero Octaviano

₵ Domino Bonifatio archipresbitero plebis Barbarolj

₵ Prebende domini presbiteri Bartholomej

₵ Domino Jacobino domini Catellanj.

In quinta vero parte, pro duobus aliis dominis, posuerunt domum de Frassino cum tota brayda de Frassino ab utraque [parte] navigij.

(1 et 2) *Sic.*

Item medietatem Casaraltule, scilicet omnium possessionum quas habent in Casaraltulo.

Item omnes possessiones que et quas (1) [habent] in curia castrj sanctj Paulj, et in curia Podij, et Treforcie.

Item omnes possessiones que et quas habent in terra et districtu Medicine, et jura decimarum earumdem terrarum.

Item campum de Flesso, quem tenebat dominus Rogerius.

Item terram sive braydam de Cento Collone.

Item totam decima[m] de octo.

Sorte projecta de voluntate omnium et singulorum dominorum, nemine de Capitulo contradicente, [devenit in partem] infrascriptis dominis, scilicet:

¶ Domino magistro Bernardo parmensi

¶ Domino Bernardo de Querceto.

Item addiderunt cuilibet partj predictarum quinque partium, xx. libras bononenorum, que debent expendj et ponj in evidentj utilitate domorum, vel alia evidentj utilitate cujuslibet partis.

Item de comunj voluntate tocius Capituli statuerunt quod nullus ex dictis dominis vel alius pro eis, vel eorum nuntij debeant incidere aliquam arborem ad pedem, excepta berleta (2) vel busco sive nemore, et siqua arbor incideretur perveniat ad Capitulum, excepta berleta vel nemore ut (3) dictum est.

Item statuerunt comuni voluntate et voluerunt durare dictas partes usque ad xxv. annos proxime completos.

¶ Item si aliquo tempore aliqua lis seu lites moverentur super dictis decimis vel prebendis dictis Canonicis vel alicui eorum, vel ipsi domini Canonici vel aliquis eorum moverent aliis [litem], Capitulum teneatur dare suis expensis Sapientes necessarios et Syndicum; et alia omnia fiant expensis illorum dominorum, quibus mote essent lites vel qui moverent aliis.

Item de comuni voluntate voluerunt, statuerunt et ordinaverunt quod quilibet dictorum dominorum habeat licentiam permutandi partem ei contingentem usque ad duos menses, et a duobus mensibus in ante dicte partes in sua firmitate perdurent.

Item si qui alij domini Canonici de novo reciperentur, teneantur de novo predicta omnia et singula corporaliter ad sancta Dei Evangelia jurare firma et rata tenere antequam recipiantur.

Que omnia et singula statuta et ordinamenta atque divisiones infradicti domini promiserunt et voluerunt habere rata et tenere ac firma, et in nullo [litem] movere, vel contrafacere vel venire.

Nomina autem eorum dominorum, qui interfuerunt, sunt ista:

¶ Dominus magister Sinigardus archipresbiter bononiensis

¶ Dominus presbiter Hugolinus

¶ Dominus presbiter Bernardus de Querceto

¶ Dominus Azo
¶ Dominus Zambertinus
¶ Dominus Octavianus
¶ Dominus Bonifatius } diaconj

¶ Dominus Jacobinus
¶ Dominus Petrus
¶ Dominus Paulus
¶ Dominus Rogerius } subdiaconj.

Salvo si aliquo tempore ecclesia sancti Sisti mutaretur vel moveretur, ita quod dictj domini non possent eam in suam partem habere, scilicet dicti iiij., in cujus parte fuerit ecclesia supradicta, in vigintjduabus corbibus frumentj Capitulum teneatur providere eisdem.

¶ Item sic ego Bolnisius infrascriptus notarius juravj ad sancta Dei Evangelia in animas omnium et singulorum ibidem presentium dominorum, nullo contradicente, actendere et servare, ut dictum est in omnibus et singulis capitulis.

(1) *Sic.*

(2) *Berletas* Bononienses *vimina* dicunt, et etiam *fluminis marginem,* ubi *berletae* nascuntur.

(3) In Cod.: « *ud* ».

Actum jn orto sive broylo apud hospitale Cruciferorum, presentibus domino Johanne Picinagolo, magistro Egidio Yspano, familiari domini Bonifacii canonici bononiensis supradictj, domino presbitero Frumento, domino presbitero Jacobo, domino Ramberto, mansionariis, et domino Anselmino, clerico et familiarj dominj magistrj Bernardj parmensis, testibus vocatis et rogatis, sub anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo, indictione tercia, die dominico quinto exeunte setembre.

(L. † S.) Et ego Bolnisius quondam Accursi, auctoritate imperialj notarius, hiis omnibus divisionibus, ordinamentis, statutis per ipsos dominos factis, et omnibus et singulis suprascriptis jnterfui, et, [ut] supra legitur, mandato dictorum dominorum subscripsi etc.

XXXII.

1270, 22 decembris.

Ex eodem « *Libro Axium* », car. 14 v.°

Noverint universi presentem paginam inspecturj, quod nos Octavianus, Dei gratia bononiensis Episcopus, viso privilegio concesso bononiensi Ecclesie per bone memorie patrem sanctissimum dominum Honorium Papam, eo diligenter de verbo ad verbum lecto, ad petitionem Capituli bononiensis ipsum privilegium autenticum scriptum redigi fecimus, vim originalis de cetero habiturum, eo primo per nos, ut dictum est, viso et lecto et invento cum vera et recta bulla, filo, stilo et carta, non raso, non vitiato et non abolito in aliqua parte sui, cujus privilegij tenor talis est:

« Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Capitulo bononiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum pro Ecclesie vestre honestate ac statu quedam statuta feceritis et firmaveritis juramento ea roborare auctoritate apostolica dignaremur, nos igitur, vestris justis precibus inclinatj, Statuta ipsa, sicut sunt provida et honesta, prout in istrumento publico exinde confecto plenius continentur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ad rei autem evidentiam pleniorem Statuta ipsa presentibus de verbo ad verbum duximus inserenda, que talia sunt: « *Ego . . . . . . Archidiaconus Bononie consilia et secreta Capituli Bononiensis, que precepta erunt esse secreta per Archidiaconum et Archipresbiterum vel eorum alterum, vel, eis absentibus, per Capitulum, nulli pandam, ultra octavum decimum Canonicorum numerum in bononiensi Ecclesia constitutum nullum eligam vel recipiam in Canonicum bononiensem, nisi ad eum quem per mortem alicujus Canonici vel alio legitimo modo vacare contigerit ordinem vel superiorem. Nullum quoque electum et confirmatum in Canonicum admittam ad perceptionem beneficii, nisi primo receperit ordinem ad quem assumetur vel eligetur, non permittam Canonicum in primo sui Canonicatus anno percipere beneficium vel prebendam preter victualia sola, sed illius anni beneficium vel prebende in comunes utilitates et necessitates Capituli expendantur, ita tamen quod inter Canonicos non divida[n]tur possessiones, jura et honores, instrumenta seu cartas sive privilegia Capituli. Contra omnes homines adjutor ero ad conservandum, defendendum et recuperandum, sicut Capitulo vel majori parti melius et utilius videbitur: possessiones immobiles ad bononiense Capitulum pertinentes non alienabo, nec alienari consentiam, nisi pro alienatione vel permutatione alterius possessionis immobilis utilioris vel eque utilis, vel constructione alicujus edificii ad comunem utilitatem Capituli pertinentis, vel alia evidenti utilitate comuni, ita tamen quod inter Canonicos non fiat divisio pretii de possessione recepti; super agendis et utilitate Capituli, quam scienter non impediam, requisitus, quod magis utile credam consilium dabo, scienter non fraudabo Capitulum, sive officium habeam sive non, de hiis que venient ad manus meas pro Capitulo, vel ad Comunitatem pertinent vel pertinebunt. Nullum electum et confirmatum in Canonicum admittam ad perceptionem beneficij vel consilia Capituli, nisi primo juraverit ad sancta Dei Evangelia omnia et singula predicta Capitula observare. Sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei Evangelia* (1). *Secundum prescriptam formam iuraverunt Archipresbiter et omnes et singuli alii Canonici* ». Nulli ergo omnino hominum liceat

(1) In margine: « *Forma juramenti fatienda per novos canonicos, fiendi ante quam admittantur* ».

hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum, autoritate sedis apostolice in omnibus semper salva. Datum Sigine kalendis julii, pontificatus nostri anno septimo ».

In cujus rei testimonium presenti pagine nostrum sigillum pendens apponj fecimus, per hoc fidem omnimodam habiture.

Datum Bononie sub anno Domini M.° cc.° lxx.°, indictione terciadecima, die decimo exeunte mense decembris (1).

XXXIII.

1298, 13 ianuarii.

Ex eodem « *Libro Axium* », car. 19 r.°

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio G[uidoni], Archidiacono Ecclesie bononiensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum in civitate Bononie Studium, per Dei gratiam, vigeat generale, cui Archidiaconi bononienses, qui sunt pro tempore, preesse noscuntur, ac in eodem Studio consistentes, qu[um] licentiantur in aliqua facultate, licentiam hujusmodi ab Archidiaconis recipiant supradictis, propterque plurimum expedit, ut tu et successores tui Archidiaconi bononienses, qui pro tempore fueritis, residentiam faciatis in eadem ecclesia personalem, nos, ut tu et ipsi successores hujusmodi onus residentie, ad quam vos teneri volumus, possitis commodius supportare, providere volentes, tuis supplicationibus inclinati, tibi et eisdem successoribus, auctoritate presentium, indulgemus, ut in predicta ecclesia personaliter residentes, fructus, redditus et proventus beneficiorum vestrorum etiam si dignitates aut personatus existant, vel animarum cura illis imineat, cum ea possitis integritate percipere, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua perciperetis eosdem, si in eisdem ecclesijs, in quibus hujusmodi beneficia fuerint, faceretis residentiam personalem, et ad residendum aliter in eisdem ecclesiis minime teneamini, neque ad id a quoquam coartari possitis, non obstantibus quibuscumque contrariis statutis et consuetudinibus ecclesiarum in quibus hujusmodi beneficia fuerint, juramento, confirmatione Sedis Apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis, ut si tu vel jidem successores non faceretis in eisdem ecclesiis primam (2) personalem residentiam consuetam, seu capitulis ipsarum ecclesiarum ab Apostolica Sede indultum existat quod personis seu canonicis earum fructus, redditus et proventus personatuum, dignitatum, prebendarum seu beneficiorum, que in illis obtinent, ministrare in absentia minime teneantur, et ad id compelli non possint per Literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet literis, privilegiis et indulgentiis dicte Sedis generalibus et specialibus quorumcumque tenoris existant, et que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum debeat in presentibus fieri mentio spetialis; proviso quod beneficia ipsa debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura, si aliquibus eorum imineat, in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani idus (3) januarii, pontificatus nostri anno quarto.

---

(1) In margine: « *Confirmatio domini nostri pape de constitutionibus, statutis, consuetudinibus ecclesie bononiensis de canonicis recipiendis et fructibus prebendarum* ».

(2) Bis: *primam.*

(3) *Sic.*

MONUMENTORUM

APPENDIX ALTERA.[1]

I.

Ex Codice Justinianeo num. 1427 in Bibliotheca vaticana, lib. II., tit. LIX. (2)

De jurejurando propter calumniam dando.

Imperator Justinianus A., Demostheni PP.

In omnibus causis, sive propter literas fuerit apud te certatum, sive propter instrumenta, sive propter quicquam aliud, in quo necessitas probationis incumbit, sancimus non aliter easdem probationes prestare compelli, nisi prius qui eas exposcit juramentum de calumnia prestiterit, quod non causa differendi hujusmodi proposuit allegationes. Nam sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compescitur.

. . . .

(1) *Appendici per numeros* haec praeposuit Maurus Fattorini: « *Monumentis quibusdam in Appendicem conijciendis numeros assignasse cl. Sartium cuilibet opus integrum legenti patere facile poterit. Mihi vero saepe cogitanti de sufficienti ratione, quam sibi vir doctissimus proposuerit in hujusmodi negotio divinare sane eam non licuit. Ordo tamen tenendus est et Monumenta ipsa, servata numerorum serie, modo sunt afferenda. Sit igitur* ». Nos hic e dicta Appendice monumenta tantum iterum edenda duximus, quae a prioris operis editionis tempore typis commissa in lucem non prodierunt. (M.)

(2) Multa habet Sartius de antiquo codice justinianeo in Vaticana bibliotheca existente, in quo, ut ipse affirmat, sunt glossae, ut plurimum interlineares, quas uni Irnerio tribuendas esse arbitratur. Scriptum non esse eumdem post Irnerium ex eo vel maxime coniicit, quod unius Irnerii glossas exhibeat; neque enim credibile esset, ut ipse ait, si post Irnerium scriptus foret, voluisse illum, quisquis fuerit qui eum librum sibi exscribendum curavit, carere omnino eorum glossis et interpretationibus qui post Irnerium interpretandis legibus claruerunt. Sed errorem fortasse obrepsisse viro clarissimo de hac re tota sic iudicanti, monuit Henricus Sanclementius, monachus ex mea Congregatione, sacrae Rituum Congregationis consultor et Ordinis nostri Cancellarius, cuius amicitia et doctrina, qua abundat, usus sum dum Romae idem degeret, pro visendis exscribendisque nonnullorum Codicum particulis, quae ad rem meam facere possent. Igitur quod spectat ad hunc Codicem Justinianeum, qui est n. 1427 in membrana, putat etiam Sanclementius exaratum ante Irnerii aetatem, non quia unus Irnerius glossas addiderit, sed quia glossae, quae in eo occurrunt, revera recentioris esse manus videntur, et quia vel maxime vix aliquid spatii relictum apparet pro glossis ipsis adiiciendis; atque hinc aliae in ima, aliae in summa pagina, pleraeque vero interlineares sunt, ac minimis quidem characterum formis expressae. Observatum porro ab eodem Sanclementio, glossas ipsas non unius Irnerii esse, sed quasdam etiam Accursii et Homoboni cremonensis. Pagina enim codicis 13 retro in margine, ad calcem glossae, initiales huiusmodi literae occurrunt: « *ita Ac. Ac.* », quas de Accursio Accursii filio interpretatur Sanclementius. Pag. etiam 22 et 34, itemque 2, 7 r., semel ac iterum occurrit signum quoddam, quo Homobonum designari arbitratur, ita ut legendum sit: *Sic Omobonus.* In primis tamen paginis glossae, quae occurrunt, adscriptum habent nomen Irnerii, quod ita effertur Y.

Quidquid tamen sit de hac re tota, in qua certe iudicium ego non proferam, neque enim codicem ipsum videndi datur copia; certum illud est, eumdem codicem non mediocrem utilitatem afferre posse ad emendandos vulgatos Justiniani libros.

Propositum fuisse clarissimo Sartio in hoc specimine exhibendo, et in aliis, quae sequuntur, imaginem ipsam et formam literarum codicis exprimere, tum ex quibusdam ipsius schedis, tum vero ex iis quae habet pag. 112 tom. I., coniicere facile est. Ibi enim, postquam multis descripsit codicem vaticanum num. 1408, in quo sunt glossae Azonis, Irnerii aliorumque, inquit: *Quae ut ad oculum pateant, damus in Appendice Vaticani Codicis specimen.* Sed huic viri clarissimi consilio inhaerendum minime duximus, non modo ob rei ipsius difficultatem, quae maxima certe fuisset, sed etiam quia hunc veluti luxum minime flagitabunt eruditi, quibus satis erit ex ipsis codicibus ea delibare, quae vel ad eorumdem aetatem et praestantiam pertinent, vel ad literariam historiam illustrandam conferre possunt. Specimen igitur codicis hoc esto. (M. F.)

In laudato autem Codice vaticano sic huiusmodi titulus legitur: sed primo occurrunt in summa pagina hae glossae nullo ordine distributae, quae spectant ad hunc titulum, usque ad ea verba vel propter:

« *q. scribit tabellio publicus.*
In aut. jusjurand.
q. psta coll. II. » *[Lege V.]*

. . . .

C. N. hodie hoc sacramentum remittitur cum in judicio juretur nihil se calumniose in toto negocio exigere.

. . . .

In summa vero pagina, quae sequitur, post ea verba non odio servorum, vel *etc. hae glossae leguntur:*

C. N. X. in coll. V. In isto juramento adjiciendum est: nullam in tota lite exigere probationem, nisi quam pro veritate putet quis necessario exhibendam esse, ne sepius juretur.

Ut litigantes jurent, ip. coll. IX.

C. N. Principales persone jurent quod nihil penitus causa patrocinii dederint judicibus, vel alicui persone pro hac dederint vel promiserint vel postea dabunt per se vel aliam mediam personam, exceptis his que propriis advocatis pro patrociniis prestantur, aliisque personis quibus nostre leges dari disponunt.

Imp. Just. A., Demostheni PP.

In omnibus causis, sive propter literas fuerit certatum, sive propter instrumenta (1), sive propter quidquam aliud (2), in quo necessitas probationis incumbit, sancimus non aliter easdem probationes prestare compelli, nisi prius qui eas exposcit (3) juramentum de calumpnia prestaverit, quod non causam differendo (4) hujusmodi proposuit allegationem. Nam, sacramenti timore, contentiosa litigantium instantia compescitur. Ne autem (5) perperam in questionem servorum (6) quidam venientes sui animi crudelitatem exercent (7) non aliter eis concedi (8) questionem servorum (9) exposcunt ad hoc venire, vel a judicibus audiri, nisi prius, tactis sacrosanctis scripturis, deponant quod non odio servorum, vel *(hic finis paginae codicis)* propter offensas coheredum ad hoc venerunt, sed quod aliter rerum hereditariarum veritatem exquirere vel ostendere non possunt (10).

Idem A., Juliano (11) PP.

Cum A. Judices, etc. (12)

§ I. Sin autem, vel dignitas, etc.

§ II. Quod observari oportet, etc.

§ III. Sin autem abfuerit . . . . et ipse, vel presente actore per se, vel per instructum procuratorem, vel etiam absente eo, si hoc Judex perspexerit, inter acta juramentum prestet, etc. (13)

II.

Ex Bibliotheca Vaticana, cod. 1428 (14).

Andreas de Saxulo *nominatur in fine glossae pag. 17, eiusque longiorem glossam invenio pag. 26, 27 et 28.*

(1) In margine: *alicujus Cirografi.*

(2) Glossa interlinearis: *Ut propter servum questioni subdendum.*

(3) Glossa interlinearis: *q. hodie superfluum propter novellam constitutionem in isto juramento.*

(4) In editis: *causa differendi.*

(5) Glossa interlinearis: *Hic de Sacramento exigentis probationem.*

(6) Glossa interlinearis: *Hic autem aliud de Sacramento questionem de servis fieri postulantis.*

(7) In editis: *exerceant.*

(8) In margine: *sive remanserit in servitute, sive relicta sit eis libertas.*

(9) Glossa interlinearis: *habendam de corporibus ereditariis y. res ereditarias detinent.*

(10) Desunt notae chronicae.

(11) In editis: *Johanni.*

(12) In editis: *Cum (et) Judices.* Sed melius arridet: *Cum autem Judices,* ut hic legitur.

(13) Haec lex praelonga paucissimas habet glossas.

(14) Est codex n. 1428 in membrana in folio. Singulis pag. textus iustinianeus duplici columna scribitur, ipsumque textum comitantur Accursii glossae tum in fronte paginae, tum in utroque margine, ac praesertim ad calcem. Textus et glossae Accursii eamdem referunt manum, et antiquitatem redolent saeculi XII. Quidquid textum inter et glossas spatii superest, id totum aevo recentiori, adiectis notis sive glossellis repletur. Atque hinc patere potest non uno tempore, sed prout in alias atque alias manus devenit codex iste, notulas ipsas paulatim adiectas fuisse. En autem nomina eorum, quorum mentio occurrit in laudatis notulis sive glossis:

Pag. 41. Inter utramque columnam textus brevis occurrit glossa, in cuius fine scribitur *Homob.*, et certe designari Homobonum cremonensem dubitandum non est. Nullibi autem in eodem codice invenitur fortasse nomen Homoboni ita clare expressum; etsi alibi inter textum et glossam similes notulae et eiusdem quidem manus occurrant, in quibus ad calcem adiicitur signum, quo Homobonum ipsum indicari putandum sit.

Clarius in ipso codice conspiciendum datur nomen Guidonis de Suzaria, ut pag. 15 et 16 retro, itemque pag. 26 et 39 retro, quibus quidem in locis nomen initiali litera designatur. Pagina vero 40 integre sic effertur: *Guido de Suzaria.*

Aliorum etiam auctorum nomina in laudato codice occurrunt, et eorum breve catalogum superius dedimus.

Andreas de Bavello *inscribitur ad finem glossae pag. 17, itemque pag. 204 retro.*

Richardus de Senis, *pag. 30 retro et alibi.*

Richardus de Hispania *citatur in fine glossae pag. 36 retro.*

Bartholus de Saxo Ferrato, *pag. 55.*

Nicolaus Bufulus, *pag. 50.*

Oddofredus, *pag. 41 et alibi.*

Jacobus Balduinus, *pag. 40 et alibi passim.*

Barthol. de Capua. *Atque huius quidem glossellae saepius occurrunt in toto volumine. Modo autem eius nomen integre inscribitur, modo vero initialibus tantum literis B. C.*

Aliorum item nomina occurrunt, quae tamen integre non iscribuntur, ut superiora. Ita, exempli gratia:

Thom. de Form.

Franc. de Thes.

Petr. de B. Pnca.

Mar. Sy. (*idest* Martinus Sulimanus).

Eius nomen legitur pag. 56 in summa pagina his notis consignatum: M. Sy. *Pag. 63 ad calcem inveniuntur literae* Mar. Sy. *semel et iterum tit.* De jurejurando propter calumniam dando. *Rursum pag. 65 et alibi deinceps, ut pag. 197, ubi occurrunt etiam haec duo nomina:*

Nicolaus de Mactarellis.

Jo. de Vigintimiliis.

His adde Jordanum de Sancto Felice, *qui expresse nominatur pag. 1 retro,* Jacobum de Raveniaco, *pag. 23 retro.* Franciscus *quoque* de Accursio *non semel memoratur.*

III.

Monumentum, quod in tom. I., pag. 186 not. 5, pag. 194 not. 7 et pag. 248 not. 2 citatur, sub II. antecedenti numero complectitur.

IV.

Ex Cod. Palat. Vatic. n. 580, continente Canonum Collectionem in IV. partes distributum (1).

Incipiunt kapitula partis prime (2).

I. Quod Symon Petrus vere fidei merito primus fuerit, etc. (3)

II. Quod in novo Testamento post Christum Dominum nostrum a Petro sacerdotalis ceperit Ordo (4).

III. Quod a Petro ceperit exordium et apostolatus et episcopatus in Christo (5).

IV. De eadem re (6).

V. Quod Petrus Clementem episcopum Romanis ordinaverit (7).

Hic animadverte quod in ipso Codice habetur Caput quod non est in indice qui praefigitur primae parti ipsius Codicis: est autem caput XXV. ita inscriptum:

« De privilegio Beato Petro Domini vice solumodo commisso, et de discretione potestatis que inter Apostolos fuit ».

Incipit ab his verbis:

« Atque hoc privilegium, etc. ».

In margine autem legitur:

« Kap. Melchiadis pape LIII. ».

. . . .

Sequuntur alia capita usque ad CXIX.

. . . .

CXIX. Epistola totius africani Concilii ad papam Celestinum urbis Rome episcopum (8), in qua postulant, ut secundum decreta nicena, sive ipsi episcopi, sive inferioris gradus clerici suorum Metropolitanorum judicio committi debeant.

Item ex registro beati Gregorii quedam kap. ad eandem primam partem respicientia.

CXX. De Privilegio apostolice Sedis (9).

. . . .

Item Kap. Legis Romane ad eandem primam partem pertinentia.

CXXIX. De ordine Patriarcharum (10).

Papa romanus prior omnibus episcopis et patriarchis sedeat; et post illum Constantinopolitane civitatis archiepiscopus.

(1) Scriptus procul dubio ante saeculum XI. omnium, qui viderunt, iudicio.

(2) Litterae minio.

(3) Notulae omnes, quae sequuntur, sunt in codicis margine, et adjacent singulis capitulis. — Clementis pape, kap. I.

(4) Anacleti pape, k. XXIV.

(5) Felicis pape, k. XII.

(6) Ex kap. Niceni Concil., que addita sunt ab eodem Felice papa.

(7) Clementis pape II.

(8) Concil. African., kap. CVI.

(9) Ex registro partis secundae, kap. CLXII. ad Jo. Subdiac. de consecr. mediol. Episc.

(10) Ex novella Lege romana, lib. I., k. DVII.

CXXX. De archiepiscopo (1) . . . . .

CXXXI. De archiepiscopo carthaginensi (2).

CXXXIII. Siquis contra Metropolitanum adire Potestatem maluerit (3).

CXXXIV. Si clericus vel quivis alius contra episcopum adire Potestatem maluerit (4).

Huic parti adscriptum est in singulis paginis: De Primatibus.

Secunda pars continet de honore competenti, ac dignitate et diverso negotio episcoporum et corepiscoporum.

I. De Aaron primo Pontifice et de unguento quo perunctus est (5).

II. Quod primus Aaron sacerdotale nomen accepit, etc. (6)

CCIV. De episcopo, qui infirmitatem aut aliquam hebetudinem sensus inciderit, aut officium honoris amiserit (7).

CCV. De eadem causa (8).

CCVI. De hospicio episcopi (9).

Sequuntur ordinatim alia capitula valentini eiusdem Concilii usque ad cap. XXVI., quod est CCXXVIII. huius secundae partis.

Item de corepiscopis.

CCXXIX. Quod non oporteat corepiscopos clericos ordinare, nisi in agris et villulis (10).

Sequuntur tria capitula.

Item ex registro beati Gregorii quedam kap. ad superiorem secundam partem pertinentia.

Sunt numero quinquaginta.

Item capitula Legis romane ad eandem secundam partem pertinentia.

CCLXXXVII. De episcoporum ordinatione (11).

CCLXXXVIII. Si episcopus ante consecrationem suam vel postea venerabili loco res suas obtulerit (12).

CCIII. De successoribus ab intestato venientibus episcopi, vel clerici, vel cujuslibet alterius religiose persone (13).

Tota pars secunda de Episcopis est.

Pars tertia continet: De Synodo celebranda et vocatione ad Synodum, de accusatoribus et accusationibus, de testibus et testimoniis et de expoliatis injuste, de judicibus et juditiis ecclesiasticis vel secularibus.

Incipiunt capitula partis ejusdem:

I. Formula secundum quam debet sancta Synodus in Dei nomine fieri (14).

II. Quid canon, regula et synodus, etc. (15)

Sequuntur capita usque ad CXIII.

CXIV. Quod per singula territoria debeant presbiteri vel ministri per singulos annos a suis episcopis proprium petere chrisma, etc. (16)

Incipit: Per singula territoria presbiteri vel ministri ab episcopis non prout, etc.

CXV. De eadem re (17).

Incipit: Presbyteri qui per dioceses ecclesias regunt, etc.

CXVI. Qualiter presbyter suscipiendus sit, si veniat ad ecclesiam alterius episcopi causa visitandi (18).

Require supra in parte secunda de episcopis.

CXVII. Ad reatum episcopi pertinere vel ejusdem presbyteri qui parochie preest, si adolescentiores vidue et sanctimoniales, etc.

Incipit: Ad reatum episcopi pertinet, etc.

Sequuntur alia capita usque ad CLVII.

CLVIII. De psalmiste ordinatione.

Sequuntur alia capita usque ad CXCI.

Item ex registro beati Gregorii:

CXCII. De sanctis quatuor synodis recipiendis (19).

CXCIII. Qualiter synodale concilium celebrari debeat (20).

Sequuntur alia capita usque ad CCXX.

CCXXI. Item exemplum legum ex diversis causis.

Incipit his verbis: Exemplum legis de persona presbyteri hoc attendendum est, quia si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed episcopum ipsius adiri debuit. Sicut hec novellarum Constitutio manifestat que eloquitur. De sanctissimis et Deo amabilibus, ac reverentissimis episcopis et clericis et monachis imperante Justiniano pp. ag. Petro gloriosissimo pp., kap. LIII. Si quis contra aliquem, etc. *Post pauca ita prosequitur:* Ne vero objiciatur, quia ecce de eo-

(1) Ex novella Lege romana, lib. I., k. DVIII.
(2) Ex eadem novel.
(3) Ex eadem novel., k. CCCLXV.
(4) Ex eadem novel., k. CCCCLXIII.
(5) Clementis papae, k. LVIII.
(6) Anacleti pape, k. XXIII.
(7) Concil. Aurasic., k. XXX.
(8) Concil. hab. Valentia, k. I.
(9) Eiusdem, k. II.
(10) Concilium Ancyran., k. XII.
(11) Ex primo lib. novel., k. XXV.
(12) Ex eadem novel., k. CCCCXXXI.
(13) Ex eadem novel., k. DXXIII.
(14) Kap. praefationis Ysidori I.
(15) Eiusdem k. III.
(16) Concil. habit. in civitate vasensi, k. III.
(17) Concil. hab. in civit. vasensi, k. LXXXVII.
(18) Concil. eiusdem, kap. LVI.
(19) Ex reg. p. II. ad Savinum subdiaconum.
(20) Ex reg. p. I., k. CCLXXVI. predicto Jo. defen.

dem clero loquitur non de presbytero, sciendum est, quia superius in eadem Constitutione quinquagesimo primo capitulo legitur, appellationem clericorum etc.

Animadverte quod in indice capitulorum huic III. parti praefixo deest folium, in quo continebantur tituli Capitulorum decem ex Registro beati Gregorii, et reliqui tituli qui hic a nobis subjiciuntur, quemadmodum sunt in ipso Codice.

Item kap. Legis romane ad suprascriptam tertiam partem pertinentia.

I. De sanctis quatuor Conciliis (1).

Quatuor sanctorum Conciliorum canones pro lege habeantur, etc.

II. De Conciliis episcoporum per singulos annos faciendis (2).

Sequuntur octo alia capita.

Incipit de quatuor Synodis principalibus.

Canon grece, latine regula nuncupatur, etc.

Item ratio de canonibus Apostolorum et de sex Synodis principalibus.

Apostolorum canones, qui per Clementem romanum Pontificem, sicut quidam asserunt, dicuntur esse translati, sunt L. Prima autem Synodus in Nicea, etc. *sic vero desinit:* sexta in Constantinopoli CL. Patrum contra Macharium antiochenum et socios ejus, qui, etc.

Item brevis annotatio de reliquis Synodis.

Prima annotatio. Aquisane Synodi, que ante nicenam fertur fuisse, etc. *Desinit:* Vigesimaquarta item Lugdunensis, in qua Patres XX. statuerunt canones, quorum auctor maxime item Priscus Lugdunensis episcopus extitit.

Item annotatio: De Decretalibus Apostolorum, *incipit:* Silvester papa a Petro trigesimus quartus, etc. *Desinit:* Gregorius II. a Petro XCI. scripsit capitula XVII. omni Ecclesie servanda cum Patribus XXXIII., eaque sub anathematis vinculo alligavit.

Haec tertia pars in superiori margine inscribitur: De Synodo celebranda.

Quarta pars continet: De congruenti dignitate et diverso negotio presbyterorum et diaconorum, seu reliquorum Ordinum ecclesiasticorum.

I. Quod bipertitus sit Ordo presbyterorum (3).

II. De Ordine presbyterorum et diaconorum (4).

III. De eadem causa (5).

IV. De ordinationibus presbiterorum et levitarum (6).

V. De Ordinibus ecclesiasticis (7).

VI. De promotione singulorum Ordinum ecclesiasticorum (8).

Sequuntur capita usque ad CXXIV.

Hucusque de Presbiteris et Diaconibus; ab hinc de solis tantum Diaconibus.

CXXV. De ministerio diaconorum et quod tamquam oculi sint episcopis (9).

Sequuntur usque ad CXL.

Hucusque de Diaconibus; ab hinc de Subdiaconibus.

CXLI. Quid Subdiaconus cum ordinatur de manu episcopi accipiat, quid vero de manu archidiaconi (10).

Sequuntur capita usque ad CL.

Hucusque de Subdiaconibus; ab hinc de reliquis Ordinibus.

CLI. Qualiter acholitus ab episcopo sit ordinandus (11).

Sequuntur usque ad caput LXI.

Item ex Registro beati Gregorii quedam kapitula ad superiorem partem pertinentia.

CLXII. Quales ad sacrum Ordinem provehi debeant (12).

Ita habetur in Indice capitum praefixo huic parti IV., sed in codice ipso desunt capita omnia ex registro beati Gregorii. Verum post cap. CLXII. haec leguntur:

Incipit de septem gradibus ecclesiasticis beati Jeronimi presbiteri ad Rusticum, narbonensem episcopum.

Sufficere quidem fidei tue arbitror conversationem sanctam, quam habes in Christo Jesu, etc. *Desinit:* sicque omnes dispositiones in Ecclesia Christi hominem. *Et desinit pariter codex, qui mancus est.*

In indice vero prosequuntur capitulorum tituli.

CLXIII. Quales sint ordinandi presbiteri parochiales (13).

(1) Ex novel. Legis rom., k. DVI.
(2) Ex eadem novel., k. CCCCXXXVIII.
(3) Ex epistola Anacleti papae missa omnibus episcopis et reliquis sacerdotibus, k. XVIII. ad medium.
(4) Can. Apostolorum, k. II.
(5) Anacl. papae, k. XVIII. ad finem.
(6) Zephirini papae, k. XIV.
(7) Gai. papae, k. VI.
(8) Silvestri papae, k. VII.
(9) Clementis papae, k. XII.
(10) Concil. hab. Valen., k. XCIII.
(11) Concil. hab. Valen., k. XCIV.
(12) Ex reg., par. II., k. CLXXIX. ad Columbanum episcopum.
(13) Ex eodem reg., par. II., kap. LIII. ad episcopum sipontinum.

Sequuntur usque ad caput CLXXXII., deinde in indice ipso capitulorum haec habentur:

De pollutionibus, interrogatio Augustini et responsio Gregorii.

Si post inlusionem, que per somnium solet accidere, ut Corpus Domini quilibet accipere valeat, vel, si sacerdos sit, sacra misteria celebrare?

Responsio Gregorii.

Equidem hunc Testamentum vetus legis, sicut in superiori caput jam diximus, pollutum dicit, et nisi lotus aqua et usque ad vesperum intrare ecclesiam conceditur. Quod tamen aliter populus spiritualis intelligens sub eodem intellectu accipiet quo prefati sumus, quia quasi per somnium illuditur qui temptatur immundicia veris imaginibus in cogitatione inquinatur, sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrimis abluat; et nisi prius ignis temptationis recesserit, se non se (1) quasi usque ad vesperum cognoscat. Sed est in eadem inlusione necessaria valde discretio, que subtiliter pensari debeat, etc. *Desinit:* ecce itaque est homo, ut ita dicam, captivus et liber; liber ex justitia quam diligit, captivus ex delectatione quam portat invitus.

Quod nihil prosit sacerdoti etiam si bene vivat, si male viventes tacendo non contradicit.

Quod vero dicit Apostolus, ut nos formam debeamus exhibere fidelibus, etc.

Haec pars IV. inscripta est in superiori margine:

De presbiteris et reliquis Ordinibus.

Codex Vaticanus num. 1378 in membrana in folio scriptus XII. vel XIII. saeculo continet hispani cuiusdam, Laborantis nomine, glossas ad Collectionem decretalium Innocentii III. a Petro Beneventano concinnatam. Praemittitur in Codice Innocentii constitutio universis Magistris et Scholaribus Bononiae commorantibus data. Ad eandem vero Constitutionem incipiunt glossae, ubi haec inter caetera leguntur:

Dominus et sanctissimus papa Innocentius eminentis scientie et perspicacissimi ingenii decretales epistolas usque ad XII. annum per notarium, virum providum et discretum, et magistrum quondam Bononie, sub competentibus titulis compilavit. Super quarum compositione ego Laborans, vir hispanus, in expositione glossularum veniam postulo a lectore.

Desinit Codex in tit.: De sententia excommunicationis constitut., *quae incipit:* Idem Doctoribus decretorum Bononie. *Inter alia, quae strigoniensis archiepiscopus proponi fecit, nos recolimus respondisse, etc.*

V.

Ex codice Bibliothecae barberinae, num. 1881 (2).

Incipit in haec verba:

In Trinitatis nomine (3) sancte et individue
Incipit hinc feliciter istius libri series
Quem sanctus ex Italia Anselmus quondam Pontifex
Lucano fuit Ecclesie.
Vir prudens ac catholicus in Christo fide fervidus
Carpsit ex toto Canonum Patrum sanctorum corpore
Utiliora colligens proficui (4) nostrum providens
Et de causis omnibus sibi convenientibus
Singulos composuit in hoc volumine codices.

Praemittuntur deinde nomina romanorum pontificum a beato Petro apostolo usque ad Urbanum — natione francigenam ex patre Milone de oppido Castilionis, qui sed. annos XI. menses IV. dies XV. — *ubi etiam nonnulla interseruntur, quae ad historiam ecclesiasticam pertinent. Bina hic exscribam exempla speciminis loco:*

Zacharias annos X. menses IV. dies XIII.

Hic francorum regem Karolum, fratrem Pipini, fecit clericum et misit eum in cassinense monasterium fieri monachum. Cui etiam monasterio dona plurima cum privilegio apostolice Sedis contulit. Hic ob infestationem Aistulfi, regis longobardorum, pergens Franciam, unxit Pipinum, fratrem Caroli regis, et duos filios ejus in reges francorum. Qui rex simul veniens cum eo Italiam, abstulit Ravennam et XX. alias civitates eidem Aistulpho, et sub jure sancti Pe-

(1) *Sic.*

(2) Est in membrana in 4.° nitide scriptus, atque ex caractherum forma certam coniecturam facere possumus, eundem saeculo XIII. fuisse conscriptum. Eorum autem, quae in ipso continentur, hoc specimen damus.

(3) His verbis rhythmus continetur, quem dividas oportet hoc modo:

In Trinitatis nomine
Sancte et individue
Incipit hinc feliciter
Istius libri series,
Quem sanctus ex Italia
Anselmus quondam Pontifex
Lucane fuit Ecclesie
Vir prudens, etc.

(4) *Proficui,* mendose pro *profectum.*

tri redegit; unde etiam Patricius romanus est effectus.

Paulo inferius:

Adrianus annos XIII. menses X. dies XVII. Hujus precibus vocatus Carolus Magnus, supranominati Pipini regis filius, obsedit Longobardos in Papia, ubi cepit Desiderium regem et uxorem ejus, quos capiens portavit in Franciam. Et reddidit omnia que pater ejus Pipinus dederat beato Petro, adjuncto quoque ei ducatu spoletano et beneventano. Ob hoc et ipse Patricius Romanorum est dictus.

Praemittitur item series imperatorum a nativitate Christi usque ad Constantinos, Heraclii fratrem et filium, adiecta insuper annorum periodo, qua quilibet imperator regnavit, quae omnia exscripta sunt ex chronica Bedae presbyteri.

Post haec pag. I.ª Collectionis Canonum exhibetur idea totius operis in haec verba, quae exscribenda ducimus:

Incipit capitulatio librorum, quos beatus Anselmus, lucensis episcopus, de coequalibus causis singulos in hoc volumine libros composuit:

I. De potestate et primatu apostolice Sedis.
II. De libertate appellationis.
III. De ordine accusandi, testificandi et judicandi.
IV. De privilegiorum auctoritate.
V. De ordinationibus ecclesiarum et de omni jure ac statu illarum.
VI. De electione et ordinatione, ac de omni potestate sive statu episcoporum.
VII. De vita et ordinatione clericorum.
VIII. De lapsis.
IX. De sacramentis.
X. De conjugiis.
XI. De penitentia.
XII. De excomunicatione.
XIII. De vindicta et persecutione justa.

Explicit adnotatio precedentium librorum.

Hinc immediate sequitur:

Incipit autentica et compendiosa collectio regularum et sententiarum sanctorum Patrum et auctorabilium Conciliorum, facta tempore VII. GG. sanctissimi Pape a beatissimo Anselmo lucensi episcopo ejus diligenti imitatore et discipulo, cujus jussione et precepto . . . . hoc opus.

Libri primi capitula numerantur XCIII. Nonnulla ex eisdem notatu digna videntur.

Sunt autem huiusmodi:

LXXVI. De constantia pape Agapiti contra Justinianum Augustum, quem tandem ad pedes suos humiliatum vidit.

LXXVII. De obedientia et honore, quem Tiberius imperator exibuit pape Constantino.

LXXIX. Quando Gregorius papa regnum a Leone imperatore separavit propter ejus impietatem.

Similia fere sunt, sive eiusdem generis, quae sequuntur capitula usque ad num. LXXXIX.

Caput secundum continet capitula n. LXXVIII. in quibus fuse de iure appellationis ad romanum pontificem disseritur. Exscribimus hic capitulum LXXII., si quid ad historiam ravennatem conferre poterit, quod tamen cum vaticani codicis exemplari conferendum ob menda quae in ipso occurrunt:

Coustantinus, natione Syrus, ordinavit Felicem archiepiscopum ravennatem, qui secundum . . . . . suorum solitas noluit in scrinio facere cautiones, sicut per potentiam judicum exposuit, ut pontifex maluit. Venit autem et Benedictus archiepiscopus mediolanensis orationis voto et suo se pontifici presentare. Altercavit autem et pro Ecclesia ticinensi sicut convictus est eo quod a priscis temporibus Sedi apostolice ejusdem ticinensis Ecclesie antistites ad consecrandum pertinebat et pertinet, etc.

Libri III. capitula numerantur CXXIII. Quorum LXXXIV. pertinent ad loca communia de ordine accusandi et testificandi; reliqua vero, veluti a primis sejuncta, in corpore per haec verba indicantur:

Incipiunt capitula que ex grecis et latinis canonibus et Synodis romanis, atque decretis presulum ac principum romanorum sparsim collecta sunt. Et Angelranno Mediomatrice urbis episcopo, Rome a beato papa Adriano tradita sunt XIII. kalendas octobris, indictione IX. quando pro sui negocii causa agebatur.

Capitulum autem, quod immediate sequitur num. LXXXV., est huiusmodi:

Quod Dei ordinationem accusat, qui episcopos accusat.

Multa vero in his capitulis afferuntur ex Synodo chalcedonensi, praesertim sub fine, nec non ex Synodo romana sub Felice, tum vero etiam ex actionibus VI. Synodi CCLXXXIX. Episcoporum, ex ephesino Concilio, aliisque.

Amanuensis vitio canones et decreta haec omnia, quae commemoravimus, confusa sunt, neque suo loco posita. Inter subscriptiones actionum sextae Synodi haec occurrit:

Theodorus humilis presbiter sancte ravennatis Ecclesie locum gerens Theodori beatissimi archiepiscopi.

Sed de his in Concil. gener. Labbaei.

Capituli libri IV. num. LVII. de Privilegiis pertractant, nihilque in iisdem reperitur, quod ad idem argumentum non spectet. Idem fore dicito de iis argumentis, quae in rubrica superius exscripta commemorantur. Libri V. capitula numerantur LXXIII., lib. VI., CCXI., lib. vero VII., CCI.

Desiderantur in hoc codice reliqui libri usque ad XIII. Sub fine autem alia nonnulla decreta et canones afferuntur, sed ex variis incertisque fontibus deprompta, nullo servato ordine, et praetermisso etiam in quibusdam toto argumento.

Postrema pagina binas epistolas continet, sed alienae sunt recentiorisque manus. Easdem autem hic exscribemus:

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, B. cappellano ecclesie sancti Juliani, salutem et apostolicam benedictionem. Per presentia tibi scripta mandamus quatenus dilecto filio nostro J. priori et fratribus ecclesie sancti F[ridiani] obedias, utpote quibus a nobis sancti Pantaleonis ecclesia est commissa. Quod si eis obedire contempseris, noveris eisdem a nobis licentiam datam esse te exinde amovendi et locum ipsum ad honorem Dei et salutem Ecclesie ordinandi. Datum Rome kalendis novembris.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, Raimundo Rustico atque Baroni presbiteris salutem et apostolicam benedictionem. Non dubium vobis est quod ecclesiam sancti P[antaleonis] ad reformandam in eodem loco religionem dilectis filiis nostris J. priori et fratribus sancti Fridiani ecclesie commisimus. Proinde, apostolica vobis auctoritate precipimus ut, quod a nobis exinde factum, est irrefragabiliter observetis. Et neque in eadem ecclesia, nec in aliquo loco ad eam pertinente absque eorundem fratrum licentia maneatis. Quod si contradictores extiteritis, nisi infra xv. dies post susceptionem presentiarum literarum ab hujusmodi pertinacia resipueritis, ex tunc divinum vobis officium interdicimus. Data Laterani ij. idus octobris.

Atque haec sufficiant quoad Specimen huius Collectionis Canonum. Non omittendum tamen, Codicem vaticanum num. 1364 hanc eandem Collectionem Canonum continere, neque in eo desiderari postremos libros. Quapropter et illius Specimen dabimus.

Codex iste est in membrana in quarto, ante XII. saeculum conscriptus. Nullibi Anselmi nomen praefert. Eadem vero continet quae in Barberino Codice habentur sub nomine Anselmi lucensis. In XII. libros dividitur; atque, si excipias librum XI. de Poenitentia, reliqui respondent iis, qui in Barberino notantur. Singula fere capita et argumenta praeferunt nomen romani Pontificis ex quo decretum sumitur. Alia nonnulla praemittunt nomen alicuius Concilii vel sancti Patris, quandoque etiam imperatoris. Placet autem nonnulla adnotare, quae ex M. Gregorio deprompta sunt.

Cap. LXX. libri primi:

Quod nemo potest accedere ad beati Pauli corpus et sudarium ejus, de cujus catena interdum limari potest, interdum non.

Gregorius Constantine imperatrici, etc. Sudarium beato Pauli Apostoli, etc.

Cap. LXVIII. libri secundi:

Quod constantinopolitana Ecclesia, sicut et cetere omnes, romane Sedi debet esse subjecta.

Gregorius Ap.(1) Siracusano, *inter cetera.* Nam de constantinopolitana Ecclesia, que dicitur, quis eam dubitet Sedi apostolice esse subjectam, etc.

Lib. III. cap. XXX.:

Ut si laicus contra clericum causam habeat, Episcopum adeat.

Gregorius Romano defensori Sicilie. Pervenit ad nos, quia si quis contra quoslibet clericos causam habeat, despectis eorum Episcopis, etc.

Lib. III. cap. LXIX.:

Quod damnatio et absolutio ejus irrita est, cujus causa non est subtiliter examinata; et propter extortam confessionem damnari nullus debeat.

Gregorius Constantino episcopo mediolanensi. Perlectis epistolis, quas ad nos per Marianum latorem presentium transmisistis, gratam nobis sollicitudinem, etc.

Eiusdem lib. III. cap. LXXXIX.:

Commonitorium pape Gregorii Johanni defensori, quia litem agere debeat de quibusdam episcopis injuste damnatis et de presbiteris quibusdam, etc.

Gregorius commonitorium (2) Johanni defensori eunti in Hispaniam. In primis requirendum de persona presbiteri dilectissimi fratris et coepiscopi nostri Januarii, et si ita se veritas habet, sicut ejusdem episcopi petitio continet, in ecclesia atque loco suo idem presbiter modis omnibus revocetur, etc.

Quatuor occupat paginas Commonitorium istud.

Eodem libro, cap. XCIX.:

Quod primis (3) defensoribus adjunxit regionarium honorem et ut inter clericos sedent.

(1) Legendum *Johanni,* ut in editis.

(2) In editis vocatur *capitulare I. et II.*

(3) In Codice est *pp.*

Gregorius Bonifacio primo defensori: *post pauca:* Quia igitur defensorum officium in causis Ecclesie et obsequiis noscitur laborare pontificum, hac eos concessa perspeximus reconpensationis prerogativa gaudere, constituentes ut scilicet in Schola notariorum atque subdiaconorum per indultam longe retro Pontificum largitatem sint regionarii constituti, etc.

Cap. sequenti C.:

Q. papa Gregorius Romano defensori adauxit honorem.

Gregorius Petro subdiacono Sicilie de divinis causis: *inter caetera:* Romanum defensorem in gratia familiaritatis recepi. Coram clero polypticum deduxi presbiterum et auxi. In loco eum superiorum inter defensores posui, etc.

Cap. CIX. eiusdem libri:

Quod Spiritum Sanctum blasphemant, qui contra sacros canones perverse agunt.

Gregorius papa Johanni episcopo Corinthiorum. Aequitatem atque sollicitudinem Secundini fratris et coepiscopi nostri, que olim nobis bene erat cognita, etiam series judicata monstravit. In qua re valde placuit letosque reddidit, etc.

Plurimae aliae divi Gregorii epistolae afferuntur libris sequentibus, quas tamen hic omittimus, cum in vulgatis Gregorii libris habeantur. Aliqua tantum hic adiiciemus de iis libris qui in Codice Barberino desiderantur. Sed primo notandum numerum capitulorum in hoc Codice minime respondere iis quae in Barberino notavimus. Ita, exempli gratia, liber primus continet capitula LXXXIX., secundus LXXXII., liber tertius CXVII., liber quartus LV., liber quintus LXXVIII., liber sextus CCI., liber septimus CCIX.

Liber VIII., ut iam ad rem veniamus, inscribitur De Lapsis. *Continet capitula XXXIX., in quibus primo generatim agitur de clericis, tum de episcopis, presbyteris, caeterisque in minoribus ordinibus constitutis. Ac plura hoc libro afferuntur decreta ex Gregorio M. Quaedam etiam ex Siricio papa et Cypriano.*

Libri IX. capitula sunt LXIX., in quibus de Sacramentis fuse agitur. Decreta quae ibidem continentur, ex Alexandro urbis Romae episcopo, ex Silvestro, Leone, Gelasio. Clemente, Innocentio, Melchiade deprompta sunt. Quaedam etiam Cypriani, Gregorii M. et Augustini nomen praeseferunt.

Liber X. habet capitula LXXIII. In iis de sacramento matrimonii materia omnis exponitur, desinitque liber in explicandis cognationis gradibus. Praeter Gregorii, Hieronymi, aliorumque summorum pontificum nomina ad caput XXIX. De separatione coniugatorum, qui filium defunctae susceperunt, *citatur Deusdedit, sanctae romanae Ecclesiae et apostolicae Episcopus,* Gordiano hispaniensis Ecclesie coepiscopo et fratri dilectissimo, *etc.*

Ad caput XXXIV. recitantur duodecim anathematismi sancti Gregorii M. circa rem sacramentariam. En initium:

Si quis presbiteram
Si quis diaconam
Si quis monacham
Si quis comatrem
Si quis sororem
Si quis neptem, etc. } in conjugium duxerit anathema sit.

Libri XI. capitula sunt LXXV. De excommunicatione ibidem agitur. Atque illud inter caetera affertur ex Gelasio papa. Quod Acacius juste et canonice sit damnatus. *Haec declaratio sub nomine Gelasii habetur pagina 245, ac desinit pag. 254. Sic incipit:* Gelasius episcopus Dardanie. Valde mirati sumus, quia vestra dilectio quasi novam et veluti difficilem questionem, *etc.*

Liber tandem XII. capitula XXVIII. complectitur: De vindicta et persecutione justa. *Pleraque, quae hoc libro continentur, sunt Augustini et Gregorii, si nonnulla Gelasii excipias.*

VI.

Ex Codice Vaticano n. 2280, continente Huguccionis Summa super Decreto, *a fol. 1 ad fol. 371, cum additionibus ad eamdem Summam Johannis de Deo, a dicto fol. ad 388* (1).

Fol. I. incipit:

Ad honorem sponse, idest Ecclesie. Post legem naturalem secuta est mosaica, inde prophetica, postea evangelica, exinde apostolica; demum ut gloria sponse plenius refulgeret, subsecuta est lux canonica, multiplicem in se canonum sive decretorum continens varietatem.

Haec uberius describit; tum Gratiani textum perpetuo Commentario illustrat ad pag. usque 370. Pag. 371 sequuntur additiones Johannis de Deo hispani, quarum huiusmodi est initium:

Venerabili nostro Deodato filio Prefecti urbis Rome, ac magistris et scholaribus universis Bononie morantibus magister (2) Johannes de Deo Yspanus Doctor decretorum (3) *etc.*

(1) Codex magnae molis membrana in fol. max. ex post. saec. XIII.

(2) *Nst.*, id est *noster:* sed lege *magister.*

(3) Legitur *doctorum.*

Tum post pauca:

Noscat vestra docta providentia, quod magister Hugo morte preventus non potuit omnino perficere Summam Decretorum, sed defecit in XXIII. cap., q. IIII., etc. Quare ego Johannes de Deo precibus et postulationibus magistrorum et scholarium, et tuis precipue Deodate, aggressus sum opus perficere et, divina favente gratia, consumavi.

Ad calcem operis huiusmodi leguntur versiculi:

En ego quem genuit Hispania clara sodalis
Hoc opus explicui precibus Magistri imperialis,
Hugo quod Presul preventus morte nequivit,
Hoc sed inexpleto leto perventus obibit
Ceptum perfeci tutans pie Virgo Maria;
Sed tamen emendet totum, rogo, vestra sophia.

VII.

Ex Codice palatino vaticano qui continet Breviarium Extravagantum Bernardi Praepositi papiensis, *et* Synopsim, *sive* Summam Sychardi cremonensis episcopi (1).

Incipit Breviarium Extravagantum beati Prepositi papiensis anno dominice incarnationis MCLXXIX. presidente romane ecclesie sanctissimo papa Alexandro III., pontificatus ejusdem anno XX. mense martii, indictionis XII., et VIII. die mensis. Sedata jam discordia, etc.

Atque hic fuse describitur schisma ab Octaviano Antipapa et Joanne strumensi excitatum adversus Alexandrum III. Tum memoratur Concilium lateranense ab eodem Alexandro III. indictum. Notanda sunt haec verba:

Sancta et universalis Synodus episcoporum, a diversis mundi partibus convocatorum, congregata est in basilica, que appellatur Constantiniana, in qua Synodo XXXVIII. canones promulgavit sanctissimus papa Alexander.

De se ipso autem auctor huius Breviarii paulo infra haec habet:

Ut autem vobis uberior allegationum et judiciorum copia preparetur ad honorem Dei, sancteque Romane Ecclesie ac studentium utilitati, ego B. Papiensium Prepositus exempla de veteri novoque jure sub titulis compilavi, super operis imperfectione veniam postulans a lectore.

Titulus primus est: De Constitutionibus et Concilio meldensi; *postremus:* De regulis juris.

Sed iam de altera parte huius Codicis, quam antiquiori manu scriptam iudicamus, specimen aliquod hic adiiciendum. Initium est huiusmodi:

Incipit Summa secundum magistrum Syckardum cremonensem episcopum.

Haec minio scripta leguntur:

Diligite justitiam, qui judicatis terram. Parum est jus esse in civitate, nisi sint ministri, per quos ordinetur et exerceatur. Sed et ministros tales esse oportet in civitate Domini, qui debeant errata corrigere, sciant negocia definire, etc.

Que sit materia.

Materia Gratiani sunt canones, decreta, consultationes et verba sanctorum Patrum vim canonum habentia. Intentio ejus principalis hec in unum colligere et eorum discordiam ad concordiam revocare. Secundaria est viros ecclesiasticos moribus informare, et in misteriis, negociis et sacramentis instruere. Causa fuit desuetudo juris canonici; venerat enim in desuetudinem, ut ecclesiastica negocia potius consuetudinibus, quam canonibus regerentur. Distinguitur liber iste in tres partes. Prima est usque ad primam causam. Secunda usque ad Consecrationem. Tertia usque ad finem. Primam divisit, ut quidam ajunt, Paucapalea in C. et I. distinctiones secundam Gratianus in XXXVI. causas . . . ; tertiam quoque, ut ajunt, Paucapalea in V. distinctiones divisit. Sed quisquis fuit ille, meo judicio minus sufficienter et discrete, ut evidenter apparet in distinctionibus IV. et XXV. et XLVIII. et pluribus aliis. Causa divisionis fuit, ut fastidium tolleretur. Inde inolevit consuetudo ut prima pars dicatur *Distinctiones*, sicut in legibus tres partes, secunda *Cause*. Et primam quidem Gratianus ministeriis, secundam negociis, tertiam vero deputat sacramentis. Inde est, quod primam vocat tractatum ordinandorum, tertiam vero tractatum consecrationis.

Nos quoque, licet scientia tenues, sociorum tamen utilitatem ferventi animo cupientes aliquid in gazophilacio cum vidua ponimus, et pratum Gratiani diffusum, velut insertum compingimus, ejusque pelagus ad potabilem rivum deducimus. Celum tamen ejusdem, sicut pellem extendimus, ut ejus noctem stellis dictionum aliquatenus illustremus, quas partim a Gratiano ipso accepimus, partim de scriptis in hac scientia peritorum suscipimus, partim a patribus nostris audivimus, partim nonnulla ex nostra quoque officina producimus, nec vero si aliquorum lingua pruriat aut livescat invidia, dum multorum

(1) Cod. in membrana in fol. Prima pars saeculum XIII. non antecedit, altera vero paulo antiquior videtur.

proficiat disciplina. Vestigia Gratiani ex maxima parte prosequimur et capitula proponimus, ut quod queritur facilius inveniatur.

Incipiunt Capitula prime partis, que est ministrorum ecclesie.

I. De quatuor preparatoriis Gratiani, et divisionibus et subdivisionibus Juris.

II. De variis acceptionibus Juris, vel moris et legis.

III. De quinque convenientiis specierum juris et legis.

IV. De quinque differentiis earumdem.

V. Queritur si jus naturale sit immutabile, etc.

Atque ita deinceps totam primam partem distribuit in capitula CXXII.

Post indicem capitum sic primam partem incipit Sichardus:

Incipiunt preparatoria: Magister Gratianus Ecclesie, velut matri sue, templum ex tribus partibus edificare proposuit, quod ut perfectius consummaret, quedam, quasi bases et columnas, preparatoria huic operi necessaria prelibavit, scilicet multiplices juris divisiones etc.

XV. Capitulum est de Conciliis et refertur ad distinctionem XVII., ubi sic ait Sichardus:

Nota quod officia Conciliorum sunt docere, hoc est de fide tractare, instituere, hoc est canones promulgare, definire, idest lites dirimere, corrigere, idest moribus imbuere. Item nota quod provincialia bis vel semel in anno fieri debent certis temporibus .... Quicumque autem vocatur ad Concilium pro comuni utilitate, suspendatur, si non venerit, aut sine licentia recesserit, nisi canonice se excusaverit. Distinct. XVII. Pla. Est autem triplex excusatio, corporis, ut senectutis, egritudinis; Ecclesie in dampno vitando, tamen rationabili, in lucro captando, tamen rationabili, nisi persona ejus Synodo fuerit necessaria, quia plurimorum utilitas unius utilitati est preferenda. C. VII. Q. I. scias. Preceptionis Regis. Distinct. VIII. L. Episcopus. Si enim rex precepisset episcopo ire ad Curiam, quando Metropolitanus vocavit ad Synodum, prius parendum est regi, quam archiepiscopo. Alias vero de Apostolico dicendum est, quia, sive ante, sive post precipiatur a rege, prius tamen pareatur apostolico, nisi speciali juramento ad hoc teneatur. Ratio diversitatis est, quia Metropolitanus subest in secularibus, Apostolicus autem preest in omnibus. Cap. XXIII. Q. VIII.

Capitula secundae partis:

I. Quid sit causa et unde dicatur.

II. Qualiter dividatur.

III. Quid simonia et in quibus deprehenditur, unde dicitur quot modis committitur.

Ita deinceps singulae causae exhauriuntur, quibus secunda pars componitur. At de Poenitentia, ne verbum quidem, ut facile coniici possit, longam illam tractationem de Poenitentia, vel nondum Sicardi aetate in Decretorum librum illatam vel non agnitam, ut legitimum Gratiani foetum, vel si talis etiam reputata sit, Theologis potius relictam, nec dignam habitam, quae inter canones et decreta ecclesiastica locum haberet.

Forma Accusationis. Anno ab incarnatione Domini mill. cent., domino Alexandro sedente in apostolica Sede, anno pontificatus illius etc., regnante Federico, anno regni ejus etc., imperii, etc.

Alia. Anno Domini mill. etc. Adriano sedente in Cathedra Petri anno apostolatus ejus, etc.

Tertiam partem appellat Summam de Sacramentis, *ac procedit eodem ordine ac apud Gratianum.*

VIII.

Codices Vaticani 621 et 622, in quibus occurrit Decretum Gratiani *una cum paucis iisdemque interlinearibus glossellis, nihil praeseferunt, quod hic afferre necesse sit.*

IX.

Nullibi indicavit clarissimus Sartius hunc numerus, ut notavit Maurus Fattorinius; sed tamen ex ipsius schedis coniicere videtur propositum ipsi fuisse assignare eidem numero Excerpta Codicis membranacei Bibliothecae Collegii Hispanorum, quae iam allata sunt inter Mon. spect. ad prof. iur. civ. *(pag. 27-28, num. IX.).*

X.

Necrologium rhenanum (scilicet Canonicorum Regularium Congregationis sancti Salvatoris Bononiae, nunc in Bibl. Nat. parisina) cuius excerpta hic damus, editum est ex autographo a clarissimo Trombellio, eiusdem Congregationis abbate, ad calcem libri: Memorie storiche concernenti le due Canoniche di santa Maria di Reno e di S. Salvatore insieme unite, *pag. 329 et seq.*

Eiusdem etiam Necrologii apographo, iam in Bibliotheca ipsorum Canonicorum extanti, et nunc

fortasse deperdito, tale initium: Copia antiquissimi kalendarii sancte Marie de Rheno, facta de ordine reverendi patris fratris Stephani Cioni de Senis, quia illud jam lacerum et antiquitate corrosum de facili amitti posset. Et incipit ad honorem Domini nostri Salvatoris et beatissime Virginis matris ejus Marie. Amen. Kalendarium Rhenanum, in quo ponuntur obitus illustrium virorum Canonicorum Fratrum nostrorum et benefactorum Canonice sancte Marie de Rheno.

JANUARIUS.

Kalendis januarii. Objit magister Bulgarus, doctor legis.

VI. idus. Objit magister Oddo, canonicus sancti Petri.

Id. Anno Domini MCCLIV. Objit Robertus anglicus, frater noster. Oremus pro eo.

FEBRUARIUS.

II. nonas. Objit dominus Bandinus. Anno MCCXVIII. de quo habuimus III. libras bon.

Bandinus Tuscus legum splendore coruscus,
In Pisa natus jacet hoc tumulo tumulatus.

Nonis. Objit Clarimbaldus sedunensis, de quo habuimus XX. soldos pisanorum.

XIV. kalendas. Objit magister Wilielmus winchoniensis.

III. kalendas. Anno Domini MCCXXIX. Objit magister Lanfrancus de Crema, conversus sancte Marie de Reno, de quo habuimus unam vineam positam in Linari, et unam domum et multas possessiones in Ulmetula positas, et alia multa bona, pro quo tenemur pro eo specialiter orare.

II. kalendas. Objit Hebertus anglicus.

MARTIUS.

IV. nonas. Objit magister Pratus archipre-[s]biter de Polinago.

VII. idus. Objit Johannes teatinus (1) scholaris, de quo habuimus XV. soldos bononenorum.

XVII. kalendas aprilis. Objit Wilielmus subdiaconus de Troja.

XV. kalendas. Objit Guido arziepiscopus (2) aquensis.

XIV. kalendas. Anno Domini MCCXXXIV. Objit bone memorie dominus Bonifacius doctor legum, pro quo habuimus duos baldachinos. Oremus pro eo.

VII. kalendas. Objit magister Rogerius agnicus (3), conversus sancti Salvatoris.

Objit Rolandus, abbas monasterii Virgilliensis.

V. kalendas. Anno Domini MCCVII. Objit Willelmus de Seva, de quo habuimus X. soldos.

IV. kalendas. Anno MCCIII. Objit magister Ugo de Monasterio in episcopatu Aretino, de quo habuimus VII. libras bononenorum pro anima ejus.

APRILIS.

VI. idus a. d. MCCLXXI. Objit dominus Petrus de la Frenedha de provintia Normandie, de civitate . . . . ., [dioc.] . . . . . gensis, nobilis miles; de quo habuimus unum copertorium de serico et VIII. libras bononenorum et alia multa bona: cujus corpus jacet in claustro nostro juxta murum ecclesie inter sacrarium et altare sancti Salvatoris; cujus anima requiescat in pace. Amen. Oremus pro eo.

IV. idus. Anno Domini MCCXXXV., indictione VIII.

Obiit dominus Jacobus Balduini, summus doctor legum.

Id. Anno Domini MCCVII. Objit Hermannus monachus, augensis ecclesie diaconus, de quo habuimus X. soldos bolonenorum.

VII. kalendas. Obitus patris et matris magistri R. de Hereford.

XIII. kalendas. Anno Domini MCCXI. Objit Wilelmus anglicus, pro quo habuimus centum soldos bononenorum pro opere sancti Thome martyris.

X. kalendas. Objit magister Wido medicus, de quo habuimus VI. libras bononenorum et unam casam.

II. kalendas. Objit magister Guido, canonicus sancte Marie de Reno.

MADIUS.

VI. nonas. Objit Ildeprandus presbiter canonicus s. Marie de Reno, qui vocatur Manducator.

IV. nonas. Anno Domini MCCIV. Objit magister Johannes Morsu conversus noster, qui reliquit nobis domum et omnia sua bona. Anno Domini MCCXLVI.

Objit magister Petrus Perosinus medicus vulnerum, qui reliquit nobis unum palium valentem VII. libras bononenorum, et XL. soldos bononenorum pro uno psalterio.

II. nonas. Objit magister Wilielmus anglicus lugdonensis, de quo habuimus quamplures libros et XVII. soldos . . . se nobis pro canonico et fratre anno Domini MCLXXXVII., indictione V.

XV. kalendas MCCXXXII. Objit dominus

(1) Fortasse: *reatinus.*

(2) *Sic.*

(3) Fortasse *anglicus.*

Anselmus teotonicus, qui reliquid nobis tres libras boloni[n]orum.

V. kalendas. Objit domnus Americus cancellarius Cardinalis, canonicus sancte Marie, qui dedit nobis calicem magnum et siphum argenti et X. untias auri.

In alio apographo legitur: Anno Domini MCXXXVIII. Objit dominus Aymericus S. R. E. diaconus Cardinalis et cancellarius domini Innocentii pape II., qui fuit de nostris, et dedit nobis calicem magnum et sciphum argenti et X. uncias auri. In cujus loco fuit substitutus dominus Gerardus presbiter canonicus noster.

JUNIUS.

XIII. kalendas. Millesimo centesimo nonagesimo septimo, in die sanctorum Gervasii et Protasii atque Rom[u]aldi.

Objit Johannes de Fabriano, de quo habuimus XL. soldos bononenorum.

IX. kalendas. Objit magister Machinaldus brisiensis, qui reliquit nobis XX. sol. imperialium.

JULIUS.

VII. idus. Objit David de Lessevad[e], de quo habuimus X. soldos bon. pro refectione fratrum, et XX. soldos bon. pro opere sancti Thome.

IV. idus. Objit magister Guarnerius, canonicus et diaconus sancte Marie de Reno.

XIV. kalendas. Obijt Henricus episcopus bononiensis ecclesie.

XIII. kalendas. Objit Wilielmus de Phano.

VI. kalendas. Objit Guido filius ma[gi]stri Aldrici.

AUGUSTUS.

Kalendis. Objit magister Wilielmus Dunnus et canonicus Lucensis ecclesie, de quo habuimus X. soldos pisanorum et IV. quaternos sermonum.

Nonis. Objit . . . . . anglicus, de quo habuimus XX. soldos pro testamento.

VIII. idus. Objit Petrus clericus sabaudiensis, de quo habuimus X. soldos bononenorum.

IV. idus. Objit magister Johannes anglicus, de quo habuimus X. soldos imperialium.

Id. Objit dominus Wuilielmus de Eboraco anglicus, de quo habuit domus sancti Salvatoris palafredum (1). MCCXXXIV., indictione VII.

XIX. kalendas septembris. Objit magister Bernardinus, de quo habuimus psalterium unum.

XVIII. kalendas. Obiit magister Ricardus anglicus.

XII. kalendas. Objit Bonacursus filius magistri Bulgari, qui reliquit nobis braidam unam.

VIII. kalendas. Objit Rainaldus anglicus et fidelissimus coadjutor ecclesie sancti Thome.

VI. kalendas. Objit Tedericus frater magistri Bulgari.

III. kalendas. Isto eodem die objit magister Stephanus de sancto Augustino, de quo habuimus XX. libras bononenorum.

II. kalendas. Objit Matillis mater Seffredi anglici.

SEPTEMBER.

IV. nonas. Objit Gilbertus de Norantona, de quo habuimus V. bizancios.

III. nonas. Objit Wilielmus anglicus, de quo habuimus IV. soldos sterlingorum et XL. soldos bononenorum.

II. idus. Anno Domini MCCXXXV. Objit magister Rodulphus anglicus, de quo habuimus III. libras bononenorum.

Objit doctissimus Bosius anglicus, presbiter Cardinalis sancte Potentiane (2), romane Ecclesie Camerarius, canonicus sancte Marie de Reno.

Id. Objit magister Petrus, conversus sancte Marie in Portu.

XVIII. kalendas octobris. Objit Philippus de Irlanda, qui reliquid III. soldos de sterlini operi sancti Thome.

XVI. kalendas. Objit Bertrandus Rostagni canonicus Massilie, pro quo habuimus XL. soldos.

XV. kalendas. Objit magister Gualfredus.

X. kalendas. Objit magister Rogerius, qui fecit fieri novam sepulturam in cimiterio novo.

VII. kalendas. Objit Eblo Cigot de Francia, canonicus suessionensis, pro quo habuimus unum tabetum, et lectum unum et equum, quem frater suus Archidiaconus suessionensis dedit.

OCTOBER.

IV. nonas. Anno Domini MCCVI. Objit magister Benincasa aretinus, pro anima cujus XX. soldos bononenorum accepimus.

III. nonas. Objit Bulgarinus filius magistri Bulgari.

V. idus. Anno Domini MCLXXVIII. Objit magister Jacobus et doctor legum.

XVI. kalendas. Objit mag. Ugo provincialis.

XI. kalendas. Prior Ubertus, decretorum doctor, stetit tribus annis, et fuit pos[t]modum episcopus concordiensis.

X. kalendas. Objit magister Ugo de Arli, de quo habuimus unam cultram de zinnato.

II. kalendas. Objit Vilelmus de Agileriis massiliensis, frater noster, pro quo accepimus XX. soldos.

(1) Vid. *Du Cange* de verbo *Paravaredi.*

(2) *Sic.*

NOVEMBER.

Kalendis. Hic incepit annale obsequium pro anima Matillidis matris Seffredi anglici.

VIII. idus. Objit dominus Raimundus de Avinione, provincialis, octavo die intrante novembri, de quo habuimus XX. soldos bon.

VII. idus. Anno Domini MCCLXX. Objit dominus Galvanus de Allegralcore, doctor legum, judex, noster amicus octimus (1) et perfectus nostre domus, de quo habuimus unum bonum et octimum baldachinum. Oremus pro eo.

Objit Gerardus, bononiensis episcopus.

III. idus. Objit Gualfredus aquensis, de quo habuimus XX. soldos bononenorum, cultram et II. linteamina.

XVII. kalendas. Objit magister Wuilielmus de sancto Germano, capellanus domini pape, qui dedit ecclesie sancti Salvatoris unum missale, in quo solvit XIV. libras et dimidiam, et pro anima sua reliquid nobis X. libras bon. Orate pro eo.

XVI. kalendas. Objit magister Samuel frater noster, de quo habuimus X. libras bononenorum, et V. libras capella sancti Thome.

VII. kalendas. Hoc eodem die concessit prior et conventus quod singulis annis dicerentur IV. misse pro defunctis, due apud Renum et due apud sanctum Salvatorem de Bononia pro animabus Willelmi de Wondam, et avi materni et avie materne et aliorum antecessorum domini Willelmi de . . . . . (2)

V. kalendas. Objit Pontius de Cautio, beviterrentii episcopatu[s] (3), de quo habuimus V. libras bononenorum.

II. [kalendas]. Anno Domini MCCXI. Objit magister Raigerius (4) canonicus s. Marie de Reno.

DECEMBER.

II. nonas (5). Objit dominus Bandinus, magister legum, anno Domini MCCXVIII.; de quo habuimus III. libras bononenorum.

Bandinus Tuscus Legum splendore coruscus,
In Pisa natus, jacet hoc tumulo tumulatus.

Id. Rugerius provintialis achensis dedit nobis LX. solidos bononinorum pro fatienda tabula beate Marie, quem fecimus participem nostrarum orationum et omnium bonorum que fiunt apud nos.

XI. kalendas. Objit Robertus de Cicestro episcopatus Sancte Trinitatis (6).

X. kalendas. Objit magister Ballitus, canonicus sancte Marie de Reno.

II. kalendas. Objit quidam Johannes nomine de Glemona, scholaris aquilejensis, de quo habuimus unum calicem argenteum et planetam cum toto paramento, pro quo tenemur orare.

Objit dominus Radulfus antiochenus.

XI.

Ex Necrologio Canonicorum sancti Johannis in Monte et sancti Victoris, iam in Archivo eorumdem Canonicorum (7).

JANUARIUS

Idibus. Obiit dominus Johannes Episcopus bononiensis MCLXXXVII.

XI. kalendas februarii. Obiit dominus frater Guilielmus olim domini Lambertini, benefactor et amicus noster, anno Domini MCCCXXV., die XXIV. januarii, et sepultus est in ista ecclesia.

IV. kalendas. Obiit d. Gerardus quondam bononiensis episcopus, canonicus et frater noster.

FEBRUARIUS.

Idibus. Obiit Walterius archiepiscopus ravennas; vivat in Christo gemma sacerdotum, pro quo IX. lec. facimus, qui multa bona fecit nobis.

XV. kalendas martii. Obiit magister Jacobus de Christianis medicus noster MCCCXXIX.

VI. kalendas. Obiit Peregrinus Petri Honesti, de quo habuimus multa bona, patruus domini Altachini prioris, scilicet unam domum et XXXVI. pecudes, et tres cietos (8) argenteos, et unum baldachinum anno Dom. MCCLXXXVI.

MARTIUS.

III. nonas. Dedicatio ecclesie sancti Victoris in honorem sancte Marie Virginis (9). Venerabilis concanonicus noster P. D. Thomas de Scarduis bononiensis hujus monasterii professus. Hic vir admirande sanctitatis fuit, caritate fulgidus, nostrorum morum observantissimus, in victu atque vestitu abjectissimus; completis etatis sue annis LXXXVIII. et in religione LXVII., absque febribus et anxietatibus, sed quasi dormiens [Domino] feliciter tradidit animam MDV. hora XVII.

(1) *Sic.*

(2) In necrologii apographo: *m̄ttañ.*

(3) Lege forsan *Biterensis.*

(4) Fortasse: *Nigerius.*

(5) Vide sub die II. non febr.

(6) Vel: *de Licestro.*

(7) Inter Acta Canonicorum sancti Johannis in Monte, quae extant in Archivo Maximo bononiensi, *Necrologium* hoc desideratur, nec in Regia Bibliotheca nostra documentum asservatur.

Erat in membrana et nitide scriptum, sed multis in locis interpolatum.

(8) Lege: *cyathos.*

(9) Alio caracthere.

II. Obiit dominus Theudinus episcopus portuensis.

Obiit dompnus Ugolinus condam prior noster, optimus predicator. Vivat in Christo. Amen.

Obiit dompnus Bastianus canonicus, frater noster, et rector major Ordinis nostri, et sepultus est in mausoleo ante altare majus anno MCCCXXX.

XIII. kalendas aprilis. Obiit dominus Beneintendi, doctor legum, canonicus, frater noster, MCCXIX.

III. kalendas. Obiit presbiter Benteve[g]na scolaris, a quo habuimus XXX. sol.

APRILIS.

Nonis. Obiit Albericus, reginus episcopus, qui fuit prior noster. Vivat in Christo MCLXIII.

VII. idus. Obiit dompnus Martinus venerabilis sacerdos, prior noster MCLXXV.

III. kalendas. Obiit magister Jacobus, Decretorum doctor, canonicus et frater noster, qui fuit archipresbiter Montivegli (1) de Lazarinis, et prior sancti Victoris, qui per multos annos fuit publicus Decretorum professor in alma nostra bononiensi Universitate anno MCCCVIII.

II. kalendas. Obiit dominus Henricus bononiensis episcopus, frater noster, qui sepultus est in ecclesia sancti Victoris anno Domini MCCXLI.

MAJUS.

III. idus. Obiit dominus Andreas alamanus, magnus scriptor MCDLXXXVIII.

II. Obiit frater Jacobus de Ungarellis millipotensis, qui fuit canonicus et frater noster.

XVII. kalendas junii. Obiit dompnus Paulus veronensis literatissimus servus Dei, canonicus noster et prior vicentinus. Obiit Ferrarie in monasterio sancti Lazari tempore Capituli Generalis anno Domini MCDLII. (2), magnus predicator, vir et orator luculentissimus.

X. kalendas. Obiit dompnus Petrus, venerabilis et optimus prior noster, anno Domini MCXXX.

VII. MCDLIII. die XXVI. madii. Venerabilis pater dominus Bartholomeus de Pasolinis de Bononia, vir innumeris ornatus virtutibus qui hoc monasterium Ordini nostro dedit; ipsumque plurimis edificiis et ornamentis ampliavit. Post labores plurimos quos predicando, scribendo, confessiones audiendo [sustulit] cum LXII. annis in Religione perseverasset, anno etatis sue LXXI. felicem Christo animam reddidit.

V. Obiit Aimericus cancellarius Rome, qui reliquit nobis XX. uncias auri.

JUNIUS.

Kalendis. Obiit Ugo causidicus, clericus et frater noster, anno Domini MCLXVIII.

(3) VII. idus. Obiit Antonius [de] Lamandinis, pater prioris Rodulfi, cujus anima quiescat in pace MCCCXLVIII.

V. Obiit presbiter Fantinus archipresbiter sancti Auxiani, frater noster exterior.

XVIII. kalendas julii. Obiit magister Otto frater noster exterior.

Obiit Gisa soror nostra exterior.

VIII. Obiit domina Cecilia mater dominorum Jacobi et Pauli et Lazarini doctorum Decretorum.

V. Obiit domina Imildina heremita, soror nostra.

JULIUS.

Kalendis. Obiit dominus Erro causidicus amicus noster MCLXXXVII.

III. nonas. Obiit presbiter Rodulfus olim prior, tempore cujus et studio dormitorium et claustrum superius constructa sunt. Ecclesia cap. depicta, dormitorium etiam sancti Johannis muratum fuit, pro quo sollicite orandum est. MCCXXI.

Nonis. Obiit prior Ribaldus MCLXXXIX.

(4) VIII. idus. Obiit domnus Jeronimus de Forlivio sacerdos et canonicus frater noster, ac magister novitiorum tempore magne pestis MCDXLIX.

VII. Obiit Wido presbiter, archidiaconus ravennatis Ecclesie, frater noster exterior.

Obiit Jordanus mag. amicus noster.

V. Obiit Petrus de Mamelinis devotus clericus noster, qui reliquit nobis suum breviarium valoris ducatorum XVI. anno MCDXXIII.

Idibus. Obiit domina Oliva soror dompni Alticlini prioris MCCLXXXVI.

(5) XV. kalendas augusti. Obiit frater Bonaventura natus magistri Spinelli, et doctor decretorum, pro quo habuimus domum, in qua stabat Zangarinus de Becadellis sub Podio nostro, et fecit aptare cameram pulcram in domo s. Ghi. pro se, et multa alia bona habuimus. Orate fratres pro eo. MCCCXIII.

XIII. Obiit frater Antonius januensis eremita, qui donavit nobis unam pulcherimam Bi-

(1) Verba, quae sequuntur, manu admodum recentiori addita.

(2 3, 4 et 5) Recentiori manu.

bliam magnitudinis unius palmi . . . . MCCCCXLIX.

XII. Obiit magister Robertus frater noster.

XI. Obiit magister Tura, canonicus frater noster, decretorum doctor et vicarius domini episcopi imolensis.

X. Obiit Marchisellus de Principibus, amicus noster, pro cujus anima planetam habemus de samito, et lampas ardet ante altare sancti Victoris, et pro quo IX. lecturas facimus. Oremus pro eo.

IX. Objit venerabilis pater et prior noster Rodulfus de Lamandinis, decretorum doctor egregius, cujus memoria in benedictione sit, anno Domini MCDXVII.; et in Priorem fuit electus dominus Bartholomeus presente domino Nicolao episcopo bononiensi.

AUGUSTUS.

(1) III. nonas augusti MCDXLVII. Obiit venerabilis sacerdos et devotus servus Dei dominus Tadeus canonicus noster, senex annis LXXVII. Sepultus ante altare majus.

VII. idus. Obiit Petrus Johannes, archidiaconus ambulnensis et canonicus legionensis, professus frater noster; vivat in Christo: qui reliquit nobis C. marabotinos, et decreta sua et summam Joannis.

Obiit ser Julianus (2) venerabilis senex et cancellarius Comunis Bononie qui dies suos et vitam finivit hic nobiscum, et multa bona reliquit monasterio nostro; et sepultus est in comune sepultura fratrum nostrorum in medio ecclesie MCDXXIX.

VI. Anno Domini MCXLV. Girardus bone memorie bononiensis episcopus et frater noster, migravit ad Dominum. Gemma sacerdotum et decus Ecclesie vivat, et o vivat in Christo numquam moriturus. Ad sortem summi capitis flos ipse futurus.

IV. Venerabilis pater et concanonicus noster dominus Blaxius vicentinus. Hic homo fuit magne sanctitatis, preco maximus et memorie mirabilis. Obiit Novarie anno Domini MCDIX., et in morte claruit miraculis.

Idibus. MCCCXVIII. Obiit reverendus pater dominus frater Johannes de Becadellis quondam frater noster, prior venerabilis sancti Georgii de Ferarola, homo magne probitatis, honestatis, scientie et virtutis, et multas laudes nostro monasterio . . . . . . suo tempore aquisivit; oremus pro eo.

SEPTEMBER.

Kalendis. Obiit dominus Ventura de Imola, canonicus, frater noster MCCXCIX., XXI. die mensis augusti. Et eodem anno et tempore fuit Societas alborum in tota Ytalia.

MCCCLXVII. Obiit pie ac sancte recordationis Antistes, pater in Christo et domino D. Egidius digna Dei gratia Sabinensis episcopus Cardinalis ac dominus et prior monasterii sancti Joannis et sancti Victoris; pro quo viginti IX. lectiones cum missa solempniter celebramus. Vivat in Christo gemma sacerdotum (3).

II. Obiit Pasius quondam Bartolomei de Armis, qui fuit pater presbiteri Bartolomei canonici nostri, pro cuius anima ampliata fuit ecclesia antiqua sancti Joannis; ergo pro ipso orandam est. Anno Domini MCCCLXXXIX. obiit, et ecclesia fuit ampliata anno Domini MCDVII.

II. nonas septembris. Obiit Ildebrandus magistri Gualfredi filius, frater noster, qui reliquit nobis multa bona.

V. idus MCDXL. Obiit dominus Georgius, novariensis Ecclesie prepositus ac apostolice Sedis protonotarius, qui donavit ecclesie et monasterio florenos C.

Idibus. Obiit dominus Guizardinus legum doctor, frater noster, cujus anima vivat in Christo. MCCXXII.

XVIII. kalendas octobris. Obiit dominus Octavianus de Ubaldinis, bononiensis episcopus.

XV. Obiit magister Gualfredus frater noster exterior, pro quo IX. lectiones agimus, quia multum nos dilexit et adiutorium impendit.

XI. Obiit dominus Paulus quondam domini Lazarini, doctor decretorum, amicus noster.

VI. Obiit magister Matheus de Rotomago, qui reliquit nobis XL. soldos bononenorum.

V. Obiit Victor, episcopus Bononie qui multum dilexit nos, pro quo IX. lectiones facimus.

III. Obiit dompnus Jacobus Medicus canonicus, frater noster de Bretenorio MCCXIII.

OCTOBER.

Kalendis. Obiit magister Rambertus de Aguglaria, frater noster.

V. Obiit mater nostra domina Gregoria, neptis venerabilis viri domini prioris Altichini et mater fratris Pauli nostri et uxor domini Francisci de Cospis, e qua multa bona servitia recepimus. Oremus pro ea. MCCCXXIX.

VI. Obiit Bonatolus de Flesio, pater Francisci qui scripsit hunc libellum. MCCCXVII. (4)

(1) Recentiori manu.

(2) Julianus de Zunarinis.

(3) Sic in Necrologio; sed Aegidii obitus consignandus est ad IX. kalendas septembris.

(4) Alia manu additus est annus, antiqua tamen.

XVII. kalendas novembris. Obiit dompnu Michael quondam prior noster. MCCLI.

XIII. Obiit magister Philippus astensis, frater noster.

IX. Obiit dompnus Joannes de Tebaldis prior noster. MCCLXIV.

VI. Obiit frater Marianus, conversus noster, de peste. MCDXLIX.

NOVEMBER.

VIII. idus. Obiit Chanacinus, notarius noster, in prelio Zapullini. MCCCXXV.

VII. Obiit dominus Gerardus beate memorie bononiensis Episcopus. Anno Domini MCXCVIII.

V. Obiit magister Spinellus medicus in arte medicine, intimus et amicus noster, qui reliquit nobis unam planetam de samito rubeo. MCCXCIII.

IV. Obiit domina Juliana uxor olim Alderotti de Florentia, que reliquit nobis pro reparatione monasterii, et ecclesie sancti Victoris centum sexaginta libras bononiensis monete MCDXVII.

IX. kalendas decembris. Obiit dompnus Stephanus Cardinalis basilice XII. Apostolorum, venerabilis pater noster, qui dedit nobis crucem argenteam. MCCXXVII.

Obiit dominus Rolandus de Seravalle, prior noster. MCCLXXXVI.

VIII. Obiit dominus Romeus quondam Lencii de Cospis, procuratoris, cujus anima requiescat in pace. Obiit anno MCCCLXXVII.

VII. Obiit Cangarinus Thomaxii de Beccadellis, qui fecit nobis multa bona et reliquit nobis C. libras, de quibus factum est altare sancte Marie. Anno Domini MCCCXVII.

DECEMBER.

IV. nonas. Obiit frater Jacobus, episcopus bononiensis, MCCLX.

XV. kalendas januarii. Obiit reverendus pater dompnus Nicolaus bononiensis, qui erat pro tempore prior in sancto Johanne in Laterano Rome, et interim anno Domini MCDXLIII. a populo bononiensi postulatus et electus in Episcopum bononiensem infirmatus Rome transtulit ad partes Tuscie et in civitate Lucana migravit ad Christum, gemma religiosorum MCDXLIV. [1]

Scriptorem hujus Necrologii novimus, qui fuit Franciscus Bonattoli de Flessio filius, qui obitum patris sui consignavit ad diem II. nonas octobris. Sed ex antiquiori exscripsit.

XII. A

Ex opere *De viris illustribus florentinis,* Philippi Villanii, Romae, in Bibliotheca barberiniana, cod. 898 [2].

Philippi Villani Solitarii: *De origine civitatis Florentie* et de ejusdem famosis civibus ad illustrem dominum Philippum de Alenconio episcopum ostiensem romane Ecclesie Cardinalem. Liber primus feliciter incipit.

Solitarie vite secreta me jamdudum elegisse fortunarum mearum firmamentum unicuique solamen, illustris Philippe, conscientie simplicitate profiteor, non ut otiosos dies senectutis ducerem, neve que fert mala opinione mortalium etas illa fallerem ludibrioso torpore, sed ut ex naufragio corruentis in deterius seculi, ea via si fieri posset, evaderem.... Igitur cum ad solatium senectutis mee explanationem operis An-

(1) Recentiori manu.

(2) Johannes Maria Mazzuchellius, vir clarissimus, ad illustrandum historiam literariam Italiae natus, libellum edidit *De viris illustribus florentinis* a Philippo Villanio scriptum, sed mancum omnino, nec talem ut ab auctoris sui manibus exierat. In primis autem Mazzuchellii libellus italice scriptus est, cum Villanius latinum ediderit. Integrum Villanii opus extat inter codices manuscriptos Bibliothecae barberinae codice n. 898. Totum in duas partes sive libros tributum est. In primo libro investigantur origines et antiquitates florentinae civitatis, sed omnia ibi vel omnino fabulosa vel trita admodum et fabulis admixta. Secundus liber multo est utilior. Continet illustrium florentinorum vitas bene multas, nec indiligenter scriptas; neque enim plerique viri illustres, de quibus agit, adeo antiqui sunt ut eorum famam aetate sua vigentem, persequi non potuerit. Floruit Philippus Villanius saeculo XIV., et initium attigit saeculi XV., anno enim MCDI. et MCDIV. adhuc vivebat et, publico stipendio conductus, Dantem Florentiae interpretabatur. Sed quo anno hunc librum scribere agressus sit, non liquet. Clarissimus Mazzuchellius existimat, iam inde ab anno circiter MCCCLXXIII. Villanium huic operi manus admovisse. Sed aliter fortasse iudicasset vir eruditissimus, si genuinum auctoris foetum vidisset, et epistolam legisset datam ad Philippum de Alenconio ostiensem episcopum, qua ei suum librum dedicavit. Gessit enim Philippus de Alenconio episcopatum ostiensem ab anno MCCCXC. ad annum MCCCXCVII., quo extremum obiit diem. Adde quod autor ipse in eadem epistola senem se fuisse indicat, cum opus istud aggressus est. Segnius igitur videtur huic operi scribendo se dedisse quam Mazzuchellio visum est.

Vidit hunc librum latine scriptum Federicus Ubaldinus, qui ex eo exscripsit vitam Francisci Barberini, quam edidit ante librum eiusdem Francisci Barberini *De documentis amoris.* Sed fallitur enimvero Laurentius Mehus, qui a Mazzuchellio consultus de hoc Philippi Villanii libro, respondit constare quidem Villanium in eo libro scripsisse etiam de Dante Aligherio et Francisco

gelici (1) suscepissem, et similitudine commenta dictantium de vita, moribus et doctrina Poete (2) solerter inquirere decrevi.... Id cum mecum operosius agitarem, quo nescio afflatus spiritu, cepi, dum talem tantumque contueor mente Poetam vehementissime admirari, cum viros multos fame preclarissime civitas mea genuerit, numquam comparuisse concivem quemquam, qui egregia, que gessere, memorie tradidisset. Ea de re velut contumelia tacto, majoris occupationis cepit cura subcrescere, et quos inveneram cives meos illustre aliquid peregisse, quasi per diverticulum ampliande materie digressionis officio labori meo conabar adnectere. Quod dum ferme explicuissem, compertum habui papiros metiens excrevisse opus longius quam putaram. Veritusque sum ne, si aliquando, ut contingere solet, opus meum facta proderent, delicatiorum auribus prolixitatis nimietate onerosus efficerer. Ausus tamen non eram opus ab opere segregare, cum utrumque sub confusione sua optarem mecum in suis tenebris latitare.... Sed me a proposito clementia tua atque humanitas, qua me unice complexus es, modestissimis persuasionibus revocavit. Quandoquidem magnopere exegeris, ut qualiacumque mihi ad memoriam conscripseram, inde te vellem fieri participem, moreque impatiens desiderasti.... et tempus condite urbis Florentie, quibusve auspiciis et quo auctore opus tam grande surrexerit, quosque enixa fuerit viros insignes et quibus floruerit gestis atque temporibus. Hinc me cogis, ut que congesseram majoribus vigiliis meis in opusculum seorsum ducerem. Fecit quod tibi placuit, duobusque secui libellis, sed an opere pretium penitus ignoro.... Eam ob causam tui benignissimi regii sanguinis, venia humiliter postulata, accersito Altissimi adjutorio, sine quo quidquam rite non agitur in humanis, aggredior quod iussisti de urbis Florentie initiis longinquioribus primum ineundo tractatum.

Cap. I. De fluctuatione opinionum circa tempus urbis condite et quare ignobilium civitatum conditores, et gesta plerumque ignorentur.

Cap. II. Quedam de antiquiore temporum collatione prefatio.

Cap. III. Quare in enumeratione annorum prime secundeque etatis, translationi septuaginta, quos Isidorus sequitur, stari non debeat.

Cap. IV. De fluxu annorum prime secundeque etatis secundum hebraicam veritatem, et de Nemroth primo mundi tyranno.

Cap. V. De Nino Assyriorum rege et ejus uxore Semiramis et inductione primeva cultus idolorum.

Cap. VI. Quod gentili stultitia, favente arte poetica, Heroes ut Urbium conditores pro Diis immortalibus celebrati sint.

Cap. VII. De tempore quo floruit magnus Athalas rex Arcadie et pater Electre.

Cap. VIII. De fuga Atlantis in montem postea sui nominis, ubi excogitasse astronomiam Greci inepte fabulantur, et de adventu Athali in Italiam.

Cap. IX. De tempore quo per Athalum Electre virum Fesule condite sunt, et cur sic dicte fuerint.

Cap. X. De edificatione civitatis Janue, Janiculi et Sacello Cumani Apollinis.

Cap. XI. De edificatione civitatis Corithi, que hodie Cornitum dicitur, facta per Athalum.

Cap. XII. De adventu Enee in Italiam, et successorum suorum processu usque ad Romulum urbis conditorem, et cur de origine Fesularum et Corithi veteres historici tacuerint.

Cap. XIII. Epithomata quedam de urbis initiis et processu usque ad Lucium Catilinam, et cur Florentini in multis romanos imitentur.

Cap. XIV. De conjuratione Catiline, conflictu ejus et edificatione civitatis Pistorii.

Cap. XV. De obsidione Fesularum et Florentio seu Floreno, qui dicte obsidioni cum romanis interfuit.

Cap. XVI. De morte Floreni seu Florentii, demolitione Fesularum et edificatione civitatis Florentie.

Cap. XVII. Sub quo statu celi, quove sydere, fundamenta civitatis Florentie facta fuerint.

Cap. XVIII. Cur nove civitati edite per Cesarem, nomen Florentie inditum sit.

Cap. XIX. Quamobrem Fesule iterum reedificate fuerint et iterum delete.

Petrarcha, sed tamen in omnibus eius libri exemplaribus desiderari utriusque viri clarissimi vitam: ideo nempe omissam quod nimis parce et exiliter scripta fuisset. Sed revera de Dante et Petrarcha copiose scripsit Villanius; immo non aliud initio sibi proposuerat, quam ut de Dante Aligherio scriberet, ut ait in epistola ad Alenconium.

Cfr.: *Le vite d' uomini illustri fiorentini scritte da Filippo Villani colle annotazioni del conte Gianmaria Mazzucchelli ed una cronaca inedita con illustrazioni del car. Francesco Gherardi Dragomanni* (tomo unico - Firenze, Sansone Coen, tip. editore, 1847) in: *Collezione di Storici e Cronisti italiani editi ed inediti,* tomo VII. — Cfr. pag. 24-27, 29, 31-39, 42, 56-57, 43, 45-49, 51, 52, 54.

(1) Dantis Comoediam intelligit.

(2) Dantis.

Cap. XX. De adventu Radalgasii gothorum regis in Italiam, et quomodo superatus et mortuus est, et ejus innumerabilis exercitus in montibus fesulanis fame extinctus est.

Cap. XXI. De longa obsidione civitatis Florentie facta per Athilam, et ejus destructione.

Hinc incipit operis prosecutio.

Post epilogum superiorum ad alia pergere proponit.

Cap. XXII. Cumulatio quedam quorumdam historicorum gallorum de origine regum Francorum per Franconem Hethoris filium.

Cap. XXIII. De origine et genealogia regum Francorum per Priamum ducem Sicambrorum. De stirpe Franconis Hethoris filii, ex quo Carolus, qui urbem Florentiam reedificavit.

De singulis regibus agit.

Joannes II., Philippi filius, regnum, mortuo patre, recepit, in quo per annos XIII., quos regnavit, cum rege Odovardo sepe bellavit *etc.*

Carolus VII. post mortem Joannis XV. regnavit *etc.*

Carolus VIII. juvenis adhuc et indolis egregie atque animosus, vel de anno etatis sue XIV. non impleto, coronatus est, et jam per annos circiter XV. regno prefuit; cujus vita, mors et gesta honestius erit, postquam fata sua compleverit, pertractari.

Cap. XXIV. Quis prior signa bellica, que vulgus arma vocat, invenerit, et cur lilia aurea signa sint regum Francorum.

Cap. XXV. Testimonia quedam Dantis poete de demolitione civitatis Fesularum.

Cap. XXVI. De ultima civitatis Fesularum depositione.

Cap. XXVII. Digressio, qua agitur de natura et moribus quatour civitatum Thuscie: Florentie, Pisarum, Perusii et Senarum.

Philippi Villani Solitarii *De origine civitatis Florentie* et de ejusdem famosis civibus ad illustrem dominum Philippum de Alenconio, episcopum ostiensem, romane Ecclesie Cardinalem, liber primus feliciter explicit, et secundus de illustribus florentinis feliciter incipit.

Proemium.

Postquam brevi manu libro superiore perstrinxi que de civitatis Florentie initiis potui invenire *etc.*

Cap. I. De vita et moribus Claudiani poete, et quo tempore floruerit.

Cap. II. De vita et moribus Dantis poete comici insignis.

Cap. III. De vita et moribus Francisci Petrarce, poete laureati.

Cap. IV. De vita et moribus Zenobii de Strata, poete laureati, et ejus indole.

Cap. V. De Joanne Bocaccio poeta *etc.*

Cap. VI. De Colucio Pyerio poeta *etc.*

Cap. VII. De Roberto eleganti et preclaro theologo suo tempore cancellario Parisiis.

Cap. VIII. De Cypriano. De primariis glossatoribus juris civilis, *etc.*

Cap. IX. De Accursio.

De Accursio glossatore et illuminatore juris civilis.

Cum post Cyprianum antiquissimum glossatorem juris civilis multi, factis per eum semitis, discendis legibus operam prestitissent, et per idem seculum post Placentinum concurrerent Bulgarus et Martinus Gose, qui Federici Barbarosse imperatoris temporibus juris consulti prestantissimi habiti fuere, hique in legum intellectu sicut et in moribus plurimum discreparent, sectas fecere diversas; et qui secuti sunt Bulgarum in opinionibus suis, bulgariste vulgo dicti sunt, qui vero Martinum, gosiani. Post quos ex eorum auditoribus Johannes, homo omnium interpretandis legibus acutissimus, et Azo scientie magne fuerunt, aliique complures. Sed cum omnes in locis multis super legum intellectu vanis opinionibus per multa discordantibus jura civilia exposuissent, cumque propterea ipsum jus sub multa ambiguitate caligaret, Dei, ut puto, clementia, factum est ut tenebrosis adhuc juribus splendor debitus redderetur, hoc est ut eorum illuminator Accursius oriretur. Hic de justo ortus est semine, moribus tamen propemodum civili et delicato in villa Balneoli, que publica intersecante via ex opposito Monteboni prospectat, et a plaga meridionali a civitate Florentie per quartum vel circiter lapidem distat. Ubi adhuc, paucis decursis annis, domus erat, que negligentia et inaccuratione posteritatis sue, cujus adhuc ignobiles plerique supersunt, corruit, que vulgo studium Accursii nuncupabatur, propterea quod ibi diu solitariam perducens vitam commentandis legibus civilibus invigilaret. Hic postquam artium principia liberalium plenissime cognovisset, extemplo cum esset emensus pueritiam discendo jure civili per dies atque noctes

patientissimus vigilie et laboris, assidue operam dedit, omniumque sectarum auditor factus, quid queque sentiret, diligentissime intellexit. Factusque doctor maximus, non lucri, sed fama cupidus jura civilia Bononie publice docuit annis circiter quadraginta. Tandem cum animi esset ingentis, curaque illi permaxime bonum publicum foret, spretis lucris et omni cura forensis rei atque familiaris abjecta, solitarie vite datus, glossandis legibus civilibus operam concessit assiduam, multisque vigiliis et labore permaximo totum ejusdem Juris Corpus per breves et solemnes glossas accuratissime commentavit; que tante auctoritatis, gratieque fuere ut consensu omnium publice approbarentur; et spretis, abolitisque penitus aliis, sole juxta textus legum apposite sunt, et ubique terrarum sine controversia pro legibus celebrantur, ita ut propemodum nefas sit, non secus quam textui, glossis Accursii contraire, sicut antiqua fama referente comperi. Stature militaris Accursius, aspectus gravissimi et reverendi sed considerativi atque melancolici, ejusque quod semper me ditaretur ingenii et memorie supra modum vivacissimus, vite vero sobrie atque castissime, quamquam nitido et perpolito vestitu delectaretur, quo videretur pomposus tamen sine fastidio, a cujus habito moribusque ejus auditores non secus quam ex ore diserto leges vivendi hauriebant. Mortuus est vite sue anno septuagesimo et octavo, gratie vero millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, et Bononie eminenti conditus est sepulcro in platea Fratrum Minorum titulis monumenti prescriptis, quibus redditur posteris qualis constat fuisse viventibus.

Cap. X. De Francisco Accursii filio.

De Francisco Accursii filio, defensore glossarum patris.

Franciscus Accursii filius ingenio et diligentia nequaquam inferior patre, post mortem patris Bononie laboriose docuit jura civilia, conflictationibus innumeris impetitus, presertim bononiensibus doctoribus, livoris insania, glossas Accursii conantibus abolere; eo siquidem tempore Odofredus ex nobili potentique familia bononiensi natus, multaque lege preditus, qui etiam glossaverat, et in lectura cum Francisco concurrebat. Hic ut Accursii nomen oblivione deleret, ejus glossas convellere totis viribus conabatur. Sed Franciscus paterni defensor nominis publicis disputationibus contra ipsum semper obtinuit, unde non minus honoris in defendendis glossis paternis consecutus est, quam pater in componendis. Hic Bononie objit anno gratie millesimo trecentesimo nono; vite sue octavo et sexagesimo, et in paterno sarcophago consepultus est.

Cap. XI. De Dino de Moysello.

De Dino de Moysello doctore magno juris civilis, qui titulum de actionibus in jure civili, et de regulis juris canonici commentavit.

Difficile est rem eamdem similisque materie persepe tractantibus ordinem, modumque dicendi continuo variare, quin sepius in eadem verba non recidant latine lingue inopia; tanta enim in his viris morum similitudo, tanta ingenii, doctrineque, parilitas est, ut uno dicto, ceteri videantur ferme relati.... Igitur Dinus de Moysello, quem locum vulgares verborum propriorum corruptores Mucellum appellant, ignari locum mille scaturientibus fontibus.... fluvii alluvione letari, post Accursium et Franciscum mirabili legum claruit disciplina. Fuit siquidem, ut ab auditoribus suis comperi, quod et ejus scripta testantur, bono incredibilis memorie preclarus, ingenii vero preclarissimi, quo in secreta legum priscarum nemo actius, profundiusque penetravit. Hic multo tempore legem professus publice docuit in civitate Bononie, auditoresque multos et utique prestantissimos reliquit. Fama viri hujus, cum ad summum pontificem Bonifacium VIII. pervenisset, ipseque cuperet quinto et ultimo Decretalium libro novorum canonum sextum adjicere, et, que juri canonico videbantur deesse, supplere, accersito Dino, in ipsis condendis ordinandisque Decretis, ejus precipue opera usus est; eumque propterea cardinalatus dignitate cogitaverat munerare, signaque intentionis hujusmodi aperta monstraverat. Sed, cum tum alieno, tum sue anime vertisset consilio diligentissimus Pontifex, propterea oportere virum lecture perutilem ab ipsam non discedere, multorum auditorum damno, ipsumque moribus Ecclesie parum fore conformem, a proposito resilivit, magnisque laudibus commendatum, donatumque muneribus persuasit viro redire Bononiam, et veris vacare studiis et doctrinis. Dinus, spe abjecta expectate dignitatis, idque ad injuriam revocans maximo cordis merore confectus iter ingressus ad reditum, post dies paucos itineris, repentino morbo correptus interiit morte sane inaudita, sed que solet illustribus viris in naturali exitu esse persimilis; is quidem dicto in commeatu.... appulisset, nocteque mesto nimium animo labo-

raret, sitique preterea inexpiabili ureretur, strato hospitis surgens, os in vas, quo aqua hauritur, immisit, situlam vulgares appellant, eo quod sitim levet, maneque facto, repertus est inserto in situlam capite animam exhalasse. Occasu igitur periit profecto tanto viro indignissimo, non tamen sine ..... Cum hic propter ea, que scripta in jure reliquerat, in honorem Bonifacii Juris Canonici regulas commentasset, exemplum sane utilissimum est clarissimo scientie viris, ut suis contentis secretis *etc.*

Cap. XII. De Taddeo.

De Taddeo phisico insigni et commentatore multorum librorum medicine.

Commemoravi florentinos, quos Legum Canonumque peritia fecit illustres. Superest ut referam, qui ex reliquis nostris medicine artem curioso fame sonitu fuerunt assecuti. Inter quos, qui nostra memoria haberi possint, primus Taddeus physicus maximum obtinuit principatum, ejusque scientie palmam promeruit. Hic obscuris parentibus Florentie natus est, loco haud multum distanti a veteri platea Predicatorum, annosque pueritie et adolescentie sue segnis, et quasi animo consternato abjecte exercuit, et vilissimis deditus ministeriis, questuque ignobili, diu pauperrimam vitam squalidamque produxit. Cumque jam in dies maturisset suos et ad annum usque trigesimum tenebroso oppilatus cerebro pervenisset, eoque interim quasi consopitis sensibus vigilans dormitaret, et in atrio sancti Michaelis in Orto minutissimas candelas, importune se emptoribus ingerens, venditaret, ut inde miserabilem aleret vitam; exactis tandem annis triginta, grossisque consumptis humoribus, quos medicine periti volunt pigram tenere naturam animeque operationes ipsamque complexionem, que instrumentum ejus est impedire, qui, cooperante natura, in tempore resolvuntur ipsumque hominem suo intellectui restituunt aptumque reddunt complexionis instrumentum, uti erat ineptum; Taddeus quasi alter et novus homo experrectus somno, et quasi de perdito restauratus ingenio, querende scientie cepit amore flagrare; et quasi renatus puer ad discendum prima elementa propere festinavit. Grammaticen deinde brevi tempore felici usus ..... didicit. Parvo deinde quesito viatico Bononiam appulit, ubi egena contentus vita sine intermissione sedulus studio liberalium artium omnisque philosophie per diem atque noctem vacavit, tempusque quod per malam complexionem amiserat recuperare studio et diligentia permaxima satagebat, ita ut hore momentum perditum iri non sineret, totumque se in disciplinis concessit. Postremo studuit Medicine et que ad omnem ejus scientie partem pertinerent accuratissime perscrutatus, solemnissimus artis Doctor effectus est, susceptisque ex publico salariis, medicinam diu Bononie docuit et accuratissime practicavit. Ex primis siquidem modernorum fuit, qui artis secretissima sub auctorum dictis latentia aperuerit, atque monstraverit, agrumque .... et incultum sulcando futuris feminibus optimis preparavit. Hic quamquam adventitiis spretis lucris, glorie cupidus et honoris, commentandis auctoribus medicine operam concessit; qua in re tante auctoritatis fuisse relatum est, ut que pro glossis ordinariis haberentur, que operosis medicine (1) voluminibus apposite fuere, tante in ea disciplina reputationis, quante in legibus civilibus Accursii, cui et ipse contemporaneus fuit. Duo siquidem civitatis nostre sydera, que duas inter reliquas celsiores utilioresque ad conservationem humane nature artes, tum in maxima caligine laborantes, facile redderent et apertas. Hic homo cum penes italos quasi alter Ypocras haberetur, egrotantibus per Italiam ubicumque dominis temporalibus divitibusque ad curam enormitate salarii vocabatur. Cumque per dies suos summus Pontifex in morbum pene letalem incidisset, et Taddeum ad ejus curam accersiri mandasset, deque diurno salario minime per arbitros conveniret, Taddeo per diem centum aureos pertinaciter postulante, idque Pontifex miraretur, concessit tandem in votum Taddei, desiderio sanitatis; cumque ad ipsum Taddeus pervenisset, illi Papa cepit duritiam et avaritiam modestissime exprobrare, cui ille animi stuporem fingens, miror, inquit, cum aliis prevocatus dominis et tyrannis plerumque per diem aureis quinquaginta, vel pluribus donatus fuerim; tu qui christianorum maximus es dominus centum mercando (2) negaveris, pulchre sane et modeste arguens avaritiam cl. ..... Factumque inde est, ut et sanitati redditus summus Pontifex, sive cure merito, sive purgande suspicionis avaritie intuitu, Taddeus decem millibus aureis donaretur, quos omnes vir sancte vite, cum Bononiam repedasset, in constructionem hospitalium et cenobiorum piissime errogavit. Hic octogenarius Bononie mortuus est et sepultus. Admirabile

(1) *Sic.*

(2) An *me revocando?*

autem in homine hoc puto, quod is cum grandius aptiusque tempus in querendis disciplinis nature malitia somnolentus amiserit, illius factus etatis, cui literarum primordia difficiliora sunt, ea didicerit que soleant cum juvenibus adolere, queve usui potius quam discipline parere soleant.

Cap. XIII. De Dino de Garbo.

De Dino de Garbo phixico multorum librorum et commentorum medicine compositore.

Dinus de Garbo Taddei auditor, post eum medicus fuit insignis. Hic genitus est Florentie, patre Bono cyrusico maximo, ut nepos ejus Thomas et Dini filius in sua Summa refert, questione qua querit, an penam sentiat naturali morte, hoc est emerita decedens. Studio vero Bononie datus est, ubi tantum liberalibus artibus philosophie, medicineque doctrinis invaluit, quod universalis studii voto ibi fuerit ascitus ad cathedram. Cumque sub famoso nomine diu medicinam ibi docuisset, Bononiensium doctorum invidia sepe lacessitus, indignatus est vehementer. Cumque per eos dies Senenses, solita vanitate, generale Studium habere molirentur, Senas recessit Dinus, ibique publice docuit medicinam. Atque cum sepius et instanter precibus, muneribusque a Bononiensibus repeteretur, redire Bononiam nullatenus aquievit. Hic juvenis adhuc super tertia et quarta parte seu quinti Canonis Avicenne expositiones conscripsit utiles et subtiles tam in practica quam in theorica cyrugie, que in studiis ordinariis magistraliter perleguntur, cum eam jam grandevus Senis legeret. Rogatu Roberti regis Sicilie et Jerusalem scripsit super quarta primi Canonis Avicenne opus pulcherrimum et acuminis magni, quod dilucidatorium totius practice medicine nuncupavit. Super primo Avicenne insuper scripsit et super Canones primi, et super libro Galieni *de malitia complexionis diverse*, et super libro Ypocratis *de natura fetus*. Quamplures etiam tractatus et questiones composuit in philosophia medicinaque determinatas, que faciliorem et uberiorem redderent disciplinam. Is etiam commentavit vulgarem cantilenam Guidonis de Cavalcantibus florentini, que de notis occasione, natura, moribusque amoris cupidini servientis rationibus physicis et moralibus succincte et mirabiliter demonstravit. Que omnia per sui dignitatem Dinum famosum posteris tradiderunt. Fuit vir iste, ut ab illis qui eum cognoverunt audivi, tante considerationis adeoque abstracte nature, ut persepe consopitis exterioribus sensibus, quasi extaticus super se ascendere videretur. Consueverat siquidem in foribus domus sue stare frequenter, genuque gravi superposito, quasi puerorum ludo calcaris radiatam spernam (1) digito in girum velocissime agitare; ita ut animo totus esse alibi putaretur. Ingenii fuit cultissimi et perspicacissimi acuminis, vite ornate, cultus philosophici, sed affabilis et hilaris in egrotantium visitatione, alias severus et secreti expetitor et cultor otii, carus tamen omnibus et acceptus. Hic admodum senex Florentie obiit et in ecclesia Minorum claro conditus est monumento.

Cap. XIV. De Turrisiano insigni physico, cognomento plusquam commentator.

Cap. XV. De Thomasio Dini de Garbo filio *etc.*

Cap. XVI. De Brunetto.

De Brunetto Latino rhetorico.

In exordio videtur ex positu civitatis et castrorum ac planetarum influxu vim florentinorum ad mercaturam et ad eloquentiam ac poesim repetere. Ita autem caput absolvit. Jamque pene senex mire celeriterque gallicum perdidicit idioma, utque magnis et nobilioribus viris illius regionis applauderet, pulcherrimum et utilem librum in rethoricis edidit gallica lingua, in qua omnem dicendi artem accuratissime, ordinateque secundum practicam congessit, quem *Thesaurum* appellavit. Opus sane gratissimum, et urbane plenum eloquentie et quod penes Gallos magno in pretio est.

Cap. XVII. De Bruno Casini rhetorico.

Cap. XVIII. Prefatio ad Semipoetas.

Superest admodum *etc.*

Cap. XIX. De Henricetto semipoeta elegiaco.

Cap. XX. De Francisco de Barbarino semipoeta.

Cap. XXI. De Bonifacio Uberto semipoeta hilari et festivo.

Cap. XXII. De Guidone Cavalcante philosopho et semipoeta.

Cap. XXIII. De Guidone Bonatti illustri astrologo.

Cap. XXIV. De Paulo Bagometro geometra et astrologo.

Cap. XXV. De plerisque musicis florentinis,

(1) An *speram*.

qui in ea arte egregie floruerunt, et presertim de Francisco Echo, viro mirabili.

Cap. XXVI. De plerisque pictoribus florentinis famosis, et presertim de Giotto artis predicte jam deperdite restauratore.

Cap. XXVII. Prefatio ad viros rei militaris insignes.

Cap. XXVIII. De Lucerio antiquo et primo duce florentino.

Cap. XXIX. De Farinata de Ubertis, milite clarissimo et famoso.

Cap. XXX. De comite Guidone Guerra, militaris rei peritissimo.

Cap. XXXI. De Nicola de Acciajolis milite magno, regni Sicilie senescalco.

Cap. XXXII. De Joanne et ejus fratre Mattheo de Villanis historiographis (1).

XII. B

Ex opere Dominici Bandini, c. t.: Fons mirabilium universi, *in vatic. Biblioth., n. 2029* (2).

Accursius, legum illuminator, Florentie natus est origine populari. Hic mira temporis brevitate artes didicit liberales, moxque ad iura se contulit, sectarum omnium auditor. Cumque ab utraque parte omnia evacuasset, et jam ubique doctissimus diceretur, Bononie annis circiter quadraginta concurrens cum Odofredo de Odofredis de Bononia, tandem spretis lucris, solitariam vitam elegit, et totum Corpus Juris subtili brevitate glossavit. Que quidem glosse adeo fuerunt grate omnibus quod, rejectis quibusdam opinionibus aliorum, ipse sole de consensu omnium Doctorum juxta textum sunt posite, et ubique sine controversia pro legibus honorantur. Natus est Henrico imperatore Barbarossa, et floruit imperante Federico secundo, et tandem Bononie ex senio objit anno gratie MCCLXXVII. vite vero LXXV. anno, fuitque animi dolore, lacrimis et ejulatu totius Italie positum in eminenti piramide in platea Fratrum Minorum *etc.*

Bandinus presentis operis auctoris genitor, vir facundia literarumque studiis et artium liberalium clarum lumen, semper cum reverentia nominandus mihi, honestis parentibus ortus, mercatoribus quidem origine, Dei nutu semper abhorruit mercationes sequendo studia literarum. Cumque in trivio esset summus et in quadrivio haberetur insignis, inspecta mundi practica, versutiis, fraudibus, violentiis, stupris, cunctisque facinoribus silendis potius quam scribendis . . . . , elegit disciplinando prodesse omnibus, memor quod scribitur . . . : Qui multos erudiunt ad justitiam erunt stelle in perpetuas eternitates . . . . . Erat quippe doctrina mirabilis sicut speculum tersissimum inter suos. Nullus evo suo, quantum communis ferebat opinio, majoris eloquentia dicebatur, prout succose atque graves monstrantur epistole ipsius . . . , et quidem quasdam ejus orationes ita perfectas vidi ut in eis neque Cato gravitatem, neque Lelius lenitatem, neque Cesar calorem, neque Hortensius distribucionem, neque parcimoniam Sallustius, neque Quintilianus copiam, neque opulentiam Cicero . . . . Postularet ergo laudes inclitas summosque titulos bonitas tanti viri, quem maxime bonitatis tota civitas predicabat . . . . Quia erat omnibus gratissimus hospes. Me tunc etate . . . . fratres meos puberes, quosdam etiam patrueles ejus sepius monendo dicebat: Audite

(1) Hic desinit Codex barberinus.

(2) Dominicus Bandini immensi laboris opus condidit, cuius hic titulus est: *Fons mirabilium universi.* In eo de rebus omnibus, si dicere fas est humanis ac divinis, aliquid dicere sibi proposuit, quod magis scitu dignum videretur. Itaque nulla est artium liberalium, prout aetate sua colebantur, ex qua aliquid non delibaverit, nulla pars historiae, quam non attigerit, uno verbo, nullum scriptorum genus quod quidem reperire potuerit, ex quo aliquid non excerpserit. In trigesimo huius operis libro, qui solus praegrande ac spissum volumen occupat, agit de claris viris, qui ex omni memoria ad suam usque aetatem vixerunt, quosque non solum historia vetus et nova sed fabulae etiam suppeditant. Vixit autem laboriosus hic scriptor decurrente XIV. saeculo, et anno MCCCLXXIV. in scholis nostris humaniores literas docebat. Etiam Bandinus eius pater eamdem facultatem professus est, eumque magnis laudibus ipse extollit. Oportet autem illum esse natum ex patre admodum sene, si vera sunt quae de illo scripta reliquit. Eius ingens opus, quod ante dixi, in tria magna volumina distributum, extat integrum Romae in bibliotheca Collegii Capranicae. Sed vaticano codice, qui est n. 2029, usi sumus, ex quo pauca excerpsimus hic edenda. Plura de hoc auctore, deque immensa eius farragine habet Laurentius Mehus, vir eruditus, in suis ad Ambrosii Camaldulensis epistolas prolegomenis, a quo illud praecipue animadversum est, multa in hoc scriptore et in Philippo Villanio *De claris viris florentinis* iisdem fere verbis scripta esse, ut nescias uter ab altero acceperit.

Auctor hic noster de singulis viris illustribus disseruit, servato literarum alphabeti ordine, atque idcirco non habita ratione temporis quo quisque vixit. Itaque eundem ordinem et nos sequemur in paucis hisce excerptis exhibendis, ex quibus de auctoris gustu satis diiudicari poterit.

filii, et intelligite mente vigili verba mea..... Deficeret mihi tempus potius quam sancta et moralia dicta ejus *etc.* Adducam tamen hic in testimonium a me scriptorum paterna honorabilia opera pro patria impensa, eaque non tamen omnia *etc.* Invenio in publicis annalibus Arretinorum auctenticatis manu ser Riolomanni Armigeri de Burgo Sancti Sepulchri, quod anno Domini MCCLXIX., nemine imperante et vacante apostolica romana Sede, die dominico penultimo septembris, dum Arretina civitas cum Burgo sancti Sepulchri hostiliter dissentiret, ad hanc tandem concordiam deventum est, ut Arretini eligerent XXIV. bonos viros, quibus darent plenissimam potestatem paciscendi et belligerandi secundum placitum prudentie eorum; quorum electorum nomina sunt ista:

Dominus Josephus judex.

. . . .

Bonagiunta Longus.
Albertinus Johannis.
Benceveune Bonaventure.
Magister Bandinus grammaticus.
Orionus Arengerii.
Orlandus Atti.
Dominus Martinus judex, *etc.*

Et Burgenses similiter ex parte alia, congregato Consilio generali ad parlamentum, elegerunt cum plena balia et potestate in syndacum procuratorem et negotiorum gestorem dicti Communis dominum Pepulum judicem, quondam domini Raverii de dicto Burgo. Et tandem post multa convenerunt dicti procuratores et syndaci ut Commune Burgi quolibet anno mitteret Arrecium in vigilia sancti Donati presulis arretini, purpureum ac novum pallium de bono serico super lancea explicatum a porta civitatis usque ad palatium Communis Arretii. Et in mane festive solempnitatis beatissimi Donati presulis, qui eum portaverunt in precedenti die, rursus ponere et dimittere super altare majoris Arretine Ecclesie teneantur. Item quod Burgenses omnibus suis expensis refici faciant castrum Plebis sancti Stephani, et portam et omnia ejus edificia per ipsos Burgenses eversa, et ecclesiam Plebis positam extra castrum, qualis erat, cum ipsam demoliti sunt . . . . Promiserunt etiam dicti Burgenses facere in perpetuum exercitum et cavalcatas quotiescumque Arretini hoc facerent, vel sociis et amicis *etc.* Et omnia supradicta Aretii firmata in Plebe sancte Marie de Arretio, presente venerabile patre domino Johanne priore Camaldulensi, domino Tarlato de Petramala, domino Caffare judice, Amanuato notario, Baldo domini Castellani, Ventura Guidalis, et notario Gisello, omnibus civibus Arretinis *etc.*

(Sic desinit).

Brunettus, cognomento Latinus, Florentie oriundus, tantus evasit rhetor, philosophus, historicus et astrologus, quod poterat merito priscis oratoribus comparari, nisi contra naturam obscene libidinis ejus gloriam infecisset. Et quamquam honorabundus in patria sua viveret, supervenientibus discordiis intestinis, coactus jam senex linquere dulcem patriam, pervenit in Galliam transalpinam, ubi repente gallicum addiscit ydioma. Et ut gallis divitibus applauderet utilem librum gallica lingua edidit, quem *Thesaurum* appellavit, divisitque in libros ternos. . . . . Et habetur hoc volumen apud gallos in magno pretio, in quo dixit . . . . . . faciendo ad aucthorem sibi Brunectum loqui:

Siate recomendato il mio Thesoro
Nel quale vivo ancora, e più non cheggio.

Effecit alium in latina et materna lingua, quem *Thesaurectum* dixit, in quo tractavit de moribus hominum, de casibus, de mobilitate fortune, et humano statu *etc.*

Colucius Pyerius, rethor maximus facundissimusque orator, poeta clarus et hystoricus gloriosus, nunc adeo mirabilis in omni scientiarum genere, totaque politia inter quoscumque clarissimos mei stili visus est, quod postquam cepi dotes ejus meo calamo ponere in papyro, fere ab inceptis destiti eum solum hac tempestate de se satis digne, nec alium scribere post se, ratus *etc.* Fuit Colucius Pyerii filius, oriundus de Salutatis, inter suos clara prosapia de Stignano, castro quidem vallis Nievole, nostris temporibus territorii florentini, ubi orta dudum partialitatis discordia, ut frequenter assolet inter tuscos, Pyerius veluti caput guelfe partis pellitur, bonis ejus famelicis hostibus ad predam datis. Hunc ergo Taddeus de Pepolis, bononiensis dominus, largo stipendio ad se traxit, edoctus eum fore armis clarum, nec minus consilio prepollentem *etc.* Sed anno XI. sui exilii clausit feliciter vite terminum, superstibus tribus melioris sexus filiis, Colutio scilicet, Corrado et Joanne tunc puberibus. Colutio in literarum studio Bononie enutritus, jam etatem doctrina mirabili superabat. Mox evasit prestantior ipso patre, nec minus ornatus morum ac gravitate vite, quam fuerit profunde eruditionis celeber. Fulxit post tempus tantum eloquii jubar, ut monstrant

ejus epistole, quas emisit in eos stylo innumerabiles pene; quibus reges, pontifices et augusti earum sententiis ac gravitate moti, ad se illum trahere incredibilibus emolumentis conati sunt. Sed ejus celestis bonitas . . . . nostre patrie vicit pontificum, regum et augusti munera. Maluit ferme dici Cancellarius florentinus sub modesta quadam delectatione cum eruditissimo atque divino animo civibus florentinis, veluti . . . . supradictarum virtutum, ... quam in pontificalibus, sive augustalibus atriis cum clientum catervis, cum ingenti auctoritate pomposus conspici. Nec mirum est, quippe Colucius morum ac virtutum fenix in toto orbe, nobilitans non solum patriam sed Europam omnem, cum non modo representet, sed etiam excedat ingenia cunctorum veterum poetarum. Ipse enim omnia dicendi genera prosaice et metrice solus novit cum tanta ubertate doctrine, quod nescias utrum profundius an ornatius expleat omne opus. Ei familiarissime sunt historie quarumcumque gentium, suntque ei sensus fabularum notissimi. Et breviter quidquid . . . . sacrarum literarum jacet in gremio, sibi apertum est. Lege, si hesitas, scientiarum gurgitem, seu abissum appellare mavis, librum ejus, quem . . . . de laboribus Herculis quotidianis tenet *etc.* Legas elegantissimum librum illum, quem de religione, atque fuga seculi sub titulo Hyeronimi, camaldulensis Ordinis Generalis, edidit. Legas eroica metra de bello Pirri habito cum Romanis: tunc dices, quod prius de Marone Naso dixerat:

Omnia divino monstravit carmine Vates:

et ne, cum multa dixero, plura de suis meritis preteream, hec sit summa omnium dicendorum. Colutius Pyerius mea sententia solus est arcane nature conscius, qui divina solus et humana complecti animo, et eloqui stilo possit adeo exuberanter ut omnes laudatos veteres antecedat . . . . Additur summa fides, benignitas incredibilis et modestia singularis; et, ut concludam, cetera humanitatis offitia penes ipsum unum sunt, et quidquid dixerit credas a divino fonte relatum esse, quoniam oracula Delphis cessant, et a nemore dodoneo prophetice abiere columbe . . . . . . Nec te ut pictor fabulator verbulis meis laudo, quem incredibilis sapientie tue abissus laudat, predicat tua bonitas, eloquentia atque caritas in mortali homine non credenda *etc.* Crede nempe mihi, crede cantatissime vir insignis, quod quamvis nunc clarus in orbe sis, vives tamen gloriosus in sepulcro.

DANTES est proprium et usitatum nomen cujusdam poete, philosophi et theologi florentini. Ubi nota, quod in fonte sacri lavacri Durante fuit sibi nomen impositum. Sed blanditiarum alludio secundum florentinum ritum, sincopato nomine, Dantes vocatus est . . . . . . Sed incipiamus a primordiis *etc.*

IPOCRAS *etc.*

Tandem venit mirabilis GALENUS. Venit deinde RASIS . . . . . deinde AVICENNA *etc.* et ut ad Italicos veniam, qui mira subtilitate opera liquerunt in phisica, primus glossator TADDEUS FLORENTINUS, cujus adhuc scripta sunt maxime auctoritatis; non quod ante omnes aperuerit medicine textus, sed quoniam veritatis assertor felicissimus teneatur.

Fuit etiam DINUS DE GARBO, quem miris laudibus extollit MUSACTUS, poeta tragicus pactavinus: et etiam ipse commendabilia multa scripsit, prout posui in eodem libro VII., cfr. DINUS.

Hunc non inferiore fama nec ingenio secutus est filius THOMAS, ut scripsi eodem libro; cfr. THOMAS.

Nec parve glorie fuit GENTILIS DE FULGINEO, qui multa copiose sine subtilitatis admiratione composuit.

Et ut vivos omittam, quos video fama claros et scriptis sine dubio celebrandos, fuit CHRISTOPHORUS DE HONESTIS de Bononia, fuit et MARSILIUS pactavinus, qui universalitate rerum et scientia claruit.

Omnibus tamen anteponendum censeo PETRUM DE HEBANO pactavinum, qui maxime utilitatis librum edidit in medicina, cujus titulus: *Conciliatores etc.* Qui etiam declaravit Problemata Aristotelis. Scripsit de venenis, et alia multa fecit, adeo perfecte omnia quod facile inter medicos europicos alius clarior non habetur.

Nec multo prius, si ei non fuit contemporaneus, GUILIELMUS DE PLACENTIA, nomine Placidus, in theorica et practica medicina, prout ipsius *Gulielmina* demonstrat.

Extinctis his luminibus medicine, heu ad hoc venimus in presenti ut cuicumque rudi se medicum profitenti subjiciatur unusquisque *etc.*

JOANNES ANDREE doctor eximius Decretorum, fuit dampnato conjugio natus. Ipse ferme patre Andrea sacerdote, matre vero alpicola ignote stirpis, venit ad lucem. Et hi ambo parentes in sinu Alpium Mugelli, altero et vigesimo lapide distante ab urbe Florentia, nati sunt. Hic Andrea, patre literarum elementa docente, celeriter didicit primitiva. Inde se Bononiam contulit pedagogus, ubi liberales artes mirabili celeritate didicit. Cumque in tanta cresceret honestate, quanta sufficeret homini religioso, venit in gratiam viri nobilis Raynaldi de Ubaldinis, adeo quod ejus filium Scarpetta nomine sub Joanne directore ad ius canonicum Bononiam destinavit. Ipse autem Joannes ita profecit quod in parvo tempore quammaximus doctor habitus, ad lecturamque provectus, ingenia cunctorum veterum superabat. Dilexit adeo dicta Hieronymi quod summa diligentia per discipulos variarum regionum, quos ipse docuerat, quasi ejus opera congregavit. Et ipse eleganti stilo libellum edidit de vita Hieronymi. Sub ejusdem nomine fecit devotissimum (1) construi haud longe a civitate Bononie. Et dum juvenis esset, super VI. Bonifacii ordinarias glossas fecit. Sed super Clementis ita perpingues glossas edidit, quod universus orbis quasi quoddam veritatis oraculum summa cum veneratione suscipiat; et cum jam lecture Canonum per V. annos sine intermissione vacasset, publicavit illud insigne opus super Decretalibus compilatum, cujus titulus est *Novella*, in quo quidem quacumque litera veteres scripserant, ornate, subtiliter atque ordinate digessit. Et in supplementum glossarum, quas, ut dixi, juvenis ediderat super VI., scriptum utilissimum fecit. Adjunxit etiam *Speculo* Guilielmi Durantis ea que opus imperfectum perficere viderentur. Cum tandem verteretur in senium non mutato habitu, ne ypocrita videretur, quantum sibi restabat temporis rigidissima austeritate transegit. A domesticis quidem post ejus obitum referentibus compertum est hunc virum circa XX. annis non jacuisse in lectis, sed vestitum ursina pelle brevissime dormivisse, reliquum tempus orationibus expendisse, et per jejunia et contemplationes celestes sprevisse omnia vana mundi. Claruit Joannes noster temporibus diversorum principum. Nam primo celebre nomen ejus imperante Henrico per Bononiam diffusum est. Qui Henricus, cum anno gratie MCCCXIII. insignia Rome imperialia recepisset, post paucum apud Beneventum in agro Senensi extinctus est. Sed tunc erat clarissimum nomen ejus cum Lodovicus, dux Bavarie, invasor imperii, res Italicas turbabat. Bononie spiravit tandem anno gratie MCCCXLVII., vite autem sue anno . . . . et apud ecclesiam beati Dominici in sumptuoso sepulcro positus.

PETRUS DE VINEIS, patria capuanus, abjectissimo et ignoto patre, matreque tenui muliercula, cum post multas angustias evasisset dictator magnus, magnusque etiam in iure canonico et civili, Deo volente, tandem venit ad imperiale palatium Federici II. Cesaris ingenio naturali et fortuna dives augustique Cancellarius, Consiliarius, et pro cunctis omnium arcanorum conscius. Reperio enim, quod in neapolitano palatio fuerit imperator effigiatus in solio et Petrus in sede. Populus autem petebat justitiam sub his verbis:

Cesar amor regum Federice piissime regum
Causarum telas nostras resolve querelas.

Imperator videbatur taliter respondere:

Pro vestra lite Censorem litis adite
Hic jura dabit vel per me danda negabit
Vinea cognomen Petrus judex est sibi nomen.

Sed vafra operatio curialium, sue glorie atque potentie invidentium, ita eum exosum Augusto fecit sub titulo proditionis dissidente Federico cum Papa, ut ab eo Cremone . . . . . . tenebroso ergastulo clauderetur, portareturque deinde Pisas, quo Imperator gradiebatur, jamque venisset ad sancti Miniatis castrum adeo impatiens factus est quod, fracto ad murum capite, miseram vitam liquerit. Vel, ut aliis placet, cum esset Capue transeunte Augusto secus Palatium . . . . . . precipitavit in viam, composito prius libello consolatorio, cujus sunt initia: *Aperi labia mea Deus, etc.*, voluitque super sepulcro sculpi:

Hic redit in nihilum, qui fuit ante nihil.

XIII.

Cl. Fattorini non pauca ex chronica fratris Salimbene ex Cod. bibl. Comitum, Romae, sub hoc numero in lucem prodiit, quae in Chronica Fr. Salimbene Parmensis, *Parmae, ex off. Petri Fiaccadori, anno MDCCCLVII. inter* Mon. Hist. ad Provincias Parmensem et Placentinam pertinentia *nunc edita sunt* (2).

(1) *Sic.*

(2) Cfr. ibid. pag. 25, 26, 27, 14, 15, 32, 33, 34, 38, 39, 30, 31, 40, 402, 403, 50, 51, 52, 54, 55, 59, 64, 68, 109, 110, 111, 112, 113, 123, 124, 128, 129, 159, 164.

XIV. A

Ex archivo regio senensi; ex Actis monasterii, seu abbatiae sancti Galgani, fol. 283 t.

In nomine Domini, amen. Anno eiusdem millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta, die nono kalendas augusti.

Ego Bonaiunta quondam Peponis, civis senensis, notarius, pro anime mee remedio et salute ac remissione peccatorum meorum, titulo donationis inter vivos inrevocabiliter, ita quod nulla possit ingratitudinis causa revocari, vobis donno Galgano, abbati monasteri sancti Galgani cisterciensis ordinis vulterane diocesis vestro, conventus et fratruum ac monasterii vestri nomine recipienti, et per vos ipsi monasterio in perpetuum, dono, do, trado atque concedo omnes libros meos canonicos et legales ac quoslibet alios cuiuscumque artis et facultatis existant ubicumque sint et alicubi valeant inveniri apud quamcumque hominem, personam et locum et spetialiter totum Corpus iuris civilis; quod quidem Corpus est in primis unus codex de lictera nova cum Apparatu domini Acursi, qui valet viginti et quinque libras denariorum senensium minutorum. Item Digestum Vetus cum Apparatu domini Aczonis et Accursi quo[d] valet viginti libras monete predicte. Item Digestum Novum de lictera nova cum Apparatu Accursi, quod valet triginta libras ipsius monete. Item Inforziatum et tres partes in uno volumine cum Apparatu domini Ugolini, qui scilicet liber valet viginti libras monete prefate. Item Auctenticum cum tribus libris Codicis in uno volumine, quod valet decem libras eiusdem monete. Item Institutiones cum Apparatu Accu[r]si, que valent tres libras monete prefate. Insuper est unus alius codex de veteri lictera cum Apparatu Aczonis et aliis bonis et utilibus closis, qui valet decem et octo libras dictorum denariorum. Preterea est Suma Aczonis super Codice et Institutionibus spetialiter edita, que totidem valet. Amplius est et Libellus dominii (1) Roffredi de Benevento cum Summa Acursi super Autenticum et cum questionibus Aczonis et dominorum Pileii et Guarnerii atque cum Broccardis Aczonis, nec non et aliis libellis, closis et rationibus in unius volumine libri, qui valet quindecim libras memorate monete. Super est quoque et Corpus Iuris Canonici, quod est Decretorum liber, qui valeat duodecim libras monete senensis minute. Item est et Liber Decretalium novarum, qui valet decem libras monete prenominate.

Omnes siquidem libri sic sigillatim expressi aput vos et conventum sunt in monasterio sicuti qui eos vobis manualiter dedi et tradidi, vosque habere ac tenere ipsos confiteor et jam corporaliter possidere. Quorum possessionem in vos et monasterium transferens, vobis eam ratifico et confirmo ut iure dominii et plene proprietatis et possessionis omnes libros meos tam prescriptos quam alios quosque ubilibet inveniantur et quandocumque de cetero habeatis, teneatis, possideatis et faciatis exinde quicquid vobis et fratribus ac successoribus vestris facere placuerit. Do insuper vobis et fratribus vestris liberam potestatem ipsorum librorum meorum, quos adhuc non habetis nec apud vos sunt, quotiens et quando potueritis et volueritis, per vos et per alios plenariam possessionem, auctoritate vestra, ingrediendi et accipiendi et ut statim possideatis, me ex nunc eos constituo vestro et monasterii vestri nomine possidere.

Utque omnium librorum meorum tam eorum qui aput vos sunt, quam eorum qui non sunt adhuc apud vos, in omnem locum et jus meum subcedatis universum exinde vos et fratres vestros nomine dicti monasterii in rem vestram procuratores facio et constituo et possitis agere, experiri, excipere et replicare pro omnibus et singulis adversus omnem locum, hominem et personam, et facere que ego ipse facere posse[m]. Promictens eos vobis ulterius non tollere, non molestare, set ab omni homine defendere et disbrigare, et quod jus meum super hoc nulli alii datum est seu alienatum, sub pena dupli eius unde lix fieret solemniter promissa; et hec sub obligatione bonorum et heredum meorum. Renumptio quoque in hiis omni exceptioni non facte donationis et causa ingratitudinis legibus et statutis, constitutionibus et decretis, que locuntur de donationibus revocandis, condictioni indebiti et sine causa, fori privilegio et cuique iuris et legum auxilio. Licet autem abitum oblatorum clericorum vestri monasterii portem et portaverim iamdiu, hec tamen facio antequam verbo professus existam.

Ego vero infrascriptus Alamannus notarius, prefato domino Bonaiunte volenti et confitenti ac in se sponte suscipienti, precepi per sacramentum, nomine guarantisie secundum quod in constituto Comunis senensis dicitur contineri,

(1) *Sic.*

quod eisdem dono Abbati et monasterio hoc instrumentum observet per omnia et singula supradicta et contra nulla veniat ratione.

Actum in claustro ecclesie rotunde sancti Galgani de Monte supra prefatum monasterium, coram donno Francisco monaco et fratribus Salimbene et Bonagratia conversis ipsius monasterii, et Guiduccio Guidonis et Guidone Napoleonis laicis, testibus rogatis.

(L. † S.) Ego Alamannus Bernardini, imperiali auctoritate notarius, predictis interfui, et ea, rogatus, scripsi et publicavi.

XIV. B

Catalogum Librorum, qui Bononiae apud Stationarios Universitatis, scholarium commodo permanebant, refert cl. Fattorini. Nunc legitur in volumine: Statuti delle Università e dei Collegi dello Studio Bolognese pubblicati da Carlo Malagola — *Bologna, Nicola Zanichelli, MDCCCLXXXVIII., in fol., pag. 32-35, sub rubrica XXXVI. statutorum Universitatis scholarium iuristarum ab a. 1317 ad a. 1347.*

XV.

Sub num. XV. Indiculum Librorum Cervotti ex schedis cl. Sarti *M. Fattorinius dedit. Sed documentum sic vulgatum indiculum librorum Cervotti non esse cl. Georgius Curcius probavit. (Vide:* Atti e Memorie della R. Deputazione di Storia Patria per le Provincie di Romagna - Anno VI. - *Bononiae, ex Regia Thypographia, an. MDCCCLXVIII., pag. XXII.) Librorum catalogus, quos Cervottus fratri suo Guillielmo vendidit die VII.° octobris MCCLXXIII., reperitur in* Memorialibus Communis Bon. *in Arch. max. bon., in* Memoriali *n. 23 Jacobini Rolandi Benvignonis, c. 110 r.; et hunc edidit Aemilius Orioli, iur. doct., in Tabulario maximo bon. proarchivarius, in ephemeride:* Il Bibliofilo, *Bologna, gennaio 1890, anno XI., num. 1, pag. 3-5* (1).

XVI.

Damus hic Catalogum Consultorum Sancti Officii Bononiae, qui fuerunt ab anno MCCXCVII. usque ad annum MCCCVII.; prout describuntur in Codice membranaceo iam in Archivo ejusdem Sancti Officii apud Predicatores in bononiensi monasterio. Cum autem Catalogus in Archivo vocato Demaniale *pervenisset, anno 1850 fratribus Praedicatoribus restitutum fuit; sed ubi lateat ignoratur.*

Anno MCCXCVII.

Dominus Guido de Baisio, archidiaconus bononiensis, decretorum doctor.

Dominus Gerardus de Cornazzano, vicarius domini Episcopi bononiensis.

Dominus Arpinellus, archipresbiter sancti Petri Majoris de Bononia.

Dominus Rodulfus, abbas sancti Proculi de Bononia.

Dominus Martinus Sublimani, doctor legum.

Frater Ugolinus de sancto Ambroxio, supprior in conventu fratrum Predicatorum de Bononia.

Frater Gabriel, reginus
Frater Homobonus, bonon.
Frater Albergiptus, bonon. } Lectores in Ordine Predicatorum.

Frater Mattheus de Ordine Fratrum Minorum, qui fuit Inquisitor hereticorum.

Frater Gerardus de Arpinellis de Ordine Minorum.

Dominus Henricus de sancto Miniato de la Porta, doctor legum, judex et assessor domini Berardi de Camerino, potestatis Bononie.

Dominus Bonincontrus de Hospitali de Bononia, doctor decretorum.

Frater Aymericus placentinus, Prior in conventu Fratrum Predicatorum de Bononia.

Dominus Julianus domini Cambii de strata sancti Vitalis de Bononia, doctor legum.

MCCXCIX.

Dominus Guido de Abaixio, ut supra.

Dominus Marsilius de Mantighellis, decretorum doctor.

Dominus Johannes de Monte Murlo, doctor decretorum, legens actu Bononie.

Frater Aymericus placentinus, Ordinis Predicatorum, lector in conventu Bononie.

Frater Artimixius, Guardianus in conventu Fratrum Minorum.

Frater Lambertus, baccalarius in eodem conventu.

Dominus Bonincontrus, ut supra.

Frater Johannes faventinus, prior in conventu Fratrum Predicatorum de Bononia.

Dominus Lambertinus de Ramponibus.

(1) Ibi impressoris lapsus corrige: *intrantis* pro *intratis;* Summa Codicis *in iure canonico,* pro Summa Goffredi; *adovacatorum* pro *advocatorum;* et ubi legitur *Vinçentii de re,* adiunge: *militari,* et *Naximpace* uno verbo lege.

Frater Rambertus de Primadiciis, magister in theologia Frater Manfredus de Doaria Frater Symon, Supprior Frater Gerardus Tuscis Frater Guido de Apoxa Frater Petrus, tridentinus	de Ordine Fratrum Predicatorum.

Dominus Johannes, Archidiaconus tridentinus, vicarius domini bononiensis Episcopi.

Dominus Bartholuccius de Preytis, legum doctor.

Dominus Bonvilanus de Thederixiis, jurisperitus.

Frater Millidosius de Corvis, Ordinis Predicatorum.

MCCCI.

Frater Franciscus, episcopus salubriensis, Ordinis Predicatorum.

Frater Rambertus, etc.

Frater Aymericus, lector in conventu.

Dominus Martinus de Sulimanis, legum doctor.

Dominus Bonincontrus, etc.

Dominus Julianus domini Cambii de Gratiadiis, legum doctor.

Dominus Agucius de Hericio, jurisperitus et capellanus domini Episcopi bononiensis.

MCCCII.

Dominus Mattheus, canonicus foropopulensis et vicarius venerabilis patris domini Episcopi bononiensis.

Dominus Andreas, archipresbiter ecclesie majoris sancti Petri de Bononia.

Dominus Nicolaus domini Rodolfini de Lameriis, jurisperitus.

MCCCIII.

Dominus Guido de Abaisio, decretorum doctor et archidiaconus, etc.

Dominus Lambertinus de Ramponibus, legum doctor.

Dominus Rolandinus domini Guidonis Belvisii, decretorum doctor.

Frater Aymericus bononiensis, Ordinis Predicatorum, Supprior in conventu Bononie.

Frater Petrus de Forolivio Ordinis Predicatorum.

MCCCIV.

Dominus Albertinus Ughetti, legum doctor.

Dominus Ottavante domini Guidolotti de Florentia, decretorum doctor.

Dominus Jacobus domini Guidonis Belvisii, legum doctor.

Dominus Gratiadeus, decretorum doctor, filius domini Juliani Cambii.

Dominus Ubaldinus domini Antonii de Galluciis, legum doctor.

Frater Johannes parmensis, Ordinis Predicatorum, lector in conventu Bononie.

Frater Petrisolus de Aposa, Ordinis Minorum.

Frater Thomasinus parmensis, dicti Ordinis.

Dominus Ubaldinus de Malavoltis, legum doctor.

Dominus Paulus domini Martini Sulimani, legum doctor.

MCCCV.

Frater Gualterius de Florentia, Ordinis Predicatorum, doctor in utroque jure.

Dominus Johannes de Calcina, decretorum doctor.

MCCCVI.

Frater Gualterius, etc.

Dominus Paulus de Sulimanis.

MCCCVII.

Dominus Bartholuccius de Preytis, legum doctor.

Dominus Petrus de Cerrutis, legum doctor.

Dominus Paulus de Cospis, decretorum doctor.

Frater Gualterus de Florentia, utriusque juris doctor.

Dominus Jacobus de Attis, vicarius venerabilis patri domini Uberti episcopi bononiensis.

XVII.

Ex Codice mss. Bibliothecae Malatestianae Caesenae, ad calcem « SUMMAE SANCTI RAYMUNDI DE PENNAFORT cum commentariis Joannis Teutonici, libri IV. » *cod. V., plut. II., ser. II.* (1)

Conscilium magistri Bernardi doctoris decretalium super publicis blasphemis Domini ejusque sanctorum talis est: Quod puniri debent secundum decretales Gregorii VIII. et non secundum arbitrium sacerdotis; sapientes vero fratres contrarium dicunt, scilicet quod sacerdos potest eis imponere penitentiam secundum suum arbitrium.

(1) In codicis principio, teste Fattorinio: *Exscribi curavit illustrissimus et reverendissimus praesul Franciscus Aguselllius, optimus et praestantissimus Caesenae episcopus, quem hic devotionis et amicitiae etiam causa nominatum volo.* — Cfr.: F. M. Muccioli, *Catal. Cod. manuscr. Malatestianae Caesen. Bibl.* (Caes. MDCCLXXX., t. II., p. 26) et R. Zazzeri, *Sui cod. e lib. ant. stamp. della Bibl. Malatestiana di Cesena* (Cesena, 1887), p. 273.

De lucro autem dicitur quod non tenentur, nisi de falso acquisito, sicut taxillis falsis seu alias; verum suggeratis sibi ut quod male acquisivit in bonis expendat, pauperibus erogare.

C. pro socio l. I.: Societatem uno pecuniam conferente alio operam prestante contrahi magis optinuit, quia sepe opera alicujus plusquam pecunia valet, ut in Insti. eodem § II., et si partes adjecte non fuerint equales in lucro et dampno spectantur ut Dig. eodem si non fueri[n]t. Sed quero an ille qui pecuniam contulit, debeat habere capud (1) salvum in divisione societatis, idest sortem, et lucrum ex ea provenieus communicare. Joannes distinguit, an ab initio sic dederit pecuniam [ut] communicaret, et (2) an ut sua remaneret. In primo casu communicat (3), in secundo non. Sed quid, si hoc non appareat? Responsio: In dubio presumitur communicata, ut Dig. eodem l. I., § fin. et l. II., licet alia sit hujus civitatis et quarumdam civitatum consuetudo. § Item quid si hec sors sit amissa, an tantumdem debeat reponere, et an sit comune periculum [Responsio: non est commune periculum] ut ille qui operam ponebat aliquid conferat, sed finita est [societas] interemptione rerum, ut Dig. eodem l. verum, § intereunt, nam et circa pecuniam consuevit operam exhibere, quam modo non habent. Accursius.

Dig. pro socio l. si non fueri[n]t, Ulpianus: Si non fuerint partes societatis adjecte, equas eas esse constat; si vero placuerit ut quis duas partes vel tres habeat, alius unam, an valeat? et placet valere, si modo ad id (4) plus contulerit societati vel pecunie, vel opere, vel cujuscumque alterius rei causa § Ita coiri societatem posse, ut nullam partem dampni alter senciat, lucrum vero commune sit, Cassius putat; quod ita demum valebit, ut Sabinus scripsit, si tanti sit opera, quanti dampnum est; plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat quam pecunia; item si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus. Aristo refert Cassium respondisse, societatem tamen (5) coiri non posse, ut alter lucrum tantum, alter dampnum sentiret, et alias (6) hanc societatem leoninam solitum eum (7) appellare; et nos consentimus talem societatem nullam esse, ut alter lucrum senciat alter vero dampnum sentiret et nullum lucrum; iniquissimum enim genus societatis est, in qua quis dampnum et non lucrum spectet.

Paulus: Mucius scribit non posse societatem coiri, ut aliam dampni, aliam lucri partem socius ferat;

Servius, nec posse societatem ita contrahi, neque lucrum (8), nisi omni dampno deducto, neque dampnum, nisi omni lucro deducto.

Sed potest societas contrahi ita, ut ejus lucri, quod reliquum in societate sit, omni dampno deducto, pars aliqua (9) conferatur, et ejus dampni, quod similiter relinqu[a]tur, pars alia capiatur.

Plus contulerit societati: Si autem non contulerit plus, numquid hoc pactum valet? quidam, ut Azo., quod non, ut hic, et infra eodem quid enim § illud. Et est ratio, quia societas habet jus fraternitatis, unde licet alia[s] hujusmodi pacta serventur scilicet (10) depositi l. 1 § 1 si convenit, hic tamen non valeant, ut infra eadem l. § fin., et infra eodem l. verum I. responso.

Alii dicunt, ut Joannes, quod valet, et libenter audiunt (11) hic maxime; nam hoc ipso, quod socius sit, dicunt alii afferri commodum aliquod, ut argumentatur infra de contrahenda emptione, l. fundi partem. Tertii, ut Al., dicunt, quod valet jure pacti, non jure societatis. Sed prima verior est.

Tanti sit opera: Scilicet extimanda.

Quanti dampnum est: Idest periculum dampni subeundi.

Si solus peregrinetur: Idest sine socio. Azo. Sed quid si perdatur pecunia talis? an sit periculum commune? Joannes: non, nisi hoc actum est; sicut si alter qui operas prestat, moreretur, non esset commune. Sed an posset unus alium compellere vel (12) operari, vel ut tantumdem pecunie reportet? Responsio: Non, quia soluta est societas interemptione rerum, ut infra eodem verum § fin.

Et alter vero dampnum: Scilicet totum, ut subjicit; idem est si partem dampni senciat, et nichil lucri. Azo. Sed cum majorem partem lucri, et minorem [dampni] ex pacto possunt percipere, ut supra eadem in princip., quis erit finis? Videtur enim quod si etiam unum nummum

(1) *Capitale* in Gl.
(2) *Sic.*
(3) *Communicatur* in Gl.
(4) *Aliquid* in Textu.
(5) *Talem* in Textu.
(6) *Sic.*
(7) In cod. ē.
(8) Vide infra.
(9) *Alia* in Gl.
(10) *Ut supra* in Gl.
(11) *Subaudiunt* in Gl.
(12) *Sic.*

pro lucro habeat, et totum dampnum, quod valeat. Sed respondeo: arbitrio judicis hoc dirimendum, ut argumentatur supra eodem si societate[m]; vel, si vis, hoc valere (1) usque ad tres partes, vel duas, non ultra; nam sic figit hec lex suos pedes, ut in principio sui dicit.

In l. Mucius. Neque lucrum intelligatur nisi omni dampno deducto: Hic de dampno casu accidenti, secus si culpa, quia tunc non communicatur, immo prestatur, ut supra eodem non ob eam. Acc.

XVIII.

E Codice, qui inscribitur: Summa Dictaminis magistri Guidonis Fabe *ad XIII. saeculum pertinente et qui exstabat Tuderti in Bibliotheca sancti Fortunati, eduxit Fattorinius formulas inscriptionis litterarum. Cum vir cl. Augustus Gaudentius* (2) *partem Guidonis Fabae operarum iam edidisset et caeteras in lucem proditurus sit, nos hic quae Fattorinius dedit praetermittimus.*

XIX.

Huic numero assignanda duxit Fattorinius excerpta ex antiquo codice membranaceo existenti in archivo canonicorum sancti Petri Romae sub n. 13, lit. H, cuius titulus: Forma Literarum Scolasticarum *idest* Rhetorica antiqua *Boncompagni florentini, cuius, post hunc, non pauci alii codices inventi sunt. Sartius hunc numerum nullibi indicavit; sed arbitratus est Fattorinius clarissimum virum M. Sartium propositum sibi fuisse de huiusmodi codice loqui inter theologiae Professores; Fattorinius vero ibidem, pag. scilicet 629, part. II., tom. I., codicem laudavit, eumdemque anonymum dixit. De Boncompagno autem, celebri in scholis nostris humaniorum literarum Professore, vide part. I., tom. I., pag. 602. Quamvis enim ex prima codicis pagina, quae ferme deleta est, auctor non pateat, innotescit tamen ex pag. 18, 19, 20 aliisque. Totum opus tributum est in sex libros; singuli vero libri in titulos dividuntur. Initio in dialogi formam est scriptum. Discipulus et magister se produnt. De bestia quadam monstrosa multa ad stilum comparandum exponuntur petenti discipulo.*

Paragraphum primum, a Roechinger iam editum (3), *ademimus, nec secundum hic producere utile putavimus, nam vir cl. Augustus Gaudentius opus totum* Rhetoricae antiquae *se brevi daturum pollicitus est.*

XX.

Dedit hic Fattorinius excerpta Statutorum Populi Bononiae, *quae ad scholas nostras pertinent. Varias habemus in Archivo max. bonon. hujusmodi statutorum compilationes, ut vocant, sed plerasque mancas, praesertim antiquiores. Itaque selegit Collectiones anni MCCL. et aliam, quae dicitur anni MCCLXXXVIII.* (4), *utpote pleniores, additis tamen alicubi variantibus ex aliis collectionibus praecedentium annorum. Sed ista, cum iam bis edita sint* (5), *hic nequaquam dare curamus.*

---

(1) *Vel verius hoc valet* in Gl.

(2) *Il Propugnatore,* periodico bimestrale. Nuova serie, vol. III., fasc. 15, 18; vol. V., fasc. 25-26, 28-29; vol. VI., fasc. 33 e 36.

(3) *Breifsteller und formelbücher des eilften bis viersehasen jahrhunderts bearbeitet von Ludwig Roechinger - Munster 1863* - vol. I., pag. 132-133.

(4) In coll. Statutor. quae dicitur anni 1289, in Arch. Max. bon., lib. VIII., c. 104 v. et 105 r. et v. — De anno huius collectionis cfr. Gaudentium, op. infra cit., pag. 119.

(5) *Monum. ist. pertinenti alle provincie di Romagna, serie I., Statuti di Bologna per cura di L. Frati - Bologna, Regia Tip. 1869-1884,* II. vol. p. 22-29, lib. VII., rubr. V.-XVI.; et: *Statuti delle Università e dei Collegi dello Studio Bolognese pubblicati da Carlo Malagola,* op. cit., pag. 153, 156, 158, 126-127, 153 n. 1, 149, 158, 160, 164, 165, 166 et etiam Augusti Gaudentii: *Gli antichi Statuti del Comune di Bologna intorno allo Studio,* in: *Bullettino dell' Istituto Storico Italiano, 1888, n. 6,* pag. 117 a 137.

SCHOLARES ILLUSTRES.

Elenchum scholarium illustriorum extremo loco daturum se promisit cl. Sartius (part. I., tom. I., pag. 244). Eumdem ergo exhibuit Fattorinius ex schedis eiusdem. Horum omnium nomina hausit Sartius ex codicibus CCCXXIX. Memorialium *Archivi maximi bononiensis, qui quidem codices, initio facto ab anno MCCLXV., immensam, ut ita dicam, eorum segetem suppeditant; frequentes enim aderant scholares contractibus ineundis aliisque actis publicis tamquam testes, vel tamquam actores. Huiusmodi collectionis labor et si non necessarius, et quamquam absolutus non est, suo tamen fructu non caret; plures enim inter eorum temporum scholares occurrunt, qui doctrinae dignitatisque celebritate praestantes admodum evaserunt: cumque iidem ex dissitis variisque regionibus ad nostram hanc Universitatem confluerent, profecto vel ipsa nuda nominum series aliquibus prodesse poterit in peculiarium historiarum particulis illustrandis. En scholarium seriem singulis annis ordine alphabetico digestam* (1).

MCCLXV.

Mag. Alanus de Pruino.
Albertus, archidiaconus liviensis.
Mag. Bedus, canonicus coloniensis.
D. Berengarius de Berberano, canonicus ilerdensis.
D. Bernardus de Fugliano, canonicus aurelianensis.
D. Bernardus de Villamarino, canonicus gerundensis.
D. Bonacursus, canonicus pisanus.
D. Bonanus domini Johannis [de] Crescenzonibus de Roma.
D. Corsalvus Redoici, canonicus paleusinensis.
D. David Joannis viennensis, canonicus laudemonensis et decanus veronensis.
Mag. Elias Marcoli quondam domini Roberti.
D. Federicus, canonicus travarensis.
D. Ferdinandus Martini, canonicus zamorensis.
D. Fernandus Fugerii, thesaurarius calabriensis.
D. Gandisalvus Ferdinandi, portionarius burgensis.
D. Gardefridus de Modrescin., filius quondam domini Gardefridi militis.
Mag. Gaufredus de Bellomonte, apostolice Sedis Legatus, cum aliis scholaribus.
D. Gaufridus de Arciaco, santonensis diocesis.
D. Gondisalvus Gandisalvi, canonicus bracarensis.
Mag. Gorlanus Jhenans quondam domini Guilielmi, turonensis diocesis.
Mag. Guilielmus, cenomanensis diocesis.
D. Guilielmus, ejus frater.
Mag. Hugo Vigerii quondam domini Hugonis, sansonensis diocesis.
Mag. Johannes de Insula, canonicus tornacensis.
Mag. Johannes de Mauduno quondam Johannis, aurelianensis diocesis.
Mag. Johannes de Sepibus filius domini Uberti, lexoviensis diocesis.
Mag. Johannes Gondisalvi, canonicus burgensis.
Mag. Johannes de Meduno quondam Johannis, aurelianensis diocesis.
Mag. Johannes de Sacro Cesare quondam Johannis, bituricensis diocesis.

(1) Hiis praesertim adiungenda sunt nomina scholarium, quae reperiuntur in opere: *Acta Nationis Germanicae Universitatis bononiensis . . . . ediderunt Ernestus Friedlaender et Carolus Malagola* (Berolini, typis G. Reimeri, MDCCCLXXXVII.) et in libro: *Monografie storiche dello Studio Bolognese, di Carlo Malagola* (Bologna, Zanichelli, 1888) par. II.: *Serie dei Rettori e Vice Rettori dell' antico Studio di Bologna*, pag. 129 et seq. — Non paucos refert Catalogus errores, qui actorum graphiae tantum tribuendi non sunt, praesertim cum unius nominis saepe varia praebuit Fattorinius exempla; sed laborem ingentem efficere ad nomina singula in *Memorialibus* probanda, mihi impossibile duxi.

(C. M.)

Mag. Johannes, doctor decretorum.
Mag. Johannes de Meduno quondam domini Johannis militis, aurelianensis diocesis.
Mag. Johannes de Bajocis quondam domini Richardi, cenomanensis diocesis.
Mag. Johannes de Sepibus filius quondam Guiberti de Sepibus.
D. Johannes Marchi, portionarius burgensis.
D. Johannes Lemovincensis, rector ecclesiarum de Cobgiac.
D. Johannes Egidii, canonicus ghievarensis.
D. Johannes de Aurea Valle, quondam domini Cleacentis, bituricensis diocesis.
D. Johannis Rencensis, filius domini Thomae dicti Bovis de civitate Remensi.
D. Johannes de sancto Martino, filius quondam domini Petri militis, trecensis diocesis.
D. Jospertus de Britonaco, abbas sancti Felicis Gerundensis.
D. Michael de Curbis de Montepessulano.
D. Nicolaus de Sansejo quondam domini Martini Mesarii, cenomanensis diocesis.
Mag. Petrus de Fara, quondam domini Petri, bituricensis.
D. Petrus de Tornamira.
D. Petrus Lamberti de Montepessulano.
D. Petrus de Bocojo, canonicus nemausensis.
D. Petrus Gondesalvi, canonicus burgensis.
D. Petrus filius domini Petri, comitis de Vindocivo, cantor. cenomanensis.
D. Petrus de Sanseio quondam domini Ugolini, lingonensis diocesis.
Mag. Philippus Suart domini Guillelmi, cenomanensis diocesis.
D. Rainaldus, sive Reginaldus, canonicus burdegalensis.
D. Rodaldus de Pontiaco, cantor dolensis.
Mag. Simon Matifardi, filius quondam Johannis Matifardi de Butiaco.
D. Stephanus Joannis, canonicus bracarensis.
D. Stephanus de Insula quondam domini Guillielmi Castellani, tornacensis diocesis.
D. Thebaldus de Pontiaco filius domini Goffredi, cantor dolensis.

MCCLXVI.

D. Bernardus Stephani, archidiaconus carcaxonensis.
D. Guillielmus Brunitti.
D. Raymundus Alfredi, nepos Clementis IV.
D. Sanctius, prior sancti Johannis de Virginibus.

MCCLXVII.

D. Henricus de Belmonte.

MCCLXVIII.

D. Alfonsius Martini.
D. Ameus quondam domini Rolandini de Azonis.
D. Angelus de Roma.
D. Angelerius de Prato, magister et doctor in medicina.
D. Augustinus, archidiaconus domblavensis.
Mag. Bacolea, fixicus, filius domini Johannis Pasqual, notarius pistoriensis, cum magistro Jacobo, fixico, de Urbe Veteri.
Mag. Bonaventura, professor artis grammatice.
Mag. Bonaventura de Mantua, professor artis grammatice.
Mag. Bonus lucensis, doctor grammatice.
D. Bonrecuperus Porri, doctor legum.
Brunus quondam Martini de Arretio.
Mag. Dominicus, medicus.
Mag. Dominicus, doctor et rector in fisica, filius quondam domini Fr. Henrici.
D. Dominicus Stephani.
D. Dominicus Marcii.
Mag. Egidius filius quondam domini Gaalberii de Cremona.
Mag. Elias de Chintonia, anglicus.
Mag. Fernandus, canonicus aretensis.
D. Fernandus Antonini.
D. Fernandus, canonicus aretensis.
D. Fernandus Sugerii.
D. Fidet. de Arretio, scriptor.
D. Franciscus filius quondam Cavaturte.
D. Fulcus filius domini Rodulfi quondam domini Rodulfi Pacis.
D. Garxias Lupi.
Mag. Gaufredus de Bellomonte, apostolice Sedis Legatus, cum aliis scholaribus.
Mag. Gerardus de Cremona, professor artis grammatice.
Mag. Gerardus de Valeto, doctor decretorum.
D. Gondesalvus Petri.
D. Gondesalvus Martini.
Mag. Gottardus de Valoto, decretorum doctor.
D. Grillus filius quondam Cavaturte, civitatis parmensis.
Mag. Guido, qui fuit de Mediolano.
Mag. Guillelmus domini Petri, militis de Staffis.
Mag. Henricus filius dom. Guillelmi de Bojacho.
D. Heverardus, familiaris et serviens magistri Marcualdi de Mutina.

D. Jacobus Columna, cardinalis a Nicolao III.
D. Jacobus Colu[m]pna.
D. Jacobus filius domini Oddonis de Collonna de Urbe, canonicus laudunensis mutin.
Mag. Johannes Gonsaldi.
Mag. Johannes filius quondam domini Guillelmi de Boycho.
Mag. Johannes Martini, canonicus palentinus.
D. Johannes Galiotus de Regio.
D. Johannes Michaelis, doctor legum, canonicus pallentinus.
D. Johannes, abbas monasterii sancti Martini Trecensis.
D. Johannes de Mocharve, clericus et familiaris domini Enrici, filius quondam dom. Johannis marchionis Brandeburgensis, pro se et dicto domino marchione.
D. Ludovicus filius domini comitis Ludovici de Ungaria.
D. Magnoldus, capellanus regis Bohemie.
Mag. Martinus Garxie.
D. Martinus Alfonsii.
D. Martinus Ezee.
D. Oddo quondam domini Jacobi de Colu[m]pna de Urbe.
Mag. Petrus Burgensis, doctor decretorum.
Mag. Petrus Hugonis de Baxinico.
D. Petrus de Bocaciis, legum doctor.
D. Petrus, episcopus concensis.
D. Petrus Johannis.
D. Raymundus, qui dicitur Albanus de la Dozza.
D. Raynaldus, rector ecclesiae aleman. trecen.
D. Robertus filius domini Guidonis comitis Flandriae.
Mag. Sinibaldus, doctor grammatice.
D. Scotus quondam domini Preghe de Arretio.
Mag. Tebaldus filius quondam domini Lodoyci Sacri Gessaxis, nepos domini Henrici cardinalis berolicensis diocesis.
Mag. Ventura de Peruxio, scriptor.
D. Ugolinus de Malaspina, scholaris juris civilis.

MCCLXIX.

Mag. Aimericus filius quondam nobilissimi viri domini Simonis de Monteforti, comitis Laosatie, thesaurarius eboracensis.
Mag. Albertus, archidiaconus gunensis.
D. Albertus de Valle Guilchione de domo Michaelis Lamandine.
D. Arnaldus de la Casa, canonicus burdegalensis.
D. Arnaldus Slinker, canonicus sancti Severini burdegalensis.
D. Arnaldus de Turtonio, canonicus vastatensis.
D. Bellingarius de Belviso, precentor vitensis.
D. Bellingerius de Bociacis, sacrista bitterensis.
D. Beltrando de sancto Boneto, bereng.
D. Berengarius de Flumano, canonicus urgellensis.
D. Bernardus Albuini, canonicus caturcensis.
D. Bernardus de Monasterio, canonicus guaturcensis (1).
Mag. Bernardus de Montinadeo.
Mag. Bernardus Lombardus de Regio.
D. Boetius de Terracina, capellanus domini Pape.
D. Dalmatius de Satione, canonicus gerundeniensis.
D. Didacus de Lufestem, rector ecclesie Salsensis, de domo sancti Petri.
D. Dominicus Stephani, canonicus bracharensis.
D. Diudato Sabalerii de Roccabruna.
Mag. Fernandus, canonicus ovetensis.
D. Fernandus, canonicus cordubensis.
D. Fernandus filius domini Petri militis.
D. Fernandus Martini, socius ecclesie abulensis.
D. Fernandus Petri, canonicus cordubensis.
D. Fredolus de sancto Boneto, prior de Lunello.
Mag. Gallanus Gramante.
D. Galvano Catellano.
D. Gandulfus de Colu[m]pna, romanus.
D. Garsia Fernandi.
D. Garsia filius domini Petri Lamoren.
D. Garsias Lupi, porcionarius ecclesie toletane, clericus domini Petri episcopi janent.
Mag. Gondisalvus, doctor cordubensis.
D. Gondisalvus Garsie, archidiaconus de Vepte, canonicus Gerundensis, filius quondam domini Gangherardi.
D. Gregorius quondam domini Paoli de Ungaria, canonicus agriensis.
D. Gualfredus de Artiaco.
D. Guillielmus filius domini Stoblonis Aghinoni de Placentia, canonicus placentinus.
D. Guillielmus Fulchi de Foscheriis.
D. Guillielmus de Fontana filius domini Uberti Nasonis.
D. Guillielmus de Bociacis, prior de Amiliano.
D. Guillielmus Battani de Carcasona.
D. Guillielmus de Pretis, doctor legum.
D. Guillielmus de Albeche quondam domini Henrici.

(1) Idest *caturcensis*.

D. Guillielmus Dominici, filius domini Guillielmi de Cateloniis.
D. Guillielmus de Monte Jovis, canonicus albiensis.
D. Guillielmus de Verneto, cantor Montis Brusonis.
D. Henricus, canonicus ariatenensis.
D. Henricus, canonicus sancti Thome argentinensis de domo de Marescottis.
D. Henricus de Murcheliis, canonicus florimensis.
D. Horadinus de Firmo filius domini Horadini.
Mag. Hostaxius de Melfa.
Mag. Hugo domini Hugonis Vigerii.
D. Hugo de Mathaplana.
D. Hugo de Luzagnaco.
D. Jacobus de Camporellis.
D. Jacobus de Exio (1), rector ecclesie sancti Pauli de Valle.
D. Jacobus de Laduno, legum doctor et professor.
D. Joachinus, hungarus, archidiaconus de Carmaza.
Mag. Johannes de Baraco, senonensis diocesis.
Mag. Johannes de Meduaco.
Mag. Johannes de Mauduno, aurelianensis diocesis.
D. Johannes Gondisalvi, canonicus burgensis.
D. Johannes Mathei de Talavera.
D. Johannes de Vercellis, canonicus lincolnensis et belcavensis.
D. Johannes Ungarus, archidiaconus de Cornaza.
D. Johannes Matiserdo.
D. Johannes de Aurea Valle.
D. Johannes, canonicus Armentine, hispanus.
D. Johannes de Pontisera, rector ecclesie de Unellevive.
D. Laurentius de Fisco, rector ecclesie de Lentescheriis.
D. Linus de Flisco.
D. Lodomenus, canonicus gerundensis.
D. Lodomerius, canonicus gerondensis.
D. Marsilius de Insula Guasco.
Mag. Martinus Garsie.
D. Martinus Gondisalvi, archidiaconus de Alaoren.
D. Martinus de Casseda.
D. Martinus domini Petri, canonicus salamantinus.
D. Martinus Alfonsii, canonicus yspanensis.
D. Matheus de Murino cum aliis gallis.
Mag. Matheus de Ermaca ambianensis.
D. Matheus de Calona, canonicus belluacensis.
Mag. Mathias, canonicus sagabriensis.
D. Milanus quondam Guilielmi, diaconus mediolanensis.
D. Munandus filius domini Raynaldi Napulionis de Fulginio, prior sancte Marie Finisporte.
D. Nicola Galeglo.
D. Oradinus quondam domini Oradini de Firmo.
Mag. Ostasius de Melfa.
D. Paulus filius domini Nicolai, archidiaconus sinigensis.
D. Pelegrinus Alfonsi, canonicus yspalensis.
Mag. Petrus de Bajocis.
D. Petrus Arnaldus, clericus illustris regis Castelle.
D. Petrus Lamberti de Montepessulano.
D. Petrus, episcopus conchensis.
D. Petrus Fernandi de Viliegas.
D. Petrus de Tornamira de Montepessulano.
D. Petrus Eximiani, sacrista canonic.
D. Petrus Pontii de Urgio.
D. Petrus de Ameriis filius quondam domini Gaufridi.
D. Petrus de Apia filius quondam dom. Roberti.
D. Petrus de Russigliaci.
D. Petrus filius domini Bernardi de Eximina.
D. Petrus de Varexio.
D. Petrus comes de Vidatio, cantor cenomanensis.
D. Petrus, sacrista sancti Severini Burdigel.
D. Petrus de Malaspina in jure civili.
D. Petrus Eximini, sacrista burdegalensis.
D. Petrus Arnaldi, clericus domini regis capelle (2) filius domine Marie de Girundi.
D. Petrus quondam Petri, camerarius biterensis.
Mag. Philippus Suart.
D. Poncius de Badonis.
D. Pontius de Urgio, canonicus.
D. Preceptor Metensis, filius quondam domini Petri de Belvisio, diocesis metensis.
Mag. Raynaldus de Verdeliaco.
Mag. Raymundus de Polano.
D. Raymundus de Polay, rector ecclesie de Garnoleto.
D. Raymundus de Rama vastatensis.
D. Raymundus santi Tolosan.
D. Raymundus de Columberiis.
Mag. Reginaldus de Busiaco, carnotensis diocesis.
Mag. Reginaldus de Luxiaco, carnotensis diocesis, filius quondam domini Guilielmi militis.

(1) Idest *de Aisio*.

(2) *Sic*.

Ven. pater d. Robertus, episcopus auriensis (1).
D. Robertus, archidiaconus bosensis de Scotia.
Mag. Rodulphus filius quondam Gualterii de Normandia.
D. Rodericus Johannis.
D. Stephanus Eliac. de Tauro.
D. Stephanus Laterii, rector ecclesie sancti Johannis de Broilo, rutenensis diocesis.
Mag. Simon de Calzeomonte.
D. Thebaldus, canonicus de Mauduno.
D. Thomas, doctor legum, diocesis barcinonensis.
Mag. Thomas de Sassonia.

MCCLXX.

D. Aimericus de Gasalis, archidiaconus umbriacensis.
D. Aimericus de Monteforti.
Mag. Armaldus de Bayaco.
D. Arufatus de Tribus Aquis.
D. Bajacensis.
D. Beltrandus de Godona quondam domini Gulielmi, prior de Manso sanctar. Puellarum.
D. Berengarius de Pulcrovisu.
D. Bernardus de Tornamira.
D. Dalmacius de Tatione, canonicus gerundensis.
D. Dalmasius de Tusancavon, gerundensis.
D. Dominicus Dominici, rector et abbas ecclesie sancti Johannis de Sanmeli.
D. Dominicus Stephani, canonicus bracharensis.
D. Fernandus Vetri, canonicus cordulensis (2).
D. Franciscus de Lavania, canonicus catalensis.
D. Franciscus de Lavania, canonicus furnensis.
D. Franciscus de Flisco, canonicus castellanensis.
D. Franciscus de Baisco, canonicus furnensis.
D. Franciscus domini Ugonis de Margha, canonicus castellanensis.
D. Garicis Fernandi Ladomecii, portionarius cataguritanus.
D. Gaufredus de Arciato filius domini Guilielmi, santinensis diocesis.
D. Gaufredus Benisens. pictavien.
D. Gaufredus de Brentacho filius domini Gaufredi militis.
D. Gaufridus comes de Bardi, filius quondam domini Alberti de Campello.
Mag. Gerardus de Montebarco, canonicus.
Mag. Gerardus Blancus, canonicus parisiensis.
D. Gerardus de Anzeliaco, prior de Burgo, filius domini Raymundi.
D. Godofredus de Navarilla filius domini Gualterii militis.
D. Gondesalvus Gomeri, magister scholarium, compostellanus.
Mag. Goltifredus de Zandraca, canonicus insulens.
Mag. Grisoppus de Parma, canonicus sancti Benedicti parixiensis.
Mag. Gripapelus parmensis, canonicus sancti Benedicti parixiensis.
D. Gualterius de Epernata.
Mag. Guido de Luignis, canonicus noviomensis.
Mag. Guilielmus de Castrocanino.
Mag. Guilielmus de Babeche filius quondam domini Henrici, cum aliis gallis.
Mag. Guilielmus de Boyaco.
D. Guilielmus de Argentina filius domini Reginaldi militis de Mavera.
D. Guilielmus de Matiscone, legum doctor, filius domini Hugonis de Bosco.
D. Guilielmus de Dapma filius domini Gerardi militis.
D. Guilielmus de Monte Andronis, doctor legum, xantonensis diocesis.
D. Guilielmus de Mandigoto, canonicus nemauxensis.
D. Guilielmus de Roriatis, prior sancte Marie de Armiliaco.
Mag. Henricus, canonicus sancti Thome de Argentina.
Mag. Henricus, canonicus sancti Thome arientinensis.
D. Henricus de Lavania, canonicus parisiensis.
D. Henricus de Lavania, canonicus bagliocensis.
D. Henricus de Marcarisiis, canonicus saliniensis.
D. Henricus de Flisco, canonicus parisiensis.
D. Henricus de Brayo, canonicus atrebatensis.
D. Henricus, legum doctor, canonicus atrebatensis.
D. Hugo de Mataplana, canonicus urgellensis.
D. Hugo Vignerii, canonicus santonensis.
D. Hugo dictus Res, canonicus metensis, filius domini Baldrini.
Mag. Jacobus Guiscardus.
D. Jacobus de Sorte, canonicus de Comarsego.
D. Jacobus de Camporellis, canonicus ylerdensis.
Mag. Johannes Girardelli.
Mag. Johannes, canonicus burgensis.
Mag. Johannes Martini, canonicus palentinus.
Mag. Johannes de Pontixia, doctor legum.

(1) An. *aurianensis*, vel *antianensis*.

(2) *Sic.*

D. Johannes, archidiaconus ganictiensis (1).
D. Johannes Gondisalvi, canonicus burgensis.
D. Johannes, archidiaconus polonus.
D. Johannes, prepositus sancti Laurentii, filius domini comitis Dionixii de Ungaria, canonicus strigoniensis.
Mag. Nicolaus, canonicus truorensis (2).
Mag. Nicolaus de Aterona, procurator.
D. Nicolaus de Malumbris.
Mag. Novatus, abbas sancti Quirici in ecclesia burgensi, Bononie mortuus.
D. Ordanius, sacrista burgensis.
D. Paulus, archidiaconus strigoniensis.
D. Percivallis de Lavania, Sedis apostolice subdiaconus et capellanus.
Mag. Petrus Alafredi quondam domini Girardi, prior de Homolacio.
D. Petrus Eximini, sacrista burdegalensis.
D. Petrus Lupati de Castronovo, tolosane diocesis, doctor legum.
D. Petrus de sancto Justo quondam domini Petri militis.
D. Petrus de Urbeveteri, decretorum doctor.
D. Petrus de Bearnia, xantonensis diocesis, decanus aconensis.
D. Petrus de Sampsone filius domini Guilielmi Falcardi.
D. Petrus de Morexio, prior de Lexignano.
D. Petrus, Dei gratia cancensis (3) episcopus.
D. Petrus Ladomeris, canonicus gerondensis.
D. Petrus Alafredi, rector ecclesie de Omelitia.
D. Petrus de Omola.
Mag. Philippus de Buseglio.
D. Philippus, canonicus sancte Marie de Vratislavia de Polonia.
D. Poricius de Urcio polonus.
D. Poricius de Urgio, canonicus gerondensis de Catalogna.
D. Poricius Gordani, prior vallis Jovine, filius domini Raymundi.
D. Raymundus Burlandi, canonicus magalonensis.
D. Raymundus Durbendi, canonicus maganonensis.
D. Raynerius de Pisis, canonicus duancensis.
D. Raynerius Vicecomes de Pisis, canonicus sancti Symphoriani remensis.
D. Raynulphus de Lend., filius domini Guilielmi militis.
D. Raynulphus de Brolio, engolimensis diocesis, cum aliis sex scholaribus gallis.
D. Robertus de Listeria.
D. Santus Petri, clericus cuntacensis.
D. Sclata filius domini Ubaldini de Mugello, canonicus aquilegensis.
Mag. Secardus de Valendinis.
Mag. Simon de Perlexio.
Vir venerabilis dominus Simon de Calamonte, doctor legum.
D. Simon de Brien., canonicus sancte Marie ebroycensis.
D. Simon de Morino, canonicus mesinensis.
D. Tedisius de Flisco, canonicus lambrinensis.
D. Thomaxius de Savigliejo, legum doctor.
D. Trajanus, canonicus pravensis, cum aliis polonis.
D. Ugo Benisensis pictaviensis.
D. Urbaxius, prepositus de Passega.

MCCLXXIII.

D. Aimericus Guillorti, auditor generalis in palatio Sedis apostolice.
Mag. Alanus de Multona anglicus.
D. Arnaldus de Rafelixia, canonicus ache[n]sis.
D. Arnaldus de Salustoris de Tribus Bonis, capellanus ecclesie de Villa, galliem. diocesis.
D. Alexander de Genestrena.
Mag. Arnoldus de Lingonis, canonicus noviomensis.
D. Alvarus Gomezy, archidiaconus de Caionen.
D. Beltrandus de Duroforti prior sancti Marzelli, diocesis magalensis.
D. Berengarius de Bociacis, archidiaconus biterensis.
D. Bernardus Mantes, canonicus sancti Anfrodisii.
D. Bernardus de Roca, legum doctor.
D. Bernardus Subaterii.
D. Bertoldus de Baxilele, legum doctor.
Mag. Berthuldus domini Rydulfi de Constantia.
D. Bertrandus Languselli, canonicus nemangensis.
D. Bertrandus de Durforti, canonicus magalonensis, abbas prior sancti Marcelli.
D. Bonifacius, canonicus forojuliensis.
D. Bonifacius Dalmatii, archidiaconus forojuliensis.
D. Christophorus de Tolomeis, prior sancte Marie de Solleano de Senis.

(1) An *ganicitensis.*
(2) An *turonensis.*
(3) An *gancensis.*

D. Conradus domini Tederici, canonicus osafuboriensis.
Mag. Dominicus, clericus de Ordoni.
D. Dracho, prior monasterii molisevensis.
D. Egidius de Ultramare de civitate Tripolitaceo.
D. Egidius de Lavania, sancti Gaurici Cameracensis thesaurarius, domini Pape capellanus.
D. Egidius Petri, canonicus plerdensis.
D. Elias frater domini Egidii de Lavania.
D. Elias de Plesehyo, canonicus belluacensis.
D. Enechus Petri, canonicus herdensis.
D. Ermingardus Olibe filius domini Ferrarii Olibe.
D. Fernandus Nicolai, canonicus ovetensis.
Mag. Garichus de Longavilla.
D. Garinus, canonicus sancti Dionysii leodiensis.
Mag. Gerardus de Montebaro.
Mag. Gerardus de Dorofante, ambianensis diocesis.
Mag. Gerardus de Tebraxio, canonicus lenajensis.
D. Gerardus de Cornazano de Parma.
D. Gerardus, canonicus tornacensis.
D. Gerardus de Bruntio, scholaris Bon.
D. Gerardus de Besentio, procurator domini Henrici de Glagris.
D. Gerardinus Johannis, canonicus agatensis.
D. Gifredus de Vicecomitibus placentinus, canonicus eboracensis.
D. Gondisalvus Roderici, canonicus burgensis.
D. Grimerius de Vicecomitibus placentinus, canonicus eboracensis.
Mag. Gualterius de Vacharia.
D. Guarnerius, canonicus brixiliensis.
Mag. Guido de Largnin, canonicus noviomensis.
D. Guido, canonicus de sancto Leone.
Mag. Guilielmus filius domini Guilielmi de Boyaco, senonensis diocesis.
D. Guilielmus de Bociaris, prior de Amiliaco.
D. Guilielmus de Bairxiaris, prior ecclesie de Melliano.
D. Guilielmus Rosetagni de Montepesulano.
D. Guilielmus Borcardi procurator venerabilis patris domini Elie, petragoricensis episcopi.
D. Guilielmus de Dopnio filius domini Gerardi de Dopnio.
D. Guilielmus de Argenteria, canonicus engolismensis.
D. Guilielmus de Monte Barulfi, legum doctor.
D. Guilielmus Thomasii, canonicus laudemensis.
D. Guilielmus Bocardi, clericus et procurator venerabilis patris domini peragoliensis episcopi.
Mag. Guilielmus de Boyaco.
D. Guilielmus de Dunch., canonicus nemausiensis.
D. Guilielmus de Mondogout, canonicus nemausiensis.
D. Guilielmus, dictus Zolis, rector ecclesie de Magnavilla, baiocensis diocesis.
D. Helias de Plessya, nepos magistri de la Tyra.
Mag. Henricus Hesta.
D. Henricus filius domini Azonis de Stochem., canonicus sancti Castoris in Confluentia.
D. Henricus, prior sancte Crispine, perusiensis diocesis.
D. Henricus canonicus metensis.
D. Henricus de Sastigho, canonicus metensis.
D. Henricus, rector ecclesie de Berpuido rivo.
D. Hermannus de Landeverch. filius domini Hermanni, constantientis diocesis.
D. Homobonus quondam domini Zambratii de Montefeltro.
D. Hugo de Nixo.
D. Hugo Vigerii canonicus santonensis.
D. Hugolinus Malaspina.
D. Jacobus quondam domini Raymundi, canonicus sistaricensis.
Mag. Johannes de Binstram anglicus.
Mag. Johannes de Calido Becho.
Mag. Johannes filius quondam domini Jacobini de Vincentia.
Mag. Johannes de Bervich, rector ecclesie de Beufa.
Mag. Johannes de Cheseco.
Mag. Johannes Trebia, rector ecclesie de Bulestrone (1), remensis diocesis.
D. Johannes Nigri de Montepesulano.
D. Johannes de Calido Becho, clericus baiocensis ecclesie.
D. Johannes de Talantia, archipresbiter de Monte Andronis, santonensis diocesis.
D. Lanfrancus de Ultramare de Antiochia.
D. Laurentius de Fisco, magalonensis diocesis.
Mag. Magnoardus quondam Aigerii, de comitatu florentino.
Mag. Marcoaldus, archidiaconus leodiensis.
Mag. Mauritius de Paleude filius domini Rodulfi.
Mag. Matheus filius domini Johannis Fabri de sancto Giseo.
D. Matheus de Bulaxis, rector ecclesie de Nertoner. de Scotia.

(1) An *Endestione.*

Mag. Michael de Champis scholasticus aiensis.
Mag. Michael Belet.
Mag. Nicolaus de Castellio, legum professor.
Mag. Oddo Bigatemon rothomagensis.
Fr. Oddo prior de Senis.
D. Opizus de Catonibus, canonicus sancti Martini turonensis.
D. Paulus nepos domini episcopi vesprinensis.
Mag. Petrus de Apulia.
Mag. Petrus de Schp̄h. procurator domini Simonis, abbatis sancte Marie eboracensis.
Mag. Petrus de Prura.
D. Petrus Bodocii, prior de Aniciano.
D. Petrus de Sanxone, canonicus nemausensis.
D. Petrus de Argenteria, filius domini Reginaldi.
Ven. pater Petrus, miseratione divina archiepiscopus corinthius.
D. Petrus Guarnerii, sacrista lodonensis.
D. Petrus Blancus de Lavania.
D. Petrus Onofrii filius domini Petri.
Mag. Philippus de Plessiaco filius domini Reginardi.
D. Philippus de Paxano, canonicus ecclesie anteradensis.
D. Philippus de Vicecomitibus, canonicus placentinus.
Mag. Pontius Armanni de Tolosa.
D. Raymundus Alfredi, canonicus belluacensis.
D. Raymundus de Columberiis, canonicus biterensis.
D. Raymundus Albani, prior Castri Veteris.
D. Raymundus Alfredus, capellanus domini Pape.
D. Raymundus de Parbando, sacrista magalonensis.
Mag. Raynaldus de Molanto.
D. Raynerius de Senis, doctor decretorum.
Mag. Rodulfus, rector ecclesie de valle Ligiar.
Mag. Reginaldus de Murleto.
D. Robertus de Kirkam, rector ecclesie s. . . . dumelianensis diocesis.
D. Robertus de Grislavia (1), doctor legum, filius domini Alisardei.
Mag. Robertus de Chrichia.
Mag. Rodulfus, dictus Gallexius, anglicus.
Mag. Rogerius de Leuriten., rector ecclesie de Wanfret., glaschuensis diocesis.
D. Rogerius Marmont, clericus.
D. Rogerius de Leomstrade (2), rector ecclesie de Branforte (3).
D. Rolandus Luperii de Parma, canonicus morivensis.
D. Rostagnus de Nortis.
D. Thedericus de Compignone, canonicus trevirensis.
D. Ubertinus filius Venati de Cortona.
D. Ulricus filius domini Ulrici, curiensis diocesis.
Mag. Wilielmus de Pathon procurator domini Wilielmi prioris et conventus de Karchelm, Ordinis sancti Augustini, eboracensis diocesis.

MCCLXXV.

D. Alanus Scotus de Castropuellarum.
D. Berengarius de Bociacis, archidiaconus biterrensis.
D. Bonifacius, archidiaconus forojuliensis.
D. Franciscus domini Alberti de Monsiverio.
D. Gerardus de Cornazano, rector.
D. Goffredus de Cumbis (4), doctor legum.
D. Guillielmus Raymundi de Frontiniaco.
D. Guillielmus de Mandagoto, canonicus nemausensis.
Mag. Jacobus de Arazo.
Mag. Johannes Bonabrocha de Aduacho.
D. Martinus Ortot.
Mag. Matheus de Luduno, doctor legum.
D. Nicolaus de Recha, rector.
D. Petrus de Aduacho.
D. Petrus de Trasone.
D. Petrus Resigliosi catellanus.
D. Philippus de Bosejo, rector.
D. Prior de Muliaco.
D. Raymundus de Altiniaco.
D. Raymundus ceven., doctor legum.
D. Rogerius, rector.
Mag. Rolandus de Parma.
D. Rostagnus de Trasone, canonicus parisiensis, legum doctor.
D. Rostagnus de Novis, precentor massiliensis.
D. Sanctus Mugnutius, filius quondam domini Egidii.
Mag. Simon domini Guillelmi Gofredi anglicus.
D. Simon domini Simonis de Murenser., spirensis diocesis.
Mag. Thomas, archidiaconus nomisensis.
D. Ugolinus Taberna, nepos magistri Rolandi de Parma.

(1) An *Iralarea.*
(2) *Lomstrade.*
(3) *Brayforte.*
(4) An *Cambis.*

MCCLXXVI.

D. Andreas de Languselli, canonicus narbonensis.
D. Arnerius filius domini Rodulfi, comitis de Triersten.
D. Araldus domini Petri . . . . .
D. Augerius domini Augerii de Surignaco.
D. Augerius de Sertignaco.
D. Bartholomeus, canonicus basiliensis.
D. Benvenutus.
D. Bereardus filius domini Bernardi Leonis.
D. Bernardus de Migiallo filius quondam domini Petri de Maureno.
D. Brocardus filius domini Brocardi de Salsa.
D. Dotelinus, canonicus basiliensis.
D. Durandus Frasinensis filius domini Petri.
D. Ermanus Rodulfi domini Comitis.
D. Ermengaldus filius quondam domini Ferrarii Olibe, olenensis diocesis.
D. Federicus de Tanis de Columbaria.
D. Grimerius de Vicecomitibus de Placentia.
D. Guarnerius de Pulcromonte, canonicus luceburgensis.
D. Guarnerius, canonicus lutomucensis, basiliensis diocesis.
D. Guidegarius filius domini Cavonis de Gerereste sipiriensis.
D. Guido Algiarde de Portogallia.
D. Guillelmus Rostagnus de Montepesulano quondam domini Rostagni.
D. Guillelmus Raymundi de Frontiniano filius domini Guillelmi Raymundi.
D. Guillelmus filius domini Bernardi Pagani.
D. Guillelmus de Frontiniano, legum doctor.
D. Henricus de Gaudexono, diocesis lausanensis.
D. Henricus, canonicus sancti Castoris in Confluen.
D. Harnoldus, canonicus sancte Trinitatis.
D. Johannes Bonfilius filius domini Gerardi de Lunaldo.
D. Johannes de Perusia.
D. Martinus Eximini de Turubia, cesaraugustensis diocesis.
Mag. Matthaeus de Ancona.
D. Mattheus Portonobilissimus.
D. Mattheus de Trambene, canonicus atreduvensis.
D. Maurandus filius domini Petri Maurandi, prior de Glascolis.
D. Morandus de Tolosa, decretorum doctor.
D. Opizo, canonicus sancti Martini Turonensis, filius domini Guidonis de Totogno, comitis Laoanie.
D. Petrus filius domini Legerii.
D. Petrus Bertrandi Valodi.
D. Petrus Mautelli.
D. Petrus de Pracis, barenemensis diocesis.
D. Petrus Blogeria, doctor decretorum, de Montepesulano, magalonensis diocesis.
D. Philippus, canonicus de Columbaria.
D. Poncius de Gerunda, legum doctor, filius domini Poncii de Govelon.
D. Raymundus domini Ferrarii, de burenensi diocesi.
D. Raymundus filius domini Bernardi Pagani.
D. Raynerius de Villamari filius domini Rugerii Yasarni.
Mag. Rodulphus de Vulvortano.
D. Rodulphus de Allamat.
D. Rodulphus de Guillirentona, rector ecclesie de Trivesto.
Mag. Rogerius de Robertis de Placentia.
D. Thomas, archipresbiter sancte Marie de Verona.
Mag. Venantius de Hoximo.
D. Ugundus domini Petri de Petrillia.
D. Ugolinus domini Rolandi, canonicus carnotensis.
D. Vitalis filius domini Arnaldi Raynerii, olenensis diocesis.
Mag. Zulianus de Fajaco, rotomagensis diocesis.

MCCLXXVII.

D. Aymericus, canonicus sancte ecclesie excampiensis.
Mag. Alanus, procurator domini Nicolai abbatis monaci ordinis sancti Augustini, diocesis sancti Andree de Scotia.
D. Alanus de Castro Puellarum scotus.
D. Alcuinus de Trimonia.
D. Arducius, canonicus Plebis Lavanie.
D. Arnaldus Pictavini, filius domini Petri Pictavini.
D. Augustinus de Lorengan., archidiaconus dubragensis.
D. Baldredus Johannis, nepos magistri Alani de Endigibin.
Mag. Bartholomeus quondam Luchitii de Podio Bonizi.
D. Berengarius Regis de Carcasona, filius domini Guillelmi Petri de Carcasona, legum doctor.
D. Berlengarius quondam domini Guillelmi Giberti de regno majoricano.

D. Blaxius canonicus segobriensis, nepos domini Episcopi segobriensis.
D. Dulfus de Dunde, canonicus glassonensis.
D. Franciscus de Maurezugo, canonicus sancti Gauzarici cameracensis.
R. Frenandus Varella, canonicus compostellanus.
D. Garsias Johannis, doctor decretorum.
D. Garsias Sebastiani, canonicus compostellanus.
D. Gerbertus frater domini Guillelmi Gerberti de regno majoricano.
D. Guarnerius de Bolandia, canonicus trevisensis.
D. Guillelmus Martini, monacus sancti Michaelis de Moxino.
D. Guillelmus Rostagni, provincialis de Montepesulano.
D. Henricus de Flisco, canonicus parixiensis, capellanus domini Pape.
D. Henricus de Strusting, prepositus palatio, canonicus trevirensis diocesis.
D. Henricus de Quota, canonicus sancti Castoris in Confluentia.
D. Hugolinus de Flisco.
D. Jacobus, plebanus Subriani, lucensis diocesis.
D. Jacobus plebanus de Cariliano.
Mag. Johannes de Meumans.
Mag. Johannes de Castrella.
D. Johannes de Voson.
D. Johannes Mathei, canonicus burgensis, doctor decretorum.
D. Johannes, clericus sancti Thome parmensis.
D. Johannes de Brayro, canonicus emilianus, nepos domini Guillelmi cardinalis.
D. Johannes de Canuto, canonicus sancti Martini cadidecsis.
D. Johannes, prepositus sacerdos de Boemia.
D. Landulfus Vulchani de Neapoli, doctor legum.
D. Marcus de Jonia filius domini Berengarii.
D. Martinus Ysincini.
D. Matheus Protonobilissimus (1).
D. Maurandus, canonicus tolosanus, et prior de Esbestolis.
D. Nicolaus, canonicus vicegradensis.
D. Nicolas de Regio, canonicus mutinensis.
D. Petrus Martini, monacus sancti Martini.
D. Petrus de Grada, monacus sancti Tibertii, agatensis diocesis.
D. Petrus Maurelli, legum doctor.
D. Petrus Calcoli, legum doctor.
D. Petrus de Saltu, canonicus compostellanus.
D. Princivalli de Lavania, domini Pape subdiaconus et capellanus.
Mag. Raymundus Pagani.
D. Raymundus de Cartulli, prior de Manso sanctarum Puellarum.
D. Ranucius plebanus, Castri Florentini rector.
D. Ulandus Dep. de Parma, canonicus mutinensis.
D. Tebaldus de Bergona de Parma, rector ecclesie sancte Zolite, guaturcensis diocesis.
D. Thedixius de Flisco, lavaniensis comes et licolinenesis canonicus.
D. Thylomanus de Monte Abure, canonicus ecclesie sancti Castoris in Confluentia.
Mag. Thomas de Loreto.
Mag. Venantius de Firmo.
D. Vitalis de sancto Barcio, legum doctor.
D. Zattigo . . . . ., rector ecclesie de Murensem, spirensis diocesis.

MCCLXXVIII.

Mag. Adam de Strabato.
D. Alamannus, canonicus tungrensis.
Mag. Alanus de Oldeourgo scotus.
D. Angelinus de Ubertis, cantor ecclesie ravennatis.
D. Albiinus, archidiaconus sancti Andree in Scotia.
Mag. Anselmus filius domini Tederici de Pergamo.
D. Baldigerus de Ibra.
D. Baldrico de Ypa.
D. Bernardus Baraci.
D. Bernardus Joannis, provincialis.
Mag. Bonacius, artis grammatice professor.
Mag. Bonifacius de Cremona.
Mag. Bonsignore.
D. Brancaleonus de Flisco, archidiaconus parmensis.
D. Coradus, prepositus vratislaviensis.
D. Coradus canonicus colombariensis.
D. Curtallus, monacus sancti Tiberii Tibii (2).
D. Dalmacius de Plicamanibus, canonicus barcellonensis.
D. Davixus de Triaze de Florentia.
D. Dominicus, canonicus pirensis.
D. Domitianus prepositus cracoviensis.
D. Eberardus, scholasticus baxiliensis.
Mag. Egidius quondam domini Petri de civitate pragensi de Boemia.

(1) *Sic.* Cfr. ann. MCCLXXVI.

(2) Forte *Tiburtii.*

D. Federicus de sancta Julia.
D. Fortonerius de Folchano, tolosanensis diocesis.
D. Franciscus de Fogliano, canonicus Regie Eracense.
Mag. Gaufredus Wet, filius domini Johannis Marte de sancto Lando (1).
D. Gerardus de Cornazanis de Parma.
D. Gerardus Cornazanus, canonicus tornacensis.
D. Gervasius de Anecada.
D. Guillelmus Formaglarius de Alba, doctor legum.
D. Guillielmus Marmionis.
D. Guillielmus Augizino.
D. Guillielmus Alasaldi filius domini Alasaldi de Aqualbella, neumasensis diocesis.
D. Guillelmus, notarius episcopi regini.
D. Guillelmus Major de Andegacecis, legum doctor.
Mag. Henricus Est.
Mag. Henricus . . . . ., canonicus nernatensis vormatensis.
Mag. Henricus Heste de Cadomo filius domini Nicoli.
D. Henricus de Flisco.
D. Henricus de Lesa.
D. Hermannus teutonicus, filius domini Vin. militis Pincerne, rector ecclesie burchensis.
Mag. Jacobinus filius domini Gerardi de Regio.
D. Jacobus Cantalli, mon. sancti Tiberii provincialis.
D. Ingramus comes de Florent.
D. Johannes Bonabrocha.
Mag. Johannes filius Salamonis de Brandelega.
Mag. Johannes de Chastrola.
Mag. Johannes, prepositus comissarius domini Incostay, filius domini Sobeslay, prepositus guesnensis, canonicus pragensis.
D. Johannes de Montefranceti, doctor legum.
D. Johannes Triguto.
D. Johannes de Monteframeti (2).
D. Johannes de Milone de Polon.
D. Johannes Mustacho, canonicus vratislaviensis.
D. Johannes de Guizemburgh., canonicus mermasensis (3).
D. Johannes de Brajo, nepos domini Guillielmi cardinalis.
Mag. Justus quondam domini Tritt. de Vulterris.
D. Martinus, canonicus magalonensis.
Mag. Mauritius de Palude, filius domini Rodulfi de Palude.
Mag. Merigius de Palude, filius domini Rodulfi.
Mag. Michael Beleti.
Mag. Michael de Villanova.
Mag. Michael filius magistri Ugolini de Vedriola, clericus sancti Petri de Motina (4).
Mag. Michael Belitus filius domini Ubertini.
D. Monte filius domini Guidonis comitis de Lavania.
Mag. Moxitius de Palude.
D. Nicolaus de Ascoli, prepositus.
D. Oberardus, scholasticus baxileensis.
Mag. Odibus de Milfavis, prior S. Priorati, uticensis diocesis.
D. Opizo de Lavan., canonicus turonensis.
D. Otavante de Florentia.
Mag. Petrus Johannes, cardinalis compostellanus.
D. Petrus de Gradia, monac. sancti Tiberii provincialis.
D. Petrus Bellegerii de Montepessulano, doctor legum.
D. Petrus prepositus magastinus.
D. Petrus canonicus bervuensis.
D. Philippus, canonicus colombariensis.
Mag. Raymundus Pagani.
D. Raymundus Canteli, prior de Mauso sororum puellarum.
D. Raymundus de Otimaco.
D. Raymundus de Muzolane, macglonensis diocesis.
D. Robertus de Brolio, filius domini Roberti.
D. Rodulphus Donedei.
D. Rolandus Lupus, canonicus marmalensis.
D. Stephanus de Roseriis.
D. Thedericus de Flixa, canonicus zincolensis.
Mag. Thomas Balduini de Bajoris.
D. Thomas de Scorlin., archidiac. vormiensis.
D. Filimanus de Monte Abur, canonicus sancti Castoris in Confluentia.
D. Ugolinus de Castello archipresbiter.
D. Ulcricus canonicus spirensis.
D. Yxanus Morlava, doctor decretorum.

MCCLXXIX.

D. Alminus de Cremaja, rector ecclesie beati Nicolai.
D. Andreas canonicus vratislaviensis.
D. Ardicionus de Yporegia, canonicus auriliacensis.

(1) An *Laudo*.
(2) *Sic*.
(3) Aut *vormatensis*.
(4) *Sic*.

D. Arnaldus de Marcha (1).
D. Arnaldus de Lagaudra.
D. Azolinus de Sesso canonicus reginus (2).
D. Beltrandus abbas de Fesara.
D. Berengarius de Teradis.
D. Berengerius de Codaleto.
D. Bertrandus, abbas de Pezaro, filius domini Guillielmi Raymundi.
D. Bernardus de Fogliano, prepositus Carpinete et canonicus reginus.
D. Bernardus de Montemellono.
D. Boncius, plebanus sancti Clerici.
D. Boninsegna de Certaldo.
D. Bota.
D. Cancinus de Vulterra.
Mag. Consiglius quondam Johannis Simonis.
D. Corradus plebanus de Cepparano de Oscul.
D. Corradus de Rochetta.
D. Corradus de Turre de Yporegia, decanus valeriensis in Ecclesia ledurensi.
D. Ermengaldus Aulive, doctor legum.
D. Federicus de sancta Julia.
Mag. Ferrus de Monte.
D. Fortunerius de Folgherio.
D. Fortunerius quondam Fortonerii de Fulgerio, diocesis tolex.
Mag. Fortis de Monte filius domini Su. . . . titi.
D. Franciscus de Fogliano, canonicus trecensis (3).
D. Garsias, scholasticus et canonicus compostellanus.
D. Garsias Johannes de Navaria, doctor decretorum.
D. Gerardus de Cornazano.
D. Gervasius de Englada.
Mag. Glifredus Baticulerius, archidiaconus belvacensis.
Mag. Guido filius magistri Gandulfi, clericus ecclesie de Poniponesca.
D. Guido de Valperga.
Mag. Guillelmus Vitalis.
D. Guillelmus de Monasteriis.
D. Guillelmus Gagliardi.
D. Henricus de Flisco, canonicus parisiensis.
D. Henricus de Quescu, canonicus s. Castoris.
D. Henricus de Fusiclo.
D. Henricus, canonicus arretinus.
D. Henricus de Quercu.
D. Henricus, canonicus bretinus.
D. Henricus de Guerra, plebanus in Guallerta.
D. Hugo de Aquisvivis, provincialis.
Mag. Jacobus, canonicus ecclesie de Citavora de Motina (4).
D. Jacobus de Lanfranchis de Pisis.
D. Jacobus de Boncio, doctor decretorum.
D. Jacobus Martialis filius domini Petri Martialis.
D. Johannes de Angoxa.
D. Johannes de Guicmburg., canonicus umatensis.
D. Johannes Alvajo, abbas faxaladensis in ecclesia palentina.
D. Johannes de Stufila, retor ecclesie in Ertof.
D. Johannes prepos. sacensis, natione bohemus.
D. Johannes de Penna, doctor legum.
D. Johannes de Guicimburgo.
D. Johannes Baton., rector ecclesie de Esteron., caturcensis diocesis.
D. Johannes de Guizimbor., canonicus sancti Stephani et canonicus vornoces.
D. Johannes de Bojaja nepos domini Guillelmi cardinalis, canonicus aurelianensis.
D. Johannes polonus, rector ecclesie de Silva epis.
D. Johannes, canonicus gormacensis.
D. Johannes quondam domini Hugonis de Nascia de Parma.
D. Johannes Vistrochena, anglicus.
D. Johannes de Guazebor, canon. guarmaziensis.
D. Isarnus Dorlane, canonicus carcassonensis.
D. Lambertus, plebanus de Guaregnana.
D. Natalis Raynerii.
D. Nicolaus de Maltris, canonicus lucensis.
D. Nicolaus de Maltrix, canonicus lucernensis (5).
Mag. Petrus de Hoa.
D. Petrus Martini, canonicus compostellanus.
D. Petrus Martini, monacus sancti Martini.
D. Petrus, canonicus berunensis.
D. Petrus de Saltu, rector ecclesie de Avirello.
D. Philippus, canonicus sancti Andree guarmaciensis (6).
D. Raymundus de Minorixa.
Di Raymundus Carici, canonicus ecclesiae carcassonensis.
D. Raymundus de Lemcheriis.
D. Raymundus Pagani.
D. Raymundus, prior de Manso (7) sanct. Puellarum, tolosensis diocesis.
D. Remigius de Remis doctor legum.
D. Robertus de Scotia, nepos domini Roberti tesorerii guesnensis.

(1) Al. *de Lumacha.*
(2 et 3) L. *regensis.*
(4 et 5) *Sic.*
(6) An *gemacensis.*
(7) *Sic.*

D. Rodericus Martiui, canonicus ecclesie tutellane.
Mag. Rodulphus de Basilea.
D. Rodulphus Legozo, canonicus dolenxis.
D. Rolandus de Altomonte.
D. Rolandus Zantonarii, archidiaconus dolenxis.
D. Rogerius Catena de Tornaco.
D. Rostagnus de sancto Genexio.
D. Spinellus, plebanus de Fesigareto.
Mag. Stephanus de Torxiaco.
D. Stephanus de Palma.
Mag. Thederixius de Fischo, lavaniensis et lincolinensis canonicus.
D. Thomax de Baxilea, plebanus ecclesie de Fasicem.
D. Thomax de Firecho, rector ecclesie in Cusnac.
D. Thomax, canonicus norvicensis.
D. Thuximannus, plebanus de Brandilio.
D. Ubaldus de Interminellis de Luca.
Mag. Venantius de Osimo.
D. Vitus filius domini comitis Butinoy.
D. Ulricus, canonicus spiolensis.
D. Zifredus de Pecorario de Placentia, canonicus tornacensis.

MCCLXXX.

D. Albricus domini Guidonis de Medicina, cardinalis ravennatis Ecclesie.
D. Anbrardus de Arifato et dominus Arnaldus Subirani, fratres, filii domini Bernardi Subirani militis albiensis diocesis.
D. Andreas de Polonia, canonicus mesnemensis, filius domini Bonamini militis de Polonia Magna.
D. Anselmus de Curte, doctor fixice.
D. Beltrandus Beltrandi de Anaxia.
D. Bernardus de Foliano, prepositus de Carpeneta, canonicus sancte Crucis aurelianensis et sancti Martini turonensis.
D. Gerardus de Cornazano, canonicus tornacensis.
D. Giraldus de Abalata, canonicus valentinensis.
Mag. Guido de Puliaco.
D. Guillielmus, rector ecclesie Nove Baxilee de Marxilia clericus.
D. Henricus de Stricput.
D. Hugo, canonicus sancti Guidonis spirensis.
Mag. Johannes de Glatron.
D. Johannes de Canuto, canonicus sancti Martini de Canda, turonensis diocesis.
D. Johannes de Beruhic, rector ecclesie de Reusin. de Scotia.
D. Johannes de Clentat, anglicus.
D. Jordanus, canonicus beate Marie Virginis de Stampis, filius domini Futii.
D. Marchus Michaelis, prior de Leraga, pampilonensis diocesis.
D. Michael Garsie, portionarius Placentie in Hispania.
Mag. Nicola Arculanus de Roma.
D. Othavante de Florentia.
D. Octobonus de Plaxentia, canonicus sve. sirnensis.
D. Petrus Raymundi de Perpigniano.
D. Petrus de Nixia.
D. Philippus, canonicus sancti Andree Garmuzensis.
D. Pontius Causini.
D. Raymundus Garici, canonicus carcassonensis.
D. Raymundus de Brilonia.
D. Raymundus de Lomberiis, rector ecclesie de Castris.
D. Richardus de Guincham, anglicus.
D. Robertus de Pontixera, canonicus sancti Quintini.
Mag. Rodulphus, rector ecclesie de Arlunghi.
D. Rolandus de Bearnia, archidiaconus dolensis.
D. Thaddius, prepositus foropompiliensis.
D. Ubaldinus filius Gozi Corbizi de Florentia.
D Ulricus, canonicus spirensis.

MCCLXXXI.

D. Acatus Aucati.
D. Adam de Landio de Atrablato.
Mag. Alanus de Castro Puellarum, clericus sancti Andree dioc. in Scotia.
D. Albrardus de Arifato.
D. Alvarus, abbas fusalensis in ecclesia palentina.
D. Alnardus de Petrillia.
D. Balduinus, custos senogrensis cameracensis diocesis.
D. Bernardus Aucati.
D. Bertrandus abbas de Percano.
D. Bonifacius de Vicecomitibus.
D. Bonifacius Visconte.
D. Condelous, canonicus legionensis.
Mag. Consiglius de Mantelica (1).
Mag. Consiglius de Camerino.
D. Coradinus de Corvigia.
Mag. Edmundus de Guarinfelt, anglicus.

(1) *Sic.*

D. Egidius de Fisco, thesaur. S. Gauferin. cameracensis.
D. Egidius de Foscardis, doctor decretorum.
D. Euchitus Cateluxii.
Mag. Fortis de Monte, filius domini Singriti de Monte, doctor legum.
Mag. Franciscus Gregus, canonicus parmensis.
D. Gerardus de Cornazano, canonicus tornacensis.
D. Gerardus de Aboleto, canonicus valentinensis.
D. Geonardus, canonicus cesenatensis.
D. Gifredus, archidiaconus beluacensis.
D. Gufredus de Pecuraria de Placentia, canonicus turnacensis.
Mag. Guido de Phaco, filius domini Petri.
Mag. Guillelmus Vitalis Bardegalen.
D. Guillelmus de Tambatra frater domini Bosi.
D. Guillelmus Raymundi filius domini Petri Raymundi militis de sancto Quintino.
D. Guillelmus de Monasteriis, canonicus rencensis.
D. Guillelmus de Monasteriis, canonicus remensis et laudonensis.
D. Helias, canonicus zamorensis.
Mag. Henricus Sangler., canonicus utinensis.
D. Henricus, canonicus pataviensis.
D. Henricus de Flisco, canonicus parisiensis.
D. Henricus de Verduno.
D. Hervens de Trembeta Scotus.
Mag. Hervi filius domini Gregorii electus curtenensis, et canonicus ecclesie sancti Andree de Scotia.
Mag. Hugo Sangler, canonicus carnotensis.
D. Huguccio, plebanus Castiglionis Castri rect.
D. Jacobus Martialis.
D. Jacobus filius domini Guarnecii, canonicus darmaciensis.
D. Johannes de Altomonte.
D. Johannes de Broglio, canonicus aurivialensis.
D. Johannes filius quondam domini Roberti de Bucimler de Francia.
D. Johannes de Guizimburgo quondam domini Genidii, canonicus umaciensis.
D. Johannes Alvari, Castri Arnetini rector.
D. Johannes Alvari, abbas fusabensis.
D. Johannes de Canuto, canonicus beati Martini de Landa.
D. Manoellus de sancta Julia.
D. Marchisinus clericus et canonicus ecclesie sancti Stephani in Pane, curator ipsorum.
D. Martinus hispanus.
Mag. Michael de Domde Scotus.
D. Michael Garsie, porcionarius placentinus.
D. Natalis Rainerii de Perpiniano, legum doctor.
D. Nicolaus domini Tigrini de Luca.
D. Odilo de Minzonis.
D. Opizus de Castello, doctor decretorum, canonicus tornacensis.
D. Ottobonus de Placentia, canonicus suessionensis.
D. Palmerius, clericus vicarius ecclesie flexulane (1).
D. Petrus de Mata filius domini Raymundi.
D. Petrus Boneti doctor decretorum.
D. Petrus Guillelmi de Mirabello.
D. Petrus de Saltu, rector ecclesie de Guibelle.
D. Petrus de Saltu, rector ecclesie beate Marie de Avitella (2).
D. Philippus quondam domini Jacobi, canonicus sancti Andree guarnaciensis.
D. Pontius de Villamun.
D. Raymundus de Rufiaco, archidiaconus sancti Seneni in ecclesia quaturcensi.
D. Raymundus de Duroforti.
D. Rolandinus de Acarixiis, faventinus canonicus ac etiam romanensis.
D. Teditius de Fisco.
D. Tedixius de Maloxellis.
D. Thedixius de Flisco.
D. Zavarixius domini Ubaldi de Anteminellis de Luca.

MCCLXXXII.

Mag. Adam de Lendio (3).
Mag. Adam de Laudio (4) de Abrebato, filius domini Simonis.
Mag. Adam de Soliol scotus.
Mag. Aymericus dictus Sangleni, canonicus remengensis.
Mag. Alanus de Aldriche.
D. Almericus Garsie, abbas sancti Michaelis.
D. Arnaldus Bernardi.
D. Arnaldus Morini.
D. Auliverius, canonicus clandatensis.
D. Beltrandus Elovrengarii, prior de Amixano.
D. Bertrandus filius domini Guillielmi Raymand de Bregava, abbas de Pessano in Vascovia, auxitane diocesis.
D. Bertrandus de Saltu.

(1) *Sic.*
(2) An *Civitella.*
(3) An *Leodio.*
(4) *Sic.*

D. Boneus de Talamia.
Fr. Bonifacius, abbas sancti Martini de Pollonia.
D. Bonifacius, qui dicitur Bonuslaus, nepos domini Episcopi vratislaviensis.
D. Consalvus Roderici.
D. Consalvus, cantor salmantinus.
D. Coradus de Wandenbarch.
D. Elias de Turo, canonicus lancorensis.
D. Erchembaldus, canonicus sancti Petri de Maguntia, filius domini Gotifredi.
D. Fernandus abbas de Alfaro.
D. Fernandus Martini, canonicus bracharensis.
D. Franciscus de Caverzago, canonicus sancti Gaugerici cameracensis.
D. Gabriel de Sora genuensis.
D. Gaisardus de Scuris.
D. Galluxius domini Johannis de Vercellis.
D Garsias Petri.
D. Gerardus de Plotche, canonicus sancti Sebastiani madeburgensis.
D. Gerardus filius domini Jacobi de Pegoraria de Placentia, canonicus furnensis.
Mag. Giffredus Bartivellarius, prepositus Normandie in Ecclesia carnotensi.
D. Glisalbinus de Pulcrofonte.
D. Glurandus de Plothe, canonicus sancti Fabiani et Sebastiani in Caydeborgh.
D. Gondisalvus Zoderici, canonicus leridensis.
D. Gonsalvus Roderici, canonicus salmantinus.
D. Guillelmus, thesaurarius teraconensis.
Mag. Guillelmus, canonicus remensis.
Mag. Guillelmus Vitali.
D. Guillelmus de Monasteriis, canonicus leucensis (1).
D. Guillelmus de Talamia frater domini Bonei.
D. Henricus comes de Lavania.
D. Henricus Sanglerii, canonicus remensis.
D. Hildebrandus, canonicus hoenborgh., plebanus in Pleteche, avelburgensis diocesis.
Mag. Hugo Sanglerii, canonicus remensis.
Mag. Johannes de Rivalta de Regio.
D. Johannes de Rovereto, presbiter et capellanus reverendi patris domini Episcopi cellamerensis.
D. Johannes de Bervuych, rector ecclesie de Reynefra de Scotia.
D. Johannes Bonabroze doctor legum.
D. Johannes de Altomonte.
D. Leonardus, canonicus cesenatensis.
D. Lutoldus, rector ecclesie in Buoria.
D. Manfredus de Mirollio, canonicus urgellensis et prior Panzani.
D. Martinus hispanus, doctor decretorum.
D. Martinus Ysimini de Turolio, cesaraugustensis diocesis.
D. Martinus filius domini Egidii de Seminis, rector ecclesie de Cuba, cesaraugustensis diocesis.
D. Mattheus de Boyseria, canonicus novimensis.
D. Otto de Revenbergh.
D. Octobonus de Placentia, rector.
D. Opizus de Guallandis.
D. Petrus Muta de Carcassona.
D. Petrus pallentinus.
Fr. Philippinus de Verallis, prior conventus faventini Ordinis predicatorum.
D. Prepositus tragetensis.
D. Raymundus de Mortia.
D. Raymundus de Muroforti.
D. Rolandus Lupus, canonicus morinensis.
D. Savanixius, archipresbiter Montis Alcini.
Mag. Simon de Lixorio.
D. Taldus canonicus sancte Malgarite de episcopatu Fixoli.
D. Ubertus spirensis filius domini Caroli.
D. Ugolinus, canonicus Cesene.
D. Vitus dictus Copasino de Polonia.
D. Urlicus, canonicus spirensis, filius d. Caroli.

MCCLXXXIII.

Mag. Adam de Landro.
D. Adam vicarius salincherichensis de Scotia, frater Episcopi catamensis.
D. Adam de Laudo de Atrebatto.
D. Almoravius Garsie.
D. Amatus Armati.
D. Amblardus de Arifato.
Mag. Andreas Megliosati de Firmo.
D. Andreas Subirani provin.
D. Angelus de Roma.
D. Angelus Mazolarii de Roma.
D. Armannus de Exeborgo.
D. Arnaldus Subirani.
D. Arnaldus Carbonelli, quaturcensis diocesis.
D. Artobonus Raynaldi de Plaxentia.
Fr. Antonius de sancta Caterina de Mutina.
D. Bartholomeus de Labro Alviano de Mantua.
D. Beltrame quondam Maurini de Caliaco, diocesis Albe.
D. Benvenutus archipresbiter sancti Johannis de Pistoris.
D. Bernardus de Foliano, canonicus sancte Crucis aurelianensis.

(1) An *laudunensis*.

D. Bernardus nepos domini Bardi camarlingi domini Pape.
D. Bernardus Bonaventure, proc.
D. Bernardus Amati.
D. Bertholdus de Stainc.
D. Bertholdus fratris Henrici.
D. Bertrandus, abbas de Pesaro.
D. Bertrandus Eillati, canonicus aniziensis.
D. Bertrandus de Guardiis.
D. Bertrandus de Salva.
D. Bertrandus Ermenegaldi, monacus fasalmadiensis.
D. Blanconus, canonicus ecclesie de Ganareto.
D. Bonacursus de Lanfranchis de Pisa.
D. Bonifacius domini Rustici de Vulterris.
D. Boxo de Tallantia.
D. Cabrinus de Florentia.
D. Castrancius de Lacha.
D. Conradus, rector ecclesie in Balgavve.
D. Eberardus scholasticus basiliensis.
D. Elias de Tauro.
D. Federicus de Camajoro, lucanensis diocesis.
D. Fernandus Martini.
D. Fortonerius de Folcaria, archipresbiter de Fossareto, diocesis telanensis.
D. Fortonerius de Fosgeriis.
D. Franciscus Martini.
D. Franciscus Badati de Nicxia.
Mag. Gajardus de Scura.
D. Garsias Periti.
Mag. Gaufredus de Bato.
Mag. Gaufredus Buticularius, prepositus Normandie in ecclesia carnotensi.
D. Geraldus de Albolato, canon. valentinensis.
D. Gerardus, mansionarius ecclesie niciensis.
D. Gentilis de Camerino, canonicus cāmerinensis.
Mag. Gifredus de Placentia.
D. Gifredus Buticularius, prepositus Normandie.
D. Gonsalvus Roderici.
D. Guelfus de Castello.
D. Guido de Baixio, canonicus reginensis, doctor decretorum.
Mag. Guillielmus de Taynarie scotus.
Mag. Guillelmus de Boreno.
Mag. Guillelmus de Compendio.
Mag. Guillelmus de Tillalla.
D. Guillelmus de Fonavino, canonicus ventinensis.
D. Guillelmus de Romariane, canonicus valentinensis.
D. Guillelmus frater Boxi de Tallantia.
D. Guillelmus de Castello, qui dicitur Consalvus.
D. Guillelmus de Monasteriis, canonicus remensis et laudanensis.
D. Guillelmus qui dicitur Engelbertus de Grasso.
D. Guillelmus de Cornubia.
D. Guillelmus de Jeseriis.
D. Guillelmus de Monasteriis, rector.
D. Haunoldus, canonicus batebazensis.
D. Henricus de Synou, constantiensis diocesis.
D. Henricus de Labro.
Mag. Hugo, medicus de Anglia.
Mag. Hugo de Sunc de Turonis.
D. Hugo de Verdeliago.
D. Hugolinus filius quondam Alberici de Monte Azarico.
D. Hugolinus, canonicus laudunensis.
D. Jacob de Lanfranchis de Pisis.
D. Jacobus de Cavalcantibus, canonicus florentinus.
D. Jacobus de Alballato, sacrista valentinensis.
D. Johannes Anibaldi, canonicus furnensis.
D. Johannes dictus Camerar., filius domini Corradi.
D. Johannes de Brozia, prepositus Calastrie in ecclesia sancti Martini turonensis.
D. Johannes de Baxilea.
D. Johannes filius domini Guillelmi medici.
D. Johannes de sancto Ancarino.
D. Johannes camerarius de Basilea.
D. Johannes de Valperga.
D. Johannes Frenandi, compostellanus.
D. Johannes Anibalus, canonicus furnensis.
D. Johannes de Thocchi, filius quondam Andree de Thocea de Roma.
D. Johannes de Scotia, canonicus glasguenensis.
Mag. Johannes de Furtis.
Mag. Johannes de Careriis.
Mag. Johannes de Capolina.
Mag. Johannes Venantii de Osimo.
D. Manuellus de sancta Julia.
D. Manfredus de Merolino, canon. urgellensis.
D. Manfredus de Mellorio, prior Panzani.
Mag. Marsilius de sancto Constantino.
D. Mosca de Gerraldo.
D. Natalis Natalis.
Mag. Nicolaus de Alviano mantuanus.
D. Oddo de Borgondia.
D. Octobonus de Placentia, canonicus suessionensis.
D. Octobonus de Placentia, rector.
Mag. Otto Marsilius de sancto Constantino.
D. Paulus de Cadesaga.
D. Petrus de Piperita.
D. Petrus Matta de Carchasona.
D. Petrus Pauli de Nitia.
D. Petrus de Piperno, canonicus suessionensis, cardinalis.

D. Petrus de Piperno, canonicus sancte Marie de Vineis.
D. Petrus de Brusis.
D. Petrus Catellanus provincialis.
Ven. vir dominus Ponzius de Vilomaro, prior de Echeleis, abbas sancti Antolini apamiarum, tolosane diocesis.
D. Raymundus de Aramona.
D. Raymundus de Marauta.
D. Raymundus Fredoli.
D. Raynaldus Carici, prepositus de Talabuso in ecclesia carcasonensi.
D. Raynaldus de Fabriano.
D. Raynerius, plebanus s. Luc. . . . de Pisis.
D. Raynerius, canonicus pisanus.
D. Raynerius Barchi de Luca.
D. Raynerius de Viterbio, canonicus pisanus.
D. Raynerius de Horto, prepositus Clavassi et canonicus leodiensis.
D. Richoldus de Staine.
Mag. Robertus de Pontisera.
Mag. Rodulphus, sacrista ecclesie guarmaciensis.
Mag. Rodulphus Renuardi.
D. Rodulphus Buticularius, prepositus Normandie.
D. Rodulphus de Donodei.
D. Rodulphus, rector ecclesie in Arcingle.
D. Sacrista baritalensis (1).
D. Stephanus Annals de Capite ferino.
D. Stephanus Pileoti de Nitra.
D. Stephanus Orioli de Capitestagno.
Mag. Thebaldus de Reomo, lingonensis diocesis.
D. Thomas Balduini synd., natione burgundus.
D. Thomas de Vico Pisano.
D. Tigrinus, archipresbiter collensis.
D. Toncius Johannis de sancto Genexio.
D. Ubertus de Cionato, canonicus belluacensis.
D. Vericionus, plebanus de Castigliono.
D. Ugolinus, canonicus Laudumensis.
D. Vivassai quondam domini Jacobini de Viscontibus.
D. Ulricus, rector ecclesie in Sugeonaris Wald.
D. Yseulardus de Pecoraria, canonicus remensis.

MCCLXXXIV.

D. Almoranus Garsie, rector ecclesie sancte Marie de Alfaro.
D. Arnaldus Gomezii.
Mag. Bernardus de Testa.
D. Brocardus, rector ecclesie in Sarmen. Scorf., constantiensis diocesis.
D. Deodatus de Bozvatis.
D. Eberardus, scholasticus basileensis.
D. Elias de Tauro, canonicus zamorensis.
D. Frenandus Martini, canonicus bracarensis.
D. Gentilis de Casulis.
Mag. Gerardus de Firmo.
D. Gerardus Imberti, canonicus reginus.
D. Gondesalvus Roderici, canonicus salamantinus.
Mag. Guido de Pisis, doctor medicine.
Fr. Guillielmus de Gerunta, cellerarius monasterii sancti Michaelis de Pexano, ausitane diocesis.
D. Guillielmus de Castris, filius domini Gondesalvi.
D. Guillielmus de Testa.
D. Guillielmus de Fossa filius domini Pagani.
D. Guillielmus de Oppedio.
D. Guiraldus Umberti.
D. Guiraldus Guiroaldi.
D. Hugolinus, archipresbiter de Urbe Veteri.
D. Jacobus de Albolata, sacrista valentinus.
D. Jacobus Duzzi de Campania.
Mag. Johannes de Brustis.
D. Johannes Deotalevi comitatus Firmi.
D. Johannes de Reclesis, canonicus cadomensis.
D. Johannes, canonicus ecclesie glusganensis de Scotia.
D. Johannes de Glava.
D. Lutoldus de Henear, rector ecclesie de Bola.
D. Marchoaldus de Rada.
D. Nicola de Maroforti clericus domini Johannis de Bervic de Scotia.
D. Nicolaus Cille, canonicus atrabatensis.
D. Odericus Enrici de Alamania.
D. Petrus de Trischis, canonicus uticensis.
D. Petrus de Gurabello.
D. Petrus Johannes, doctor legum.
D. Petrus domini Bonaventure quondam Jacobi quondam Bonaventure de Roma.
D. Raymundus de Aramone, canonicus magalonensis.
D. Raymundus de Morana, preceptor valentinensis.
D. Rinaldus Gomezii.
Mag. Rodulphus de Basilea, rector ecclesie de Hinercinghen.
D. Sicardus domini Johannis Gechano.
D. Sorlionus de Flisco.
D. Stephanus Orioli, provincialis.
Mag. Thomax Balduini de Bajoris.

(1) An *balnealensis*.

MCCLXXXV.

D. Aimerius, canonicus remensis.
D. Albertus, abbas sancti Jacobi de Senis.
D. Andreas de Reate.
D. Amblardus de Rifata.
D. Angelus de Tibare, canonicus tiburtinensis.
D. Arnaldus domini Arnaldi vascol.
D. Balduinus Boni de Cistarm.
D. Bartholdus, archidiaconus vratislaviensis.
D. Berengarius de Amenager., canonicus magalonensis.
D. Bernardus Fabri, tolosanus.
D. Bertrandus Rufi.
D. Bertrandus, abbas de Rossano pessaur.
D. Bertrandus Ermengaldi, prior de Muniano.
Mag. Bonastrena de sancto Miniate, professor grammatice.
D. Costantinus quondam magister Johannis de Montepulciano.
D. Deodatus de Bocazis, canonicus bihersensis.
D. Domitianus, canonicus wratislaviensis.
D. Franciscus domini Boyzelli de Arretio.
D. Fortunerius quondam domini Fortunerii de Falcajo.
D. Guadagniscus de Arretio filius domini Guadagni.
D. Gualterius de sancto Galeo.
D. Gerardus Hugolini de Spoleto.
Mag. Giffredus, prepositus Normandie.
Mag. Guido de Grefiaco.
Mag. Guillielmus de Scafusa.
D. Guillielmus domini Arnaldi Puzoli.
D. Guillielmus de Tesenis, archidiaconus poscheriensis.
Fr. Henricus, episcopus tridentinus.
D. Henricus de Frinderg., rector ecclesie remissen.
D. Hugo de la Scala, canonicus nemausensis.
D. Hugo comes de' Monforti, rector ecclesie in Guang.
Mag. Johannes de Benevento.
D. Johannes de Lerona, prepositus Calestrie.
D. Johannes de Montelauro, canonicus magalonensis.
D. Johannes de Canuto, canonicus sancti Martini candatensis.
D. Johannes de Anibaldis de Roma, canonicus furnensis.
D. Isinardus Bonifacii, canonicus crociensis.
D. Mattheus de Luduno, doctor legum.
Mag. Michael de Donodei, scotus.
D. Monaldescus de Jonixio, canonicus sarisberiensis.
Mag. Pelegrinus de Luca, medicus.
D. Petrus Maurelli.
D. Petrus Capezus, canonicus catelanensis, filius domini Angeli.
D. Petrus Johannes, canonicus compostellanus.
D. Petrus de Altomonte.
D. Petrus de Piperno, canonicus suessionensis.
D. Petrus Lamberti, canonicus narbonensis.
D. Poncius de Villamuri.
D. Raymundus de Minorissa.
D. Raymundus Alberti.
D. Raynaldus de Verdelievo, canonicus laudunensis.
D. Rodulphus de Basilea.
D. Sinibaldus de Labro.
D. Sorlionus quondam domini Hugolini de Flisco, canonicus bargensis.
Mag. Stephanus de Polonia.
D. Thomasinus de Romanis, nepos cardinalis Ostiensis.

MCCLXXXVI.

D. Abbas Jacobi de Spoleto.
D. Alanus de Cripingth, anglus.
D. Albertus de sancto Miniato.
Mag. Aimericus Sanglerii, canonicus remensis.
Mag. Aimericus Sevelerii, canonicus furnensis.
D. Aymo de Bleviacho, burgundus.
D. Andreas Rafina de Montepessulano.
D. Angelus domini Johannis Henrici de Camerino.
D. Arnaldus de Salicata.
D. Arriverius de Boparda.
D. Bandinus de Luca.
Mag. Barnabè quondam domini Rolandi Alde Marchia (1).
D. Bartholomeus domini Thebaldi.
D. Beltrandus, abbas de Pescario.
D. Berardus Scacabararii de Mediolano (2).
D. Berlingerius de Conebazia, canonicus magalonensis.
D. Bernardinus de Fogliano.
D. Bernardus Fabri.
D. Bernardus do Montemelono, filius domini Raymondi.
D. Bernardus de sancto Quintino, capellanus domini Pape.

(1) *Sic.*

(2) An *Scacabarocii?*

D. Bernardus de Ruterio, canonicus sancti Saturnini.
D. Bernardus Deliciosi.
D. Bernardus magistri de Ecclesiolis.
D. Bernardus domini Bernardi Guillielmi de Eccles[iolis].
D. Bernardus domini Landulphi Carazoli de Neapoli.
Mag. Bertholdus, canonicus laudonensis.
D. Bertrandus, abbas de Pexano.
D. Bertrandus de Guardis.
D. Bertrandus Maleti de Guacho.
D. Bertrandus de Luperiis.
D. Bertrandus Barani de Capitestagno.
D. Bertrandus Ermingaldi, monachus salmodiensis.
D. Bindus de sancto Miniato.
D. Bologninus de Mediolano.
D. Bonifacius de Gallo, canonicus salonitan.
D. Bonifacius quondam domini Appolli de Casalasco.
D. Bonifacius de Cochonato.
D. Bonifacius, canonicus salernitanus.
D. Bonus domini Ardinghi de Florentia.
D. Boxo de Talancia.
Mag. Butus Tasoni de Urbeveteri.
D. Conselmus, prior de Mari, arelatensis.
D. Deodatus de Boziacis, canonicus biterrensis.
D. Dominicus Consalvi, prior sancte Marie de Ventosa.
D. Egidius Noveleus.
D. Facius de Calli filius domini Viteliani.
D. Federicus de Camajore.
D. Fortunerius de Fulgherio.
Mag. Franciscus magistri Matthei de Camerino.
D. Franciscus domini Sassolini.
D. Franciscus Tirimalli de Alexandria.
D. Franciscus quondam domini Hugonis de Flisco, canonicus catelonensis.
D. Gabriel de Senis domini Tolomei.
D. Gardus de Camuliano de Pisis.
D. Gattarius de Gattariis.
D. Gaufredus Buticularius.
D. Gentilis de Camerino.
D. Gentilis domini Thomasini de s. Lopidio.
D. Gerardus de Pecoraria, canonicus farnensis.
D. Gerardus de Cornazano.
D. Gerardus de Sexo, canonicus reginensis.
D. Goffredus Rosel, rector ecclesie de Toni.
D. Golforandus, rector ecclesie in Welfen.
Mag. Gualfredus Regol, anglus.
D. Gualterius de Polonia.
Mag. Guido de Plaliaco, canonicus bilvanectensis.
Mag. Guido de Crociacho, canonicus s. Quintini.
Mag. Guido de Ptaliaco, canonicus selvanetensis (1).
D. Guido de Blandrato, astensis.
D. Guido Recuperi.
D. Guido Argentolio.
D. Guido domini Attonis de Camerino.
Mag. Guillelmus de Compendio.
Mag. Guillelmus Benincase de Tuscanella.
D. Guillelmus de Romanino, canonicus valent.
D. Guillelmus de Mararia.
D. Guillelmus Moltoni de' Toloni, provinc.
D. Guillelmus Isinardi.
D. Guillelmus de sancto Donato.
D. Guillelmus Vitalis.
D. Guillelmus de Scaltra.
D. Guillelmus Arnaldi de Puzole.
D. Guillelmus de Toxoliis, archidiaconus roschenensis.
D. Guillelmus de Talantia.
D. Guillelmus de' Monasteriis, remensis laudanensis pontesarensis canonicus.
D. Guiraldus Imberti de Nemoaso.
D. Guiraldus Guirhoaldi.
D. Henricus, prepositus auxiensis ecclesie.
D. Henricus de Flisco, canonicus parixiensis.
D. Henricus de Cornutia, canon. liceseldensis.
D. Henricus de Wirburg., rector ecclesie becinghensis.
D. Henricus de Placentia.
D. Henricus de Bellino.
D. Herraxius do Engleda.
D. Honestius, canonicus s. Prosperi de Regio.
Mag. Hugo medicus, qui fuit de Anglia.
D. Hugo de Camburato.
D. Hugo comes Silvester, canonicus moguntinus.
D. Hugo comes de Monteforti.
D. Hugolinus, prior hospitalis de Arimano.
D. Hugucio, plebanus Castiglionis arretini.
D. Huguitio de Assiria.
D. Jacobinus domini Lachanae de Janua.
Mag. Jacobus Carnutus de Bearnia.
Mag. Jacobus Botonia atrebatensis.
D. Jacobus de Cavalcantibus.
D. Jacobus de Belcampo anglus.
Mag. Johannes de Manso de Aqualbella.
Mag. Johannes de Reolasis, canonicus sancti Sepulchri cadoniensis.
D. Johannes Durchet., anglus, rector ecclesie Redem. Ancol. Vin.
D. Johannes de Glana.

(1) *Sic.*

D. Johannes Hermandi, canonicus carpentoractensis.
D. Johannes de Brocia, prepositus Calestrie, doctor legum.
D. Johannes de Forlivio.
D. Johannes de sancto Guillielmo.
D. Johannes Marci.
D. Johannes de Benton.
D. Johannes de Romaxio, rector ecclesie sancte Crucis.
D. Johannes Arnaldi de Assisio.
D. Lambertus de Clermonte.
Mag. Landulphus, domini Pape subdiaconus et capellanus.
D. Landus de Senis.
D. Leonardus domini Richardi.
D. Masius de Pisis.
D. Mattheus de Busaria, canonicus noviomensis.
D. Mattheus Carazzolus de Neapoli.
D. Mattheus, canonicus andegavensis.
D. Merolinus domini Actonis de Camerino.
Mag. Meni de Prato.
D. Monte de Massa Trabaria.
D. Obertus de Coconato, canonicus belluacensis.
D. Octobonus de Placentia, canonicus suessionensis.
D. Oddo cardinalis, filius domini Oddonis cardinalis.
D. Oddo Capocius, canonicus sancte Marie Majoris de Urbe.
D. Oliverius de Aramone.
D. Oliverius de Bosco, anglicus.
D. Opizus de Castello, canonicus tornacensis, doctor decretorum.
D. Octo Oldo de Casate mediolanensis.
D. Paulus de Caderossa, canonicus cavilonensis.
D. Paulus domini Philippi de Spoleto.
D. Paulus de Serignasco.
D. Perottus de sancto Piverino.
Mag. Petrus de Janua.
D. Petrus de Treschis, canonicus uticensis.
D. Petrus de Marca, agenensis diocesis.
D. Petrus de Alosto, provincialis.
D. Petrus de Monte Guidonis, canonicus sancte Radegunde.
D. Petrus de Recho.
D. Petrus Geraldi.
D. Petrus de Capotiis.
D. Petrus de Roccamora.
D. Petrus de Calderia, catelanus.
D. Philippus de Clenti de Pisis.
D. Pontius de Mirabello.
D. Pontius Fulconis.
D. Pontius Severi de Pocolis.
D. Pontius Johannis de sancto Ginesio.
D. Pontius domini Antonii de Montefalchi.
D. Pontius Barnerii de Mirabello.
D. Raymundus de Marmaria, preceptor valentinensis.
D. Raymundus Fredoli, canonicus agatensis.
D. Raymundus de Portu.
D. Raymundus de Treschis.
D. Raymundus Aldemaris.
D. Raymundus de s. Martino, carcassonensis.
D. Raymundus Caposcola, preceptor valentinensis.
D. Raymundus, archidiaconus sandomiriensis, de Polonia.
D. Raymundus de Mortaria.
D. Raymundus Bovis, girondensis.
D. Raynaldus de Concoregio de Mediolano.
D. Raynerius Singlerii, canonicus remensis.
D. Raynerius de Tolomeis.
D. Raynerius Berlingerii.
Mag. Reginaldus de Verdeliaco, canonicus laudunensis.
D. Richardus de Ponte Corbo.
D. Robertus de Cesantiis senonensis.
Mag. Rodulphus de Pargii, canonicus belluacensis.
D. Rogerius dictus Catena, canonicus furnensis.
D. Rumpi domini Francisci de Spoleto.
D. Sifredus Rafini.
D. Simon, comes spanglf.
D. Sinibaldus de Labro.
D. Sorlionus de Flisco.
D. Stephanus de Gagliaco, legum doctor.
D. Taxinus domini Simonis.
D. Tedixius de Flisco, canonicus lincolniensis.
Mag. Thomax Donodei, scotus.
D. Thomax de Giciis de Parma.
Mag. Thomaxius Balduini.
Mag. Thomaxius Comsal, anglus.
Fr. Ubertus de sancto Stephano, monacus fructuariensis.
D. Zacus de Falconeriis de Florentia.

MCCLXXXVII.

D. Abbas Jacobus, canonicus aversanus.
Mag. Aghinolphus de Roma.
Mag. Aymericus Sanglerii, canonicus remensis.
D. Alardus de Cripinghen, anglus.
Mag. Albertus de Muxello.
Mag. Amaurius Walcrani de Belvacho.
D. Beltrandus de Rupenegata.
D. Beltrandus de Guardiis, canonicus mutinensis.

Mag. Berthus de Pescia.
D. Dalmaxius de la Gorza, canonicus aniciensis.
D. Diopoldus, rector ecclesie in Invirighen.
Mag. Franciscus domini Matthei, de Camerino.
D. Franciscus de Leonardinis.
Mag. Guido de Carnacho, legum doctor.
Mag. Guido de Pluliaco, legum doctor.
D. Gifredus Buticularius, legum doctor.
D. Gifredus de Raffina.
D. Guillelmus scotus de Tuinam., rector ecclesie sancte Brigide.
D. Guillelmus de Brajo.
D. Guillelmus de Pluliaco, legum doctor.
D. Guiraldus Guiraldi.
D. Hugo de Monteforti, filius domini Hugonis comitis.
D. Hecbertus de Herginchin.
D. Johannes Ducletti lincolniensis.
D. Johannes de Dorenton.
D. Johannes Marcii de Montepessulano, legum doctor.
D. Johannes de Canterg.... de Montepessulano.
D. Johannes de Muxiaco, legum doctor.
D. Johannes Martini, carcassonensis diocesis.
D. Mixonus, canonicus candacensis.
Mag. Mattheus Ricomani de Arizio.
D. Octobonus de Placentia.
D. Paulus de Caderossa, doctor decretorum, canonicus cavilenensis.
Mag. Petrus de Zenoa.
D. Petrus Raynerii.
D. Petrus de Barzacho.
D. Petrus de Podio Bemerii, rector ecclesie de Cortacho.
D. Petrus Stephani de Narbona.
D. Pontius Baynerii.
D. Raymundus Signoriti, prior de Borbone.
D. Raynalduccius domine Egidie de Spoleto.
D. Raynaldus de Senis.
Mag. Reginaldus de Verdeliaco, canonicus laudunensis.
D. Spinellus Napolionis de Ferraria.

MCCLXXXIX.

D. Angelus domini Jacobi de Urbe, canonicus tornacensis.
D. Antigradus de Lendinaria.
D. Antonius de Maxina, canonicus vercellensis.
D. Baldredus Bixer scotus.
D. Bandinus Chochus de Pisis.
D. Bartholomeus prepositus de Pistorio.
D. Bartholomeus domini Ubaldi de Luca.
D. Benzevene Gratie de Castello.
D. Berlengerius Raymundi Buboris.
D. Bertrandus de Guardiis, canonicus dutensis.
D. Blaxius, canonicus insulensis.
Mag. Bonaventura de Pergamo.
D. Bonaventura domini Jacobi Bonaventura de Roma.
D. Bonifacius de sancta Julia, canonicus albiensis.
D. Bonifacius de Coconato, canonicus vallensis.
D. Carlinus de Albano, canonicus urgellensis.
D. Cataldus Rubeus de Dexana.
D. Cencius Bonazani de Roma.
D. Chonus filius domini Guillelmi, militis de Villars.
D. Colucius de Castracanis de Luca.
D. Egidius de Naullo, canonicus, filius domini Guillelmi.
D. Felixianus de Luca.
D. Fernandus Alfonsi, canonicus sancte Eulalie.
D. Franciscus de Infocaria.
D. Franciscus Grillus de Janua.
D. Garnerius de Benardia, scholasticus.
D. Gerardus, archiepiscopus maguntinus.
D. Gerardus de Monte Pizicelli.
D. Gerardus Datus.
D. Gerardus de Ponte.
D. Geri de Saxolis, arretinus.
D. Gifredus Resel., doctor legum (1).
D. Gifredus Rufini de Carpentoracte.
D. Girardus Girardi, canonicus bononiensis.
D. Goffredus Barba.
D. Gregorius de Clirania de Scotia.
Mag. Gualterius de Conacia.
D. Guido de Baixio, doctor decretorum.
D. Guillelmus de Brajo, canonicus remensis et laudanensis.
D. Guillelmus de Catelariis.
D. Guillelmus Ariacli.
D. Guillelmus de la Sala, canonicus nemausensis.
D. Guillelmus Petri de Rocha Vallis.
D. Guillelmus Ysnardus.
D. Guiraldus de Biporita.
D. Guizardus domini Bondi, doctor grammatice.
D. Henricus de Hanreve, canonicus spoletinus.
D. Hode de Rocheta.
D. Hugo Userchia, caturcensis diocesis clericus.
D. Hugolinus domini Petriboni de Brunia, caturcensis diocesis clericus.

(1) Al. *Raze.*

Mag. Jacobus de Brandiccio.
D. Jacobus de Rivoficeo.
D. Jacobus Pipini.
D. Jacobus Thousci.
D. Jacobus Lageti filius domini Hugonis Lageti militis arelatensis diocesis.
Mag. Johannes de Palaxina, canonicus.
Mag. Johannes Medicus, que fuit de Benevento.
D. Johannes Carazolus de Neapoli.
D. Johannes de Vinthona.
D. Johannes Thomaxini de Nemauxo.
D. Lambertus Bonelli, provincialis.
D. Larius de Oripingen., canonicus osfordiensis.
D. Leonardus de Alato.
D. Mattheus Gondisalvi, canonicus ulixbonensis.
D. Mattheus Carazolus, canonicus beacensis (1).
D. Mattheus de Columna, canonicus senonensis et belluacensis.
D. Monaldus de Fabriano.
Mag. Morisius, domini Pape scriptor.
D. Mixius domini Prefecti de Pistorio.
D. Radarius, canonicus ..... et atrebatensis.
D. Nicola Cille, canonicus abrincensis.
D. Nicolaus de Perusio, filius domini Masini.
D. Nicolinus de sancta Agata, canonicus urgellensis.
D. Odo (2).
Mag. Oddemondus de Gaarefeld.
D. Ottobonus, canonicus et capellanus domini Pape.
D. Paganus Belengerius.
D. Palmerius de Placentia, rector.
D. Paulus Gabbi.
D. Paulus de Comite, canonicus carnotensis.
D. Petruccius domini Nicole de Corrueto.
D. Petrus David de Roma.
D. Petrus de Albingana.
D. Petrus Bordanini.
D. Petrus de Praira.
D. Petrus, canonicus compostellanus.
D. Petrus de Treris, canonicus ......
D. Petrus Caporedus de Roma, canonicus remensis.
D. Petrus Majolis de Armiga.
D. Petrus de Piperno (3).
D. Petrus Bonaventure de Paparensibus de Roma.
D. Philippus domini Clerici de Pisis, doctor legum.
D. Philippus, canonicus pergamensis.
D. Philippus domini Jacobi militis de Parixiô.
D. Robertus de Bria.
D. Sclata de Ubaldinis, canonicus leodiensis.
D. Sinibaldus de Labro, prior sancte Marie Majoris.
D. Silvester Blaxius Maphei de Perusio.
D. Vanne, sive Vignolius, domini Silvestri de Spell.
D. Ubertus de Castro Veteri.

MCCXC.

Mag. Aymericus [de] Sangleriis.
D. Amelius de Montecucoli.
D. Baldredus Bisch.
D. Bernardus Leonis de Monte Roncali.
D. Bernardus de Vallebona, nemausensis diocesis.
D. Bernardus Leonis de Carcasona.
D. Bernardus de Valbona, monachus sancti Guillelmi de Desso Nemaus.
D. Bernardus de Foliano.
D. Bertholdus de Trusvantia de Fracemvot.
D. Bonaventura de Roma.
D. Bonifacius, prepositus opoliensis.
D. Cataldus domini Perini de Miscina.
D. Catardus de Penavaria, lemovicensis diocesis.
D. Coradus, rector ecclesie in Doce, moguntine diocesis.
D. Davizus Trinze de Florentia.
D. Dinus, legum doctor.
D. Franciscus de Offida, filius domini Nicolai.
D. Gallus comes de Mangono.
D. Ganus, sive Galvanus, domini Johannis Manensis de Pisis.
D. Gerardus Rostagni de Bitarora, diocesis avenionensis.
D. Ghigo Giraldi, sistaricensis diocesis.
D. Giraldus Truzeti.
D. Girauldus Giroaldi, nemausensis diocesis, canonicus bononiensis.
D. Gorlanus de Guatifollaria.
D. Graphto filius domini Ludovici de Maspurgh.
D. Gualterius de Cronemberg, filius domini Franconis militis.
D. Guarmignanus, clericus ecclesie sancte Marie Lugane, diocesis mutinensis.
D. Guido Giraldi.
Mag. Guillelmus de Valentia.
Mag. Guillelmus de Villanova, canonicus barcillonensis.

(1) Al. *domini Pape capellanus.*
(2) Al. *Hodo de Rochetta.*
(3) Cardinalis et protector camaldulensium, 1300.

D. Guillelmus, canonicus abridunensis.
D. Guiraldus Rostagni de Bitorita.
D. Henricus de Brabantia.
D. Hispanus de Lambis.
D. Jacobus quondam Hugonis de Pistorio.
D. Jacobus de Boccamaciis de Roma.
D. Jacobus, canonicus salamantinus, domini Pape capellanus.
D. Jacobus Laciti, filius domini Hugonis Laciti, militis arelatensis.
Mag. Ingerardus de Cutiaco, canonicus laudunensis.
Mag. Johannes medicus, qui fuit de Benevento.
D. Johannes quondam Matthei de Miscina.
D. Johannes quondam Hugonis de Pistorio.
D. Johannes de Brotia, prepositus Calestrie.
D. Johannes de Montemurlo, doctor decretalium.
D. Johannes de Prato atrebatensis.
D. Jordanus de Montecucoli, prepositus lemovicensis.
D. Lapus de Guezis.
D. Neapoleo de filiis Ursi, archidiaconus de Magliolica.
Mag. Nicolaus de Roma.
D. Nicolaus, monacus sancti Albani, anglus.
D. Nicolaus de Gasejo, catallanensis diocesis.
D. Octobonus de Placentia, domini Pape subdiaconus et capellanus.
D. Oddo Alamanni, gratianopolitane diocesis.
D. Offredus Ruffini de Carpentoracto.
D. Paulus domini Aginolphi, comitis de Valmont., districtus Rome.
D. Paulus de Comite.
Mag. Peregrinus de Plumatio.
D. Petrus, nepos Gerardi de Parma, sabinensis episcopus.
D. Petrus Stephani de Narbona.
D. Petrus de Rivoricco, canonicus valentinensis.
D. Petrus Capoccius de Roma.
D. Petrus Gessarii.
D. Petrus de Pruito, filius domini Enrici Chaizi, taurinensis diocesis.
D. Poncius Petri Magalon. filius domini Petri de Argasia.
D. Raymundus Gariti, canonicus carcasonensis.
D. Raymundus Acti, abbas Mansia . . . .
Mag. Raynaldus de Ventimilia genuensis.
D. Richardus de Montenigro, prepositus remensis.
D. Rogerius de Rovigi, pragensis diocesis.
D. Sifredus Rafina, carpentoractensis.
D. Sigerius de Girellis, canonicus sustunensis, leodensis diocesis.
D. Simianus, canonicus wratislaviensis.
Mag. Stephanus de Matiscone.

MCCXCI.

D. Aimelius de Montecucolo.
D. Amadeus de Gebennis, canonicus lingonensis.
Mag. Angelus filius Oddonis de civitate Perusii.
Mag. Baldredus Bixet de Scotia.
D. Bellingerius domini Raymundi de Barbonis.
Mag. Beltrame Morici, qui fuit de Firmo, doctor grammatice.
D. Bernardus, canonicus vermandensis et vicer.
D. Bernardus de Albaso.
D. Cataldus de Penavaria.
D. Coradus de Scombergh.
D. Egidius de Novello, ebredunensis.
D. Franciscus domini Petri de Gubio.
D. Franciscus de Manfredis de Faventia.
D. Gorgia, filius domini Rochesani, canonicus Filtri.
D. Gratia, abbas sancti Victoris de Cluxis.
D. Guillelmus, dictus Negosante, prior sancte Marie de Plano senogal.
D. Guillelmus de Barensiliis, doctor decretorum.
D. Johannes Petri, canonicus compostellanus.
Mag. Nicolaus medicus de Jenua.
Mag. Nicolaus de Guaseglia.
D. Octavianus de Ubaldinis.
Mag. Petrus de Bisencio.
D. Petrus domini Petri de Sampsone.
Mag. Poncius de Narbona Proc. Rostagni, archiepiscopus aquensis.
D. Richardus de Bellomonte, canonicus tullensis.
D. Rogerius domini Ludolai de Auriliaco.
D. Rostagnus quondam domini Malsanguis de Provincia.
Mag. Simon Amicine.
D. Stephanus, canonicus narbonensis, doctor decretorum.
D. Valentinus de Garganis de Bergamo.
D. Ubaldinus quondam domini Octaviani de Musello.
D. Vitalis, canonicus vicer.
D. Ysnardus Guasti (1), canonicus fucralobriensis.

(1) An. *Guasci.*

MCCXCII.

Mag. Adam domini Gualfredi, clericus episcopi dunelmensis.
Mag. Aymericus Sanglerii, archidiaconus bajocensis.
Mag. Albertus domini Bonacose de Matelica.
D. Albertus papiensis.
D. Alfonsus Martini, archidiaconus alavensis.
D. Ambrosius de Mediolano.
Mag. Andreas Calveti de Ebroduno.
D. Andreas, cantor varidiensis.
D. Andreas de Nivella, leodiensis diocesis.
D. Angelus de Musellis de Roma.
D. Anselmus de Duricia.
D. Anselmus de Dur[i]cia de Lucduno.
Mag. Antonius filius M. Matthei de Padua.
D. Arnaldus de Pergamo filius domini Fucini de Bonfatis.
D. Assensius, canonicus pitaviensis.
D. Acto de Terane.
D. Baldredus Bister, scotus.
Mag. Beltrame quondam Morigi.
D. Bertramus Christophori de Avenione.
D. Bertrandus Ermengaldi, catelaunensis.
D. Bertus de Castroveteri, canonicus navariensis.
D. Benedictus de Sanervilla, prior de Lintona.
D. Bonifacius de Cochanacho, nepos domini Uberti de Cotenato (1), cardinalis sancti Eustachii.
D. Bonifacius, prepositus opoliensis in Polonia.
D. Busino Jacobuccii de Fabriano.
D. Dinus domini Jacobi de Musello, doctor legum.
D. Egidius Dominici, archidiaconus ripasolensis.
D. Franciscus Vascus, canonicus astensis.
D. Frenandus Alfonsi.
D. Georgius de Sollerio, canonicus yponensis.
D. Gerardus de Cornazano, vicarius domini episcopi bononiensis.
D. Gerardus de Juliaco.
D. Gerardus de Sancta Cruce, filius domini Guillelmi de Figiaco caturcensis.
D. Gerardus de Montecucoli.
D. Gervasius de Maurenia.
D. Gezus Gucii de Mugello.
D. Guido filius magistri Bernardi de Cisterona.
D. Guillelmus de Petralata, decretorum doctor, monachus de Lejavanc.
D. Guillelmus de Villanova, canonicus barcilonensis.
D. Guillelmus de Lucxia, canonicus cabilonensis.
D. Guillelmus de Cornubia, decretorum doctor.
D. Guillelmus de Vincton.
D. Guillelmus de Erghinburgh.
D. Guillelmus de Bloy de Cornubia.
D. Guillelmus quondam domini Henrici de Imbria de Novaria.
D. Guiroardus Guiroardi, canonicus bononiensis.
D. Gurzolus domini Galvani de Stephanardis.
D. Henricus domini Jacobi Lazi de Pisis.
D. Henricus quondam domini Hermanni de Mdeng. de Alamania.
D. Hugo Sayne de Turonis.
D. Hugo Tanen. filius domini Hugonis.
D. Hugo de Cambuchacho, doctor legum.
D. Jacobus Martini de Hungaria, archidiaconus mingradensis.
D. Jacobus, thesaurarius gallavatensis.
D. Jacobus filius domini Matthei Ursi, thesaurarius salamensis.
Mag. Johannes de Castro Arquato, canonicus belluacensis.
Mag. Johannes de Boera, prepositus divi Martini turonensis.
Mag. Johannes de Atrebato.
Mag. Johannes magistri Raguelis de Agleriis.
D. Johannes Philippi, filius magistri Philippi de Ebreduno.
D. Johannes Monterii, canonicus compostellanus.
D. Johannes Gaytani, canonicus parisiensis.
D. Johannes Michaelis, canonicus asturicensis.
D. Johannes de Divione.
D. Johannes de Pontitlea.
D. Johannes de Musca, atrincensis diocesis.
D. Johannes Philippi de Ebreduno.
D. Johannes de Cangesbergh., filius domini Coradi.
D. Johannes de Magonza.
D. Johannes, canonic. tituli s. Marcelli de Urbe.
D. Johannes Saccutii [de] Bonacursis de Fabriano.
D. Johannes de Asellera, canonicus de Bosan.
D. Johannes de Anglia.
D. Johannes de Gecham, monachus sancti Petri lincolniensis.
D. Lambertus domini Zanis de Peruxio.
Mag. Landus de Castello Castri.
Mag. Landulphus de Columna, canonicus senonensis.
Mag. Laurentius Johannes de Civitate Nova.
D. Marcus de sancta Eugenia, sacrista barcilonensis.

(1) *Sic.*

Mag. Martinus canonicus trecensis.
D. Martinus Hispanus gallichus de Tuda.
D. Martinus de Poma de Pergamo.
Mag. Mattheus Gundisalvi, canonicus ulisbonensis.
D. Mattheus de Limoxino, canonicus . . . .
Mag. Michael magistri Patavini de Venetiis.
D. Michael de Donodei de Scotia.
D. Monaldus de sancto Genexio, canonicus sarisberiensis.
D. Montenaxius de Marchixiis.
D. Napullio Fortebraccii de Ravegnana, canonicus camaracensis abbat., sedis Apostolice capellanus, canonicus cameracensis, tornacensis et furocenensis.
Mag. Nete de Pistorio.
D. Nicolaus de Praga.
D. Nicolaus de Magonza.
D. Octobonus de Plasentia, decanus suessionensis.
D. Oddofredus de Magonza.
D. Orpizo de Cedonio, siniscalcus sancti Martini turonensis.
Mag. Pax fisicus, que fuit de Roygo.
D. Percivallis de Selvaticis de Asti.
D. Petrus domini Bernardi de Cisterona.
D. Petrus de Scroxallia, canonicus rutinensis.
D. Petrus Johannes, canonicus asturicensis.
D. Petrus de Pulcrovisu, canonicus barcilonensis.
D. Petrus de Villanova, carpentoractensis diocesis.
D. Petrus domini Fei de Florentia.
D. Petrus de Cambucaco caturcensis.
D. Philippus de Castegnolis, canonicus estensis.
D. Poncius Johannes, canonicus compostellanus.
Mag. Raginaldus de Vidriaco (1), canonicus laudunensis.
D. Raymundus Beltramingus de Asti.
D. Rannus, canonicus sancti Venantii de Fabriano.
D. Robertus de Colongus, monachus dunelmensis (2).
D. Robertus de Vicecomitibus, ordinarius in ecclesia majori mediolanensi.
D. Sclata de Orte, canonicus fossensis.
D. Severinus, canonicus sancti Venantii de Fabriano.
D. Sigerius de Pareliciis, canonicus fossensis.
Mag. Simon de Anglia.
D. Stephanus Matthei de Fur. de Lugduno.
D. Thebaldus de sancto Remigio.
D. Thebaldus de Infangatis de Florentia.
Mag. Thomas Guiscardi, decanus glassionensis.
D. Thomas Florani de Matelica.
D. Tuscus de Ancona.
Mag. Ubertinus de Papia.
D. Ubertus de Castroveteri, canonicus novariensis.
D. Ubertus de Vallibus.
D. Ycellinus de Mandugagliaxinis de Brixia.

MCCXCIII.

D. Accursinus de Modoecia.
D. Albertus de Caprionibus de Brixia.
D. Albertus, archipresbiter sancti Proculi faventini.
D. Albizus de Brixia.
D. Adelbertus de Petraforti.
D. Ambroxius de Actabellis de Laude.
Mag. Angelus medicus, filius domini Hugolini de Senis.
Mag. Ansaldus de Faba de Genua, medicus.
Mag. Antonius de Nubalento, canonicus brixiensis.
D. Arnoldus domini Susini de Bergamo.
Mag. Bartholomeus magistri Petri Reale.
D. Bartholomeus domini Pradini de Laude.
D. Bernardus de Turi de Spoleto.
D. Bertrandus de Lutiliacho.
D. Brochardus de Leonet., ordinis hospitalarii jerosolimitani.
D. Cabri de Patientibus de Mediolano.
D. Carolus Erbendi, canonicus apsalensis (3).
D. Chonus de Vallexia.
D. Coradus de Silimbergh., rector ecclesie ilindonensis.
D. Coradus de Chichilimbergh.
D. Comes de Certaldo, rector sancti Martini in Colle.
Mag. Consilius Siniconis de Matelica.
D. Fatius de Labro.
D. Federicus prepositus moguntinensis.
D. Federicus de Mirsen domini Heberardi de Lancisberg.
Mag. Franciscus filius magistri Petri Paganucci de Matelica.
D. Franciscus Jacobini, canonicus cerviensis.
D. Franciscus domini Jacobini de Mutina.
D. Franciscus de Bajolis de Blancanigro (4) imolensis.

(1) Al. *Verdeliaco.*
(2) Al. *de Collvelinguard.*
(3) An *Upsalensis.*
(4) Lege *Blancanigo.*

D. Gabrinus de Cremona.
Mag. Galfredus domini Coradi de Magontia.
Mag. Gerardus quondam Gerardi de Regio, magister in grammatica.
D. Gerardus de Sesicino, canonicus balnensis.
Mag. Guido pisanus.
Mag. Guillelmus de Asti, doctor in logica.
D. Guillelmus de Carnoto.
Mag. Henricus, archidiaconus lundensis de Datia.
D. Henricus de Friburgo.
D. Henricus dictus Macirel., canonicus basileensis.
Mag. Henrigictus de Anno, andegurensis diocesis.
D. Henrigittus, prior sancte Marie in Colle, fexulane diocesis.
D. Herbo domini Henrici argentinensis.
D. Hugo Magrini, rutinensis diocesis.
D. Hugo alsacen., argentinensis diocesis.
Mag. Johannes Melioris de Fighino, repetitor in grammatica.
Mag. Johannes Jacobi de Suasa, medicus.
Mag. Johannes Petri de Lavania, medicus.
Mag. Johannes de Ponterlia.
Mag. Johannes de Musca, abrincensis diocesis.
D. Johannes de Sacerio, abrincensis diocesis.
D. Johannes Godeus, anglicus.
D. Johannes de Landesbergh.
D. Johannes de Divione.
D. Johannes Gaytanus, canonicus parisiensis.
D. Johannes de Prato.
D. Lanfrancus de Cussano.
D. Lapus domini Bernardi de Podio Bonizi.
D. Lasalinus de Mediolano.
D. Martinus Bartholomei de Mutina.
D. Martinus de Pomis de Bergamo.
D. Mattheus Hugonis de Limox.
Mag. Monaldus quondam Bonagratie de Fabriano.
D. Neapoli[o] Fortebracci.
D. Napuleo, archidiaconus de Majorica in ecclesia legionensi.
D. Panocha domini Romaldeschi de Aretio.
D. Petrus plebanus sancti Appiani, florentine diocesis.
D. Petrus Pirovano mediolanensis.
D. Petrus de Scrossalia, canonicus rutinensis.
D. Petrus de Diegia, caturcensis diocesis.
Mag. Reginaldus de Verdoliaco.
D. Robertus, monacus dunelmensis.
D. Robertus de Geralzeke, canonicus argentinensis.
D. Rogerius de Lodelao, rector ecclesie de Galgrad.
D. Richardus de Evastaxia.
D. Salvagius de Florentia.
Fr. Simon Pelegrini de Faventia.
D. Stephanus domini Petri de Pergamo.
D. Stephanus domini Petri Beniti de Urbeveteri.
D. Stephanus Catalli de Antona.
D. Ubaldinus domini Trenserici de Labro.

MCCXCIV.

D. Anselmus de Pergamo.
D. Bragoneria Saraceni de Certaldo.
D. Emcho, comes de Spanche, rector.
D. Emicho de Spaynem, canonicus maguntinensis.
D. Franciscus de Barberino.
Mag. Hugo anglicus.
D. Petrus Johannes de Yporegia.

Excerpta codicis Thomae Diplovatatii ex Vitis illustrium doctorum hoc loco in prima editione sequebantur. Cum autem temporibus nostris, partim a cl. viro Gustavo Pescatore et iterum a Johanne Baptista Palmerio, Diplovatatii opus typis commissum sit (1), *Doctorum bononiensium vitas superfluum hic pervulgare arbitratus sum, quamquam in primo huius vol. folio has Vitas se daturum pollicitus sit egregius comes Caesar Albicini.* (C. M.)

---

(1) *Thomae Diplovatatii opus De Praestantia Doctorum .... Herausgegeben von D.r Gustavo Pescatore,* Berolini, ex off. R. L. Prager, 1890; et *Biblioteca dei Glossatori di G. B. Palmieri - Thomae Diplovatatii - De praestantia Doctorum opus* - Bologna, 1894-95, Libreria Treves di Pietro Virano.

VITAE INEDITAE

JURIS CIVILIS ET CANONICI PROFESSORUM

A MAURO FATTORINIO

CONSCRIPTAE.

I.

MACAGNANUS DE AZZOGUIDIS.

MACAGNANUS ALTER. BLIOBARIXIUS DE AZZOGUIDIS.

I. Mirum sane quod tenebris scriptores nostri et exteri etiam horum omnium Professorum historiam obduxerint Joannes Maria Mazzucchellius in suo celebri opere de Italiae scriptoribus, t. I., part. II., pag. 1289, de uno tantum Macagnano Azzoguido loquitur, et varia profert hausta ex Alidosio, Gazalupo aliisque, qui confuse admodum et minus vere de eodem scripserunt. Sed in primis constat certissime unum et alterum fuisse Macagnanum de Azzoguidis, et utrumque juris civilis professorem. In *Memorialibus* enim archivi nostri publici ad annum MCCCXVIII. extat testamentum Macagnani quondam Azzoguidi de Azzoguidis, qui in suos commissarios, ut vocant, eligit Bliobarixium et Macagnanum quos nepotes nominat. Haeredes autem ex asse instituit Nicolaum et Azzoguidum filios equis portionibus. Igitur dubitare non possumus quin unus et alter eiusdem nominis in gente Azzoguida eodemque tempore extiterint. Dum autem in laudato testamento Bliobarixius et Macagnanus vocantur nepotes, intelligimus sane eos vel fuisse eodem patre genitos, quod verisimilius arbitror, vel saltem consobrinos, numquam vero iuniorem hunc Macagnanum filium fuisse Bliobarixii quemadmodum ex Alidosio statuit Mazzucchellius. His sic constitutis, de singulis quos posuimus pauca loquamur.

II. Macagnanus itaque, quem seniorem nominamus, jus civile in patria professus est circa finem saeculi XIII. Constat enim ex *Libro Reformationum* in archivo publico, ipsum legisse anno MCCXCVII.; et cum, ut diximus, suum condiderit testamentum anno MCCCXVIII., verosimile est paulo post ea tempora vita functum fuisse. Ghirardaccius, *Histor. Bononien.*, part. II., pag. 136, narrat ad annum MCCCXXXVIII. Macagnanum de Azzoguidis, quem senem appellat, inter eos fuisse, quos post Bertrandi Cardinalis expulsionem ad se vocavit Pontifex (1). Sed revera arbitror in vivis amplius non fuisse per id temporis Macagnanum hunc de quo loquimur, atque haec omnia ad Macagnanum iuniorem referenda esse. Arbitror tamen Macagnano huic datum a Bononiensibus negocium fuisse componendae litis quae pro represaliis, ut ajebant, orta erat

(1) De hac re tota vide in *Thaddaeo Pepulo.*

inter Venetos et nostros. Atque hic quidem Macagnanus princeps fuit legationis ad ipsos Venetos pro ineunda concordia, quemadmodum constat ex *Libro Reformationum* in archivo publico ad hunc annum sub die III. octobris. Ad eumdem pertinere puto quod in eodem *Libro Reformationum* ipso anno sub die penultima iulii habetur de Universitatis reformatione a quatuor legum peritis ex Senatus voluntate facienda, inter quos primo nominatur loco Macagnanus de Azzoguidis.

III. Hic igitur alter illustrior fuit, et idem ille est, de quo scripsit Diplovataccius honorifice admodum (1). Sed in primis tum Diplovataccius ipse, tum alii qui de Macagnano postea scripserunt, in eo vel maxime errant quod Macagnanum in ipso iuventutis flore, scilicet annos natum XXV., obiisse statuunt; cum namque, ut supra dictum est, huic Macagnano suam ad exequendam voluntatem testamento commiserit Macagnanus senior ad annum MCCCXVIII., grandaevum ipsum fuisse oportet, cum ad id muneris, quod satis grave est et provectum hominem exposcit, electus fuit. Quoniam vero eius mentio occurrit in monumentis nostris, saltem usque ad annum MCCCXLII. (2), subducto calculo apparet sane grandioris multo aetatis fuisse Macagnanum, cum e vita excessit.

Publicis dignitatisque plenus muneribus functus est alter etiam hic Macagnanus per temporum intervalla et pro variis civitatis nostrae opportunitatibus, quod argumento est non levem fuisse de eius doctrina et ingenio opinionem; et profecto si verum sit Macagnanum in ipso iuventutis flore e vita excessisse, quod ii statuunt auctores, vix nempe post an. XXV. fieri meo iudicio non poterit, ut plurimum temporis impenderit vel docendo vel scribendo, praesertim cum ecclesiae suae muneribus obeundis ad dictam ecclesiam fuisse oportuerit, neque diutius Bononiae substitisse putandum sit. Itaque quod ait Diplovataccius, eum nimirum plures disputationes scripsisse, aliaque in varias iuris partes edidisse non omnino crediderim. Verisimilius namque esse arbitror Macagnani senioris ea omnia foetus fuisse; et quoniam neque Diplovataccius, neque Pancirolus, neque Mazzucchellius binos fuisse eodem tempore Macagnanos juris civilis professores subspicati sunt, facile sane errare potuerunt et uni eidemque tribuere ea quae in unum et alterum erant dispertienda. Macagnanum tamen hunc iuniorem magnae celebritatis fuisse cum ex laudatis scriptoribus, tum maxime constare potest ex citatis Pontificis literis, in quibus de eius doctrina illustre habemus testimonium. In iisdem dicitur filius Bliobarixii, qui vir nobilis itidem appellatur. Si conjecturis locus sit, hunc Bliobarixium eum esse putabimus, quem, ut supradiximus, Macagnanus in suis tabulis testamentariis anno MCCCXIX. in commissarium una cum Macagnano, quos nepotes vocat, eligit. Omnia sic facile coherere poterunt, si nempe statuamus Macagnanum seniorem fuisse fratrem Bliobarixii patris huius Macagnani iunioris, qui praemortuus sit Macagnano seniori.

Huic tamen opinioni officere videtur id, quod ad annum MCCCXXXIX. ex actis nostris publicis habemus a Thaddaeo nempe Pepulo causam quamdam appellationis commissam fuisse Macagnano, qui ibidem dicitur filius Bliobarixii. Si autem verum sit Macagnanum iuniorem anno aetatis XXV. obiisse, illud sane efficitur Macagnanum hunc cui Thaddaeus causam examinandam seniorem, subducto enim calculo, compertum

(1) *Sic eius vita exorditur:* « Macagnanus de Aragundis, alias de Azzoguidis, patria bononiensis, optima familia natus, legit quidem scientissimus hoc ipso tempore Bartoli et suae iuventutis floruit ». *Cod. Diplovat. in Institut. Scientiar. bonon.* pag. 214 v., n. 156.

(2) In *Libro Provision.* sub die XXVII. octobris ad hunc annum nominantur Paulus de Liazariis, Joannes Calderinus, Macagnanus de Azzoguidis et Ricardus de Saliceto.

fit Macagnanum iuniorem, qui, ut ex laudatis literis comprobatur, anno MCCCXXX. erat annorum XX., in vivis esse non potuisse anno MCCCXXXIX. Sed hinc illud fluere arbitror dubitandum saltem esse, utrum revera adeo iuvenis, quemadmodum statuunt Diplovataccius aliique vita functus sit Macagnanus iunior. Cum id ipsi sine ullo teste affirment, non equidem crediderim pro ea opinione, posito, ut dicitur, pignore, certandum. Immo cum in allato monumento Macagnanus filius dicatur Bliobarixii, certum pene mihi est Macagnanum iuniorem designari, nisi nimis multos Macagnanos juris civilis professores una extitisse et floruisse in civitate nostra nobis fingere velimus. Igitur putaverim eum iuvenem quidem, sed provectioris aetatis, nimirum annum circiter XXX. e vivis sublatum.

AD MACAGNANUM I. (1)

I. MCCCXVIII., XXXI maii. Testamentum Macagnani quondam domini Azzoguidi de Azzoguidis, in quo praecipua haec sunt: Bliobarixium et Macagnanum nepotes suos in comissarios eligit. Zaneverae et Marinae filiabus legata quaedam relinquit. Nicolaum et Azzoguidum, filios, haeredes universales aequis portionibus instituit (2).

II. MCCCXX. Tramontana, filia quondam Nicolai quondam Macagnani quondam Azzoguidi de Azzoguidis, exponit venditam fuisse dicto Macagnano domum quandam (3).

III. MCCCXXIV., XIII. maii. Nominatur: *Azzoguido quondam domini Macagnani de Azzoguidis* (4).

AD BLIOBARIXIUM DE AZZOGUIDIS.

I. MCCCII., maio ineunte. Freddus Tolomaeus, senensis, ex nobilissima Tolomaeorum familia, adolescens pravo ingenio atque feroci, cui rixae et contentiones in deliciis erant, cum literis Bononiae operam daret, conciliata sibi partim metu, partim nobilitatis suae splendore, quorundam perditorum manu, Gymnasium quotidie (uti antea Parisiis et Aureliae fecisse dicebatur) crudelissime vexabat, multis ex scholaribus, praesertim nobilioribus inde vi eiectis, aliis vulneratis. Ea de causa, cum ne ipsis quidem professoribus tuto ad Scholas accedere liceret, Universitatum Rectores universumque Gymnasium vacationem a lectionibus indixerunt et a Consilio Populi auxilium ad comprimendam intolerabilem Freddi audaciam postularunt. Consilium, cum nobilissimae Tholomeae familiae rationem esse habendam statuisset, quatuor sapientes viros primum eligendos duxit, quibus negotium dedit, ut, Freddum convenientes, illum ad bonam frugem leni et bono modo revocare conarentur. Sed posteaquam hac Consilii lenitate non modo nihil se profecisse Sapientes retulerunt, verum etiam Freddum audaciorem factum graviora minitari si quisquam sibi ea de re imposterum loqui auderet; convocato rursus,

(1) De Macagnano I., hoc est de Macagnano Azzoguidi de Azzoguidis filio, nulla sunt alia documenta authentica praeter haec in quibus facile observari potest, nusquam illum doctorem apellari; adeoque puto, doctorem nunquam fuisse; praesertim cum ea quae sub fine saeculi XIII. et initio XIV. *Macagnano cuidam Doctori* tum apud Auctores tum in tabulis publicis tribuuntur, optime quadrent in Macagnanum II. huius nepotem, et Gregorii de Azzoguidis filium; ut ex observatis temporibus, in quibus aetas huius secundi Macagnani cadit, perspicuum fit.

Quaenam sint haec, quae praeterea de Macagnano dicuntur, et cur ad utrum Macagnanum pertinere dubitem, vide inferius fol. A.

(2) Ex *Mem. Laurentii quondam Michaelis.*

(3) Ex *Mem. Ugolini quondam Enrigipti de Quertiis,* pag. 41.

(4) Ex *Mem. Jacobi Guglielmi Doxii,* pag. 43.

die VI. maii, frequentissimo Concilio, Senatusconsultum est factum quo Freddus intra dies quatuor ex omnibus bononiensibus finibus excedere iubebatur; quibus elapsis, nisi paruisset, posset a quocunque occidi, neque id interfectori fraudi esset.

Interfuerunt ei Concilio, praeter Praetorem, Capitaneum, Antianos et Consules:

Guido da Baisio, archidiaconus bononiensis, comes Germaniae et Rector Universitatis ultramontanae,

Paganus mediolanensis, rector Universitatis citramontanae,

Lambertinus Ramponi,

Basciacomare de Basciacomaribus,

Albertinus degli Ughetti,

Ubaldinus de Malavolti,

Martinus de Solimani,

Pax de Pacibus,

Thomas de Lambertino Ramponi,

Bliobarixius Gregorii [1] degli Azzoguidi,

Bartholomaeus de Pretis,

Jacobus da Ignano,

Julianus de Cambio de Gratiadei,

Vianesius de Passipoveri,

Castellanus Baioli,

Philippus de Foscherari,

Egidius de Malavolti, doctor legum,

Bonincontrus de Hospitali } doctores decretorum [2].
Joannes dalla Calcina }
Joannes Andreae }

II. MCCCVIII., VIII. februarii. Bliobarixius, legum doctor, arbiter.

III. MCCCVIII., XXII. septembris. Gravissimo negotio recuperationis Ferrariae tanquam Sapiens interest.

IV. MCCCX. Inter privilegiatos a Ghirardatio recensitos legitur ***Bliobarixius** Guidonis de Azzoguidis, legum doctor*. Arbitror hic errorem subesse Ghirardatii, atque illum pro *Gregorii* [3] posuisse *Guidonis*. Nam Bliobarixius filius Gregorii occurrit saepe in tabulis publicis; Guidonis vero nusquam nisi in solo Ghirardatio et Negrio, qui ipsum transcripsit.

V. MCCCXII., IV. octobris. Bliobarixius quondam domini Gregorii de Azzoguidis, legum doctor, vendiderat LXXX. florenos auri pretio lib. bon. CLXXII. Numerantur nunc ipsi C. ab uno ex debitoribus, et ipse testatur se accepisse [4].

Eodem die, loco et testibus, Bliobarixius legum doctor, sanus mente, aeger corpore suum facit procuratorem ad ponendam dictam chartam in *Mem. Com. Bon.* Johannem Petri de Caxella notarium et suprascriptorum testem.

VI. MCCCXIII., X. septembris. Correctio cuiusdam publici decreti Bliobarixio demandata. Ex hoc instrumento corrigitur error Ghirardatii, tom. I., pag. 573, ubi pro *Bliobarixio* scribit *Petrum Bliobarixii,* qui nullus unquam fuit.

(1) Ghirardatius scribit *Guidonis* ut infra § IV., sed utrobique male.

(2) Ghirardatius, tom. I. ad an. MCCCII., pag. 440 et 441.

(3) Vide § praeced.

(4) Ex *Memor. Ferantini de Ferantibus,* fol. 16 v.

VII. MCCCXV., XXX. ianuarii. Bliobarixius rursus arbiter.

VIII. MCCCXV., die XIII. octobris. Apostolica Sede vacante Pastore, Bliobarixius et quatuor alii ire iubentur legati ad Romandiolam ad concordiam revocandam inter amicos dictae provinciae (1).

IX. MCCCXV., eodem mense octobri. Cum XII. pro quolibet quarterio Sapientes ordinarii electi essent, iis novem alii sunt adiecti, atque in his Bliobarixius (2).

X. MCCCXV., ultimo octobris. Quibus Sapientibus beneficia et privilegia conferuntur, atque, inter alia, deferendi quocumque in loco arma quaecumque, nec solum ipsis verum etiam propinquis (3).

XI. MCCCXV., ultima decembris. Superioribus diebus statutum fuerat in Consilio populi ab omnibus et singulis de Consilio solvendos esse depositario Communis soldos X.; Consiliariis omnibus licitum fore arma quaecumque deferre; ab Anzianis et Consulibus praesentis mensis eligi posse Sapientes quoscumque voluerint, qui dictum Populi decretum expendere valeant, et de eo decernere uti ipsis videbitur. Tandem Sapientes sic electos futuros et habendos esse de Consilio. Inter Sapientes princeps:

Bliobarixius de Azzoguidis, legum doctor, de quarterio sancti Petri,

Petrus de Montebellio, iudex, [de quarterio] Sterii,

Benedictus quondam Bertoli Faber, iudex, [de quarterio portae] ravennatis (4).

XII. MCCCXVI., I. iunii. *Bliobarixio* et tribus aliis non doctoribus generale arbitrium fuerat attributum circa *defensionem et statum amicorum de Lombardia et civitatis et districtus Bononiae*. Cum autem omnia per se expedire non possent, ventum est ad electionem *aliquorum providorum et discreptorum virorum*, qui Antianis, Consulibus et Sapientibus praedictis, in iis quae iusserint, obtemperare deberent, utque libentius faciant et securius, deferendorum armorum potestate donantur (5).

XIII. MCCCXVI., augusto ineunte. Universitatibus canonicae et civili gravissimae quaedam iniuriae erant factae a Praetore, *occasione Giuffredi cuiusdam Tolosatis de familia fratris Petri camaldulensis, qua occasione multa erant scripta et pronunciata contra religiosos Rodulphum et Arnaldum scholares pedemontanos et contra monachos sancti Michaelis della Chiusa.* (Nihil omnino ad hanc rem illustrandam reperire potui). Igitur ob eas iniurias Universitatum Rectores urbem deseruerant, Argentaeque consederant: caeteri autem scholares se etiam abituros iureiurando confirmarant. Consilium itaque Populi, ut gravissimum damnum averteret, quod ea ex re impendere civitati videbat, legatos Argentam ad Rectores placandos ire iubet. Iis placatis, Bononiamque reversis, cum et eisdem satisfactio esset danda, et a similibus iniuriis in posterum cavendum, Concilium gravissimum est coactum, cui, praeter omnes magistratus, Sapientes numero ad XXV. interfuerunt. Fuerunt autem Sapientes hi:

Ex tribu Steria

Bonagratia de' Plastelli, proconsul Notariorum,
Ubaldinus Malavolti,
Dainese de Passipoveri,
Jacobus Buttrigarius,
Rambertus da Cento,
Albertus Petri d' Argelata,
Paulus Riccius,
Ubaldinus da Stiatico,
Gerius Aegidii de' Cla[ri]ssimi,
Bartholomaeus de' Romanzi.

(1) *Lib. Ref.* †, pag. 269 v. et 271 v.
(2) Ibid., pag. 275.
(3) Ibid., pag. 297 et 298, lin. antepenult.
(4) *Lib. Ref. A* †, pag. 61 v.
(5) Ibid., pag. 74 v.

Ex tribu Piera

Bartholutius de Pretis, Ugolinus de Liazari,
Bliobarixius Azzoguidus, Paulus de Bonacatti,
Fulcus de Pacibus, Bentes de Bentivogli.

Ex tribu Procula

Bonifacius Gallutius, Dominicus de Tolomei,
Joannes Andreae, Negrus dalla Quercie (1).
Gerardus Zambeccarius,

Ex tribu Ravegnana

Matthaeus de Gandonibus, Bonifacius Blanchi Cossa,
Petrus de Cerniti, Cossa de Sorgi (2).

XIV. MCCCXVI., IV. augusti. Bliobarixius arbiter inter Andream de Borghixinis ex una parte et Nicolaum et Bentivoglum de Bentivoglis, fratres, ex altera, arbitrium hac die pronunciat (3).

XV. MCCCXVII. In VIII. lib. *Statutorum* inter alia cautum erat, ne quis seu civis seu exterus doctor legere publice permitteretur, nisi prius iureiurando promitteret nuspiam se nisi Bononiae lecturum: utque Potestas curaret iusiurandum hoc ab dominis omnibus praestari, statutum illud a Clemente V. fuerat dispensatum. Rursus in Consilio populi habito de mense novembri anno MCCCXII. scitum est, ne Statutum illud valeret, imo ut omnino antiquaretur. Ab huius antiquationis tempore Rectores Universitatis fuerant in pacifica possessione illius pontificii privilegii et populi sciti. Ad cuius possessionis maius robur et firmitatem, petit nunc eorumdem Rectorum procurator, ut rursus statutum illud nullum et vanum declararetur. Consulti sunt ea de re Bliobarixius Azzoguidus et Petrus de Cernitis; uterque respondit, videri sibi neque Potestatem neque Doctores eo Statuto amplius teneri. Itum est in eorum sententiam (4).

XVI. MCCCXVIII., XXII. martii. Bliobarixius instrumentum pacis componit inter Comune bononiense et mutinense.

XVII. MCCCXVIII., XXXI. maii. Bliobarixius, una cum Macagnano II. fratre, electus in comissarium testamentarium a patruo Macagnano I. (5)

XVIII. MCCCXIX., penultima die martii. Consilio partis Ecclesiae et Jeremiensium additio facta erat de mense decembri superioris anni: hoc est complures alii viri erant in id Consilium adlecti per Magistratus. Inter huiusmodi electos principem obtinet locum pro regione sancti Petri Bliobarixius de Azzoguidis legum doctor (6).

XIX. MCCCXIX., VII. septembris. Tria Consilio Populi proponuntur: I. Quid placeat decernere circa literas a Communi Paduae acceptas. II. Quid circa postulata legatorum mutinensium et circa literas missas a Bertono de Tempuli defensore Montaneae, et persecutore bannitorum. III. Tractandane sint quaedam sollicite, fideliter et sapienter per varios magistratus et sapientes infrascriptos, non tamen nisi eis ex consensu populi et iudicio Anzianorum etc. libera concedatur auctoritas ea tractandi et executioni mandandi, quae crediderint ad bonum publicum expedire. Sapientium nomina haec sunt:

D. Bliobarisius de Azzoguidis, D. Bornius de Samaritanis,
D. Ugolinus de Liazariis, D. Nicolaus de Bentevoglis,

(1) *Sic.*
(2) Ghirardatius, tom. I., pag. 587. Ex *Lib. Ref.* †, fol. 31, 32, 33.
(3) Ex *Mem. Marchini quondam Joannini Jordani.*
(4) *Lib. Ref. A* †, fol. 42.
(5) Vide in *Macagnano I.*, § II.
(6) *Lib. Ref. A* †, fol. 82.

D. Romeus de Pepolis, D. Matthaeus Johannis Specialis,
D. Johannes de Mezzovillanis, D. Nicolaus de Magnanis . . . . . (1)

XX. MCCCXX., XIV. aprilis. Compromissum in Bliobarixium et Jacobum de Butrigariis legum doctores (2).

XXI. MCCCXXII., X. novembris. Bliobarixius de Azzoguidis legum doctor, Minus de Regio jurisperitus, Johannes domini Jacobi Baratarii, Joannes Andreae de Senis decretorum doctor, praesentes recognitioni privilegiorum, quae olim comiti Bertolocto de Ripa concessa fuerant (3).

XXII. MCCCXXIII., XV. iunii. Bliobarixius una cum aliis missus in Aemiliam ut mentem exquireret guelforum, ob falsos enim rumores magno in periculo civitas fuerat. Renunciarunt eos in fide perstare erga romanam Ecclesiam, nihilque ab iis esse metuendum (4).

XXIII. MCCCXXIV. Bliobarixius et Bornius Samaritanus in Romandiolam missi ad pacem procurandam inter comites de Cunio et optimates quosdam populosque flaminios, rem optime gesserunt (5).

XXIV. MCCCXXV., XII. martii. Ob priora testamenta Accursii, Francisci et Bartholomaei, magnae contentiones exortae etc. Vide celeberrimum compromissum factum in Bliobarixium et Jacobum de Buttrigariis (*De claris Profess.*, p. I., pag. 201).

XXV. MCCCXXV., XI. augusti. Joannes XXII. renuntiat Bliobarixio de Azzoguidis, nobili militi et juris civilis professori, se eius literas accepisse (6).

XXVI. MCCCXXV. Bliobarixius et Jacobus de Buttrigariis arbitri inter Joannem Gallutium et Franciscum de Accursiis (7).

XXVII. MCCCXXVI., XXII. ianuarii. Celebratur, confirmatur et promulgatur Mutinae pax cum Passerino Bonacolsi tyranno Mutinae.

Iverunt legati bononienses Bliobarixius Azzoguidius, Jacobus Artenisius, Thomas Formaglini, Bambagliolus de Bambagliolis, Joannes Bonvicinus (8).

XXVIII. MCCCXXVI., XXX. iulii. Aliae litterae summi Pontificis Joannis XXII. ad Bliobarixium et Bornium Samaritanum, quibus eorum studium in Ecclesiam laudat, et ad strenue prosequendum hortatur (9).

Plura contra Lambertaccios hoc anno decreta sunt, quibus interfuit tanquam Sapiens Bliobarixius (10).

XXIX. MCCCXXVI. Dux Calabriae Carolus, filius Roberti regis, electus a Florentinis fuerat dominus Florentiae ad decennium. Cum igitur ille cum uxore sua Maria in Etruriam pervenisset et Senas die X. iulii accessisset, ibique rogatu Senensium constitisset ad discordias componendas inter amplissimas familias Salimbenam et Tholomaeam, eo Florentini et Bononienses legationes suas ad Carolum invisendum et de adventu gratulandum miserunt. Senis pacatis rebus, profectus Carolus est Florentiam, pervenitque die XXX. iulii eiusdem. Eo rursus, eademque de caussa, eosdem legatos

(1) *Lib. Ref. B*, fol. 235.
(2) *Mem. Jacobi quondam Zenzonis Melizo*, f. 35 v.
(3) *Reg. Gross.*, t. II., f. 8. Vid. in hoc vol. pag. 201 et 202.
(4) In *Lib. Reform. C*, c. 442.
(5) Negri, *Annal. mss.* ad hunc annum et Ghirard., t. II, pag. 56.
(6) *Gymnasii Bonon.*, *Monumenta* n. 83-LXXVIII.
(7) Ex *Mem. Guidonis quondam Ugolini de Guerciis*, fol. 21, 22, 23, 25 v. et 26.
(8) Negri ad hunc annum, et Ghirard. t. II., pag. 64.
(9) *Gymnasii Bonon.*, *Monum.* n. 83-LXXXV.
(10) Ghirard., t. II., pag. 73.

miserunt Bononienses cum ornatissimo et florentissimo comitatu (1). Fuerunt porro legati bononienses in utraque legatione, ex Negrio:

Beccadinus Beccadelli,	Guillelmus Foscararius in I.ª legatione,
Bliobarixius Azzoguidus,	nam ei in II.ª substitutus est
Bornius Samaritanus,	Aegidius Foscherarius,
Eganus Lambertinus,	Musottus Sabbadinus,
Guiduccius Boattierius,	Petrus Gallutius.

Meminit etiam huius legationis et eosdem legatos nominat *Miscella bonon.*, tom. XVIII. *Rer. Ital.*, col. 341. Hoc a Negrio discrepat, quod hic duas ponit, primam Senas, alteram Florentiam; *Miscella* vero unam dumtaxat Florentiam.

XXX. MCCCXXVII., V. februarii. Cum hac die Bononiam esset ingressurus Bertrandus a Pogetto, cardinalis ostiensis, pontificius Legatus, obviam eidem prodiit magna hominum multitudo cum carroccio. Trahebatur hoc a quatuor bobus scarlatto coopertis, qui a duobus bubulcis eadem indutis veste ducebantur. Bini ex singulis tribubus optimates carroccio vehebantur:

Bliobarixius Azzoguidus (2) Franciscus degli Azzari	ex Piera,
Nicolaus Bacilierius Vianisius Bacilierius	ex Stieria,
Joannes Gallutius Paulus de Oddofredis	ex Procula,
Franciscus Lambertinus Petrus de Basciacomatribus	ex Ravegnana.

Reliquam totius ingressus pompam latissime persequuntur *Historia Miscella bonon.*, t. XVIII. *Rer. Ital.*, col. 343, et Negrius, *Annal. mss.* ad hunc annum.

XXXI. MCCCXXVII., XVII. maii. Bliobarixius ad agrum emendum procuratorem suum facit Minacium de Guerardis (3).

XXXII. MCCCXXVIII. In Jacobo Belvisio (pag. 298), Bliobarixius cum aliis a Bertrando Legato electus ad internoscenda proscriptorum bona et sua cuique restituenda.

XXXIII. MCCCXXVIII. Imolenses rogarant Beltrandum cardinalem, ut ad se diverteret, tum ut acciperet iuramentum fidelitatis, tum ut intestinas discordias sedaret. Eo proficiscens, viros XX. rerum gerendarum peritissimos, quorum consiliis uteretur, ducere secum voluit. Profectus autem est non die IX. martii, ut ait Negrius ad hunc annum, sed IX. maii, ut habet *Miscella bon.*, col. 349. Eorum virorum princeps erat Bliobarixius Azzoguidus: reliquorum nomina vide apud eundem Negrium, tum apud Ghirardatium, t. II., pag. 85.

XXXIV. MCCCXXX., VI. martii. Bona quaedam obligata *nobili militi Bliobarixio de Azzoguidis legum doctori* (4).

XXXV. MCCCXXX., XXX. aprilis. Compromissum in Bliobarixium et Macagnanum de Azzoguidis legum doctores absentes (5).

(1) Narrantur haec omnia et late describuntur a Negrio *Annal. mss.* ad hunc annum, cui plane congruunt ea quae Muratorius affert ad eumdem annum, t. VIII. *Annal. d' Ital.*, pag. 148, 149.

(2) Ait Ghirard., t. II., pag. 7, Bliobarixium hoc mense Anzianum fuisse.

(3) Ex *Memorialibus Gullielmi Bernardini Grassi*, fol. 59.

(4) Ex *Mem. Tettalaxini quondam D. Jacobi de Flamenghis*, fol. 49.

(5) Ex *Mem. eiusdem Tettalaxini*, fol. 28.

XXXVI. MCCCXXX., XXIV. maii. Iidem Bliobarixius et Macagnanus arbitri in variis causis (1).

XXXVII. MCCCXXXII., XXV. iunii. Thomas (2), filius Bliobarixii de Azzoguidis legum doctoris, praesens fuit instrumento curae etc. (3)

XXXVIII. MCCCXXXII., XXV. augusti. Nicolaus filius Bliobarixii arbiter in quadam caussa, et vocatur iurisperitus (4).

XXXIX. Obiit ergo Bliobarixius intervallo a XXV. augusti ad II. decembris MCCCXXXII.

XL. Hinc falluntur Negrius ad annum MCCCXXXIV. et Ghirardaccius, tom. II. pag. 111, dum inter eos qui eo anno a Legato Cardinali in custodia detinebantur, et libertati deinde donati sunt, ponunt Bliobarixium de Azzoguidis.

XLI. MCCCXXXII., II. decembris. Thomas, Nicolaus, Macagnanus et Gregorius, filii et haeredes *olim* Bliobarixii de Azzoguidis, numerant Thaddaeo Pepulo eiusque filio Joanni lib. DC. in dotem Ghixae illorum sororis, quae eidem Joanni Pepulo nupta erat (5).

XLII. MCCCXXXII. Fuit hoc anno ad cardinalatum evectus Almericus de Castel Liuccio, gallus, archiepiscopus Ravennas et Flaminiae praefectus. Praefecturam hanc Pontifex ad Beltrandum legatum deferre volens, Almericum in Galliam revocavit, assignato ei Episcopatu carnotensi. Beltrandus, quo maiore cum auctoritate et decore apud Flaminios novus Praefectus compareret, simul ut pro rerum opportunitate viros prudentes apud se, quos consuleret, haberet, a magistratibus petiit ut eorum certum numerum sibi designarent. Designati sunt XL., ex singulis tribubus X. Primus ex tribu Piera Bliobarixius: reliquorum nomina vide apud Negrium, *Annal. mss.*, ad hunc annum, et apud Ghirardaccium, t. II., pag. 103 (6).

XLIII. Sepultus est Bliobarixius in claustro sancti Dominici, ubi haec leguntur: *Sepulchrum nobilis militis domini Buobarigi de Azzoguidis legum doctoris, qui obiit anno Domini MCCC . . . .* (7)

Ex superiore § XXXIX. constat obiisse anno MCCCXXXII.

(1) Ex *Mem. Tettalaxini*, fol. 40.

(2) Hunc esse arbitror Thomam illum Azzoguidum celeberrimum doctorem, cuius mentio fit in *Bibliotheca Ghisiana*, cod. 503; in qua ad annum MCCCXXXII., fol. 23, sic legitur: *Quaestio domini Thomae de Azzoguidis « De iure Civitatum Italiae imponendi onera civibus suis, et de exemptione cuidam Castro a Legato Apostolico concessa ». Bibl. Instit*, aula II., caps. 50, n. 34, IX-A. 6. Eius etiam meminerunt Alidosius fol. 216, Bumaldi 217, Orlandi 251, Mazzucchellus vol. I., p. II., pag. 1290. In duobus autem, quae de eo commemorat, falli credo Alidosium, primum, quod eius doctoratum ad ann. MCCCXL. refert; nam *Bibliotheca Ghisiana*, cui magis fidendum arbitror, refert ad annum MCCCXXXII. alterum, quod *Thomam filium Gregorii* appellat; nam per id tempus nullum fuisse constat *filium Gregorii Thomam* nomine; constat autem fuisse filium Bliobarixii. Addit praeterea Alidosius Thomam hunc, *celebrem fuisse doctorem; fuisse de Collegio Judicum, et multas scripsisse Quaestiones, quae a Petro Ancarano et a Nello de Sancto Geminiano citantur.* Mazzuchellus (loc. cit.) suspicatur, lapsum fuisse Fontanam, dum (in *Biblioth. Legali*, vol. I., col. 52), eas Quaestiones *typis impressas* putat, editionisque meminit sub hoc titulo: *Thomae de Azzoguidis Quaestiones Juridicae per Petrum de Ancarano, et Hellum* (lege *Nellum*) *de Sancto Geminiano revisae. Venetiis, MDLXXX., in fol.* Cur ita suspicatus fuerit Mazzuchellus nescio. Quamquam enim ego hanc editionem reperire non potuerim, tamen vix adduci possum ut credam eam tot notis verae editionis, loci videlicet et temporis et magnitudinis a Fontana designari potuisse, nisi illa reipsa facta fuisset. Huius etiam Thomae meminit Franciscus Argelatus in oratione *De praeclaris Juriscons. bonon.*, pag. IX. et X. per haec verba: *Thomas vero Azzoguidus quis nescit quantum fuerit a Petro Ancarano, atque a Nello de Sancto Geminiano . . . . commendatus ob copiosam eius facundiam in docendo, apertissimam elegantiam in esponendo, atque acerrimam subtilitatem in refellendo?* De hoc Thoma nihil amplius apud auctores reperire potui.

(3) Ex *Mem. Gullielmi quondam Bernardini Grassi*, fol. 118.

(4) Ex *Mem. Jac. Albergipti de Papazonibus*, f. 450.

(5) Ex iisdem *Mem.*, fol. 16.

(6) Meminit etiam horum, *Memorial. Histor. Matthaei de Griffonibus*, t. XVIII., *Rer. Ital.*, col. 147, ubi Legati profectionem in Flaminiam ponit die X. martii; contra ac Negrius qui eam fuisse ait XXIV. februarii.

(7) Alidos., pag. 43.

FILII BLIOBARIXII.

I. **Thomas**, de quo vide superius notam ad § XXXVII.

Nicolaus, cuius meminit Ghirardaccius, t. II. pag. 186, dum *Nicolaum de Azzoguidis, equitem,* inter eos recenset qui anno MCCCXLVII. morti Thaddaei Pepuli interfuerunt. Nam alter Nicolaus Azzoguidus filius Macagnani I., anno MCCCXX. mortuus iam erat.

Macagnanus. Huius acta vide descripta inferius in *Macagnano III.*

Gregorius, de quo loqui existimo Ghirardaccium t. II. pag. 204, dum illum inter eos nominat qui anno MCCCL. venditionem Bononiae, factam Archiepiscopo mediolanensi a Jacobo et Joanne [de] Pepulis, improbarunt (1). Item dum anno MCCCLXV. Gregorium de Azzoguidis publice legisse ait, t. II. pag. 289.

Ghixa filia, Joanni Pepulo nupta. Vide sup. § XLI.

Ghirardatius, t. I. pag. 573, meminit Petri cuiusdam filii Bliobarixii, qui cum Bonifacio Gallutio aliisque Antianorum decreta quaedam corrigeret. Sed falli illum credo; nam neque usquam alibi, neque ab ipso neque ab aliis eius fit mentio, neque § XLI. *Bliobarixii* omitti debuisset; praesertim cum iam ab anno MCCCXIV. *doctor legum* dicatur a Ghirardatio.

Inveni postea Ghirardatium plane errasse. *(Ad Bliobarixium I.um, § II.)*

MACAGNANUS II.

I. MCCXCVII. Thomas Ramponus factus praetor Mediolani, rogavit Senatum, ut eius voluntate liceret sibi honoris et consilii caussa ducere secum, et Mediolani toto praefecturae tempore retinere, viros quosdam nobiles bononienses (2), quos inter fuit *Macagnanus Gregorii de Azzoguidis* (3).

II. Constat ex *Lib. Ref.* Macagnanum hoc anno legisse. Id autem non ad Macagnanum I. sed ad II. pertinere inde ego colligo quod de primo nusquam constat fuisse doctorem, aut iis negotiis fuisse adhibitum quae doctoratum postularent. Secundum autem ea iam hoc tempore fuisse aetate, ut a lectura non abhorreret ex iis quae mox dicemus manifestum fiet.

Ex iis quae tanquam ad *incertum Macagnanum pertinentia* in folio separato A annotavi, huc illa erunt transferenda, quae nostro huic convenire iudicabuntur.

III. MCCCXVIII. Fit cum Bliobarixio fratre commissarius testamentarius a Macagnano I. (4)

(1) Vid. in *Thaddaeo Pepulo,* § XXI.

(2) Negri ad hunc annum et Ghirard. t. I. pag. 372, ex Lib. B, fol. 17 et 18.

(3) Statim ex hoc numero patet Alidosium et eum sequutos Bumaldum et Orlandum, et Konigium praepostere, notasse tempora Macagnani II. et III.: dum hunc doctorem factum dicunt anno MCCCIX. (vid. in *Macagnanum III.* § 1), illum autem MCCCLXX.: qua de caussa Orlandus secundum Macagnanum *iuniorem* appellat. Franciscus Argelatus in *Oratione de praeclaris Jurisconsultis bononiensibus habita in Archilicaeo pridie idus novembris MDCCXLVIII.,* ait, pag. X., nostrum hunc *Macagnanum Gregorii filium* (quem male ut Orlandus *iuniorem* vocat) postquam iuris scientiam in Archigymnasio publice tradidisset, *in Perusina Civitate Praefecti vices Marchiae cum laude gessisse.* Unde id sumpserit Argelatus nescio: ego certe rei huius nuspiam ne vestigium quidem reperi.

(4) Vide in *Macagn. I,* § I.

IV. MCCCXX. Venerabilis frater Prosper, Ordinis Eremitarum, magister in sacra theologia, et Macagnanus de Azzoguidis, legum doctores, arbitri fuere in quadam controversia, quae erat inter Franciscam quondam domini Montenarii et Jacobum quondam domini Matthaei de Blanchittis.

V. MCCCXXI., XXIII. octobris. Solutio decernitur Macagnano *Legum Doctori*, qui cum duobus aliis Venetias legatus iverat *pro concordia facienda inter Comune Bonon. et Comune Venetiarum,* decemque, ultra constitutos sibi, dies ibi commoratus fuerat (1).

VI. MCCCXXI. Macagnano de Azzoguidis datum fuit ex S. C. negotium de Universitate instauranda, quod quidem suscepit una cum aliis illorum temporum illustribus dominis Petro de Cernitis, Joanne Andreae, Jacobo de Butrigariis (2).

VII. MCCCXXII. Macagnanus delectus ad consulendum an Thomas Carnelvarii esset de domo de Pritis (3).

VIII. MCCCXXIV., XVII. novembris. Macagnanus quondam domini Gregorii (4) de Azzoguidis, legum doctor, praesens fuit codicillis Ghiberti etc. (5)

IX. MCCCXXV., XXVII. ianuarii. Macagnanus de Azzoguidis *nobilis vir et sapiens legum doctor, civis bonon.,* absens, fuit electus arbiter inter Soldanum de Galutiis et Guidonem Semipizzoli (6).

X. MCCCXXV., XXIX. ianuarii. Macagnanus olim domini Gregorii de Azzoguidis, legum doctor, filiam suam Bittinam in matrimonium collocaverat Dino d'Argelata, dotemque dederat libras CCCC. Mortua Bittina, Dinus Macagnano restituit libras CC.; quas se accepisse testatur nunc Macagnanus, et Dinum a tota dote liberat (7).

XI. MCCCXXV., XXVII. martii. Macagnano de Azzoguidis et Aegidio Foscarario, una cum aliis Sapientibus delectis ad defensionem et pacificationem montaneae, decernuntur C. equites et pedites in ea Societate (8).

XII. MCCCXXVI., VI. octobris. Macagnanus, legum doctor, arbiter inter Matthaeum de Centanelle et Fantolinum quondam Adhelardi etc. (9)

XIII. MCCCXXVIII., VIII. iulii. Cum lis maxima circa haereditates verteretur inter Nicolaum de Castro Sancti Petri et Gerardinum de Albellis de Sanardia, electi in arbitros fuerant Vianesius de Pascipauperis, legum doctor, et Jacobus de Tederixiis, jurisperitus. His inter se dissentientibus, tertius secreto est additus, cuius nomen charta obsignatum positum est in sacristia sancti Michaelis in Bosco. Charta reserata, repertus est Macagnanus. Erat lis impeditissima: itaque ne tum quidem arbitri consentire potuerunt. Cum viderent partes non aliter liti finem impositum iri, nisi uni dumtaxat arbitro res tota committeretur, omnibus arbitrium abrogant: tum ad unius illius electionem devenientes, in Macagnanum consentiunt. Actum in domo eiusdem Macagnani (10).

XIV. MCCCXXVIII., XII. iulii. Macagnanus rursum arbiter inter Rodulphum quondam Andreae de Crespellano et Minum de Thebaldis (11).

(1) *Lib. Ref. C.*, pag. 72 v.

(2) In *Petro de Cernitis,* tom. I., pag. 304.

(3) Vid. in *Brandalisio Gozzadino,* tom. I., § III., pag. 287.

(4) Fuerat hic Gregorius de Consilio octingentorum anno MCCXCII. Ghirard., t. I, pag. 296.

(5) Ex *Mem. Nicolai quondam Thomaxii de Querciis,* fol. 45 v.

(6) Ex *Mem. Francisci Valentis de Papazzonibus,* fol. 5.

(7) Ex *Mem. Sancti Ugolini Sancti,* fol. 6 v.

(8) *Reform.,* lib. V., c. 291 r.

(9) Ex *Mem. Nicolai Francisci de Magliavaca,* fol. 61.

(10) Ex *Mem. Alberti Bartholomaei de Tolomeis,* fol. 1.

(11) Ex *Mem. Ugolini Henrigipti de Querciis,* fol. 8.

XV. MCCCXXVIII., VIII. augusti. Joanna filia Macagnani quondam Gregorii de Azzoguidis nupserat Antonio de Gallutiis, filio Ubaldini. Fatetur ergo nunc Antonius se dotis nomine accepisse a Macagnano libras DCCC. (1)

XVI. MCCCXXVIII., XXVI. augusti. Macagnani quondam Gregorii uxor Belda, filia quondam Giberti de Monferario, testatur, marito praesente, se a domino quodam Bittino libras CCC. accepisse (2).

XVII. MCCCXXIX., VIII. februarii. Macagnanus nepotem habebat Minarinum filium quondam Mini de Azzoguidis (3). A tempore quo hic obierat ex redditibus bonorum Minarini pervenerant in manus Maccagnani librae circiter CCC., quas hic in suo testamento Minarino legaverat. Iam cum debiti huius partem, nempe libras CCX., solvere decrevisset Macagnanus, agri partem tanti aestimatam Minarino dedit (4).

XVIII. MCCCXXX., VII. martii. Macagnanus de Azzoguidis et Jacobus Buttrigarius arbitri inter Beccadellum de Beccadellis et Dexium de Marzaloliis eiusque filium Duzolum (5).

XIX. MCCCXXX. Bis arbiter factus Macagnanus simul cum fratre Bliobarixio (6).

XX. MCCCXXXII. Belda, uxor nobilis militis Macagnani de Azzoguidis, legum doctoris, locationem quamdam facit, marito praesente, et in huius domo (7).

XXI. MCCCXXXIV., X. novembris. Bartolus (8), celeberrimus ille jureconconsultus, hac die doctorali laurea donatur. Eius examinatores fuerunt:

Joannes Calderinus, decretorum doctor, vicarius Archidiaconi,
Philippus de Foscarariis,
Jacobus Belvisius,
Petrus de Cernitis,
Franciscus de Liazariis: atque hic non solum proprio nomine, sed nomine etiam Macagnani de Azzoguidis et Thaddaei Pepuli, qui id ipsi commiserant.

Tum Raynerius de Forlivio,
Petrus de Bompetris pro se et pro Thoma de Formaglinis,
Laurentius } de Butrigariis,
Bartholomaeus } de Butrigariis,
Philippus de Formaglinis.

Actum in ecclesia cathedrali sancti Petri per Jacobinum Petri Angelelli publicum imperiali auctoritate notarium (9).

XXII. MCCCXXXVII. Inter eos qui in celeberrimo processu pepuliano (10) citari iubentur a pontifice Benedicto XII., est *Macagnanus de Azzoguidis antiquior legum doctor*. Haec autem in solum Macagnanum II. cadere possunt. Nam Macagnanus I. ab

(1) Ex *Mem. Bombologni Dominici Petri*, fol. 1 r.

(2) Ex *Mem. Albertini quondam Gerardi de Plastellis*, fol. 10 v.

(3) Hunc esse arbitror *Minum illum Legum doctorem filium Mini de Azzoguidis*, qui inter eos, qui morti Thaddaei Pepuli interfuerunt anno MCCCXLVII., a Ghirardatio recensetur, t. II., pag. 186. Nam *Minarinum* nihil aliud esse puto nisi diminutivum *Mini*. Eumdem hunc designari puto apud Negrium in *Annal. mss.* dum inter eos qui anno MCCCXXX. doctoratum adepti sunt, ponitur: *Minus, Azzoguidus cognominatus, sapiens et eloquens Doctor. Fuit in Collegio canonico et civili.*

(4) Ex *Mem. Bolognitti quondam Matthaei olim Bolognitti*, fol. 17 v.

(5) Ex *Mem. Tettalaxini quondam D. Jacobi Flamenghi*, fol. 18.

(6) Vid. in *Bliobarixio*, § XXXV. et XXXVI.

(7) Ex *Mem. Petri Francisci de Puteo.*

(8) Videndum hac de re in *Jacobo Belvisio*, § XVI. et XVII., pag. 299.

(9) Extat hoc documentum apud Joannem Paulum Lancellotum in *Vita Bartoli*, c. 6, qui desumptum ait ex originali publico et authentico quod Perusiae asservatur.

(10) Vide in hoc vol., pag. 141.

anno iam MCCCXX. mortuus erat (1); Macagnanus vero III. neque doctor fortasse erat, cum talem revera aliquando fuisse nusquam constet; neque *antiquior* appellari poterat, annos scilicet natus XXVI.

XXIII. Quae deinceps annis insequentibus usque ad MCCCXLVII. de Macagnano reperiuntur tum in tabulis publicis tum apud auctores incertum est num ad II. pertineant, num ad III. Quaenam sint haec, et cur incerta, vide in fol. B. Ex quibus deinde statuendum erit, quem in annum circiter incidat mors nostri huius Macagnani II. (2)

MACAGNANUS III.

I. MCCCXXXI., I. augusti. Litterae Joannis XXII. ad Bertrandum ostiensem, apostolicae Sedis Legatum, quibus eidem iniungit ut Macagnano de Azzoguidis, Bliobarixii filio, licentiato in legibus, conferat plebanatum Plebis collegiatae sancti Martini in Petriolo, bononiensis dioecesis, nisi ante diem datarum literarum collatus iam alteri cuipiam erit. Et quoniam eo tempore Macagnanus XX. dumtaxat aetatis annum agebat, facultatem largitur cum eo dispensandi ut plebanatum adire possit, modo cum ad integram aetatem pervenerit, ordines sacros suscipiat (3).

Erat igitur natus Macagnanus anno MCCCXI. Ex quo patet error Alidosii qui, pag. 167, eum biennio ante, nimirum anno MCCCIX., ad doctoratum promotum dicit. Eum in hoc errore sequuti sunt Bumaldus, seu Montalbanus, *Biblioth. bon.*, pag. 159, Orlandus, *Notizie degli scritt. bologn.*, pag. 203, aliique. Sed ego Alidosium praecipue miror, qui cum Bliobarixii doctoratum eodem anno MCCCIX., falso licet, posuisset, inverisimilitudinem in eo non vidit, quod eodem anno filius eodem ac pater honore donaretur.

II. MCCCXXXII., II. decembris. Macagnanus una cum fratribus dotem sororis Ghixae solvit Joanni Pepulo (4).

III. MCCCXXXIX. Thaddaeus Pepulus causas duas appellationis committit Macagnano Bliobarixii filio. Ergo vixit saltem annos XXVIII.

IV. Videre cuperem hoc instrumentum. Nam si in eo Macagnanus *doctor* appellaretur, magnum robur accederet iis coniecturis quas in fol. B, praesertim § VII., proposui. Interea hanc notam subiungo:

NOTA.

V. Apud Alidosium (5) et apud Negrium in *Annal. mss.* reperio *Azzoguidum filium Bliobarixii* promotum ad doctoratum fuisse anno MCCCXXXIV. Sine dubio hic error est. Nam vel ille non appellabatur simpliciter *Azzoguidus*, cum nullus revera fuerit Bliobarixio filius tali nomine, nam oportebat ut ille cum aliis (6) nominaretur, natura rei de qua ibi agebatur id postulante; vel si reipsa *Azzoguidus* vocabatur, ille non filius *Bliobarixii* dicendus erat sed Macagnani I., cui filium fuisse tali nomine certo constat(7). Suspicor igitur *Azzoguidum* hic non nomen esse sed cognomen Macagnani III., atque illos auctores, in reliquis non admodum diligentes, hic nomen omisisse. Moveor autem ad id suspicandum, quia cum plane sim persuasus Macagnanum nostrum doctoratum reipsa suscepisse (8), video illum anno circiter MCCCXXXIV. suscipere debuisse, vel saltem circa hunc annum aptissime cadere potuisse.

(1) Vide in eius Actis, § II.
(2) Vide ibid., § VI.
(3) *Monum. Civ. Bon.*, n. 83-XCIX.
(4) Vid. in *Bliobarixio,* § XLI.
(5) *Dott. bol.*, pag. 7.
(6) In *Bliobarixium,* § XLI.
(7) Vid. *Macagn. I.*, § I. et III.
(8) Vide in fol. B, § VII.

Alidosius, et ex eo Bumaldus, Orlandus, Konig, etc. legationem quandam huius Macagnani ad Joannem XXII. commemorant. Eam ego valde suspectam habeo, I.° quia *Miscella bononiensis* et Ghirardatius, qui in annotandis legationibus diligentissimi solent esse, de hac omnino silent. II.° quia, cum Joannes XXII. obierit anno MCCCXXXIV., oportuisset ut ad eum missus fuisset Macagnanus annum agens ad summum XXII. vel XXIII., quod non est admodum verisimile. Itaque probabilius iudico, si quam ille legationem obiit, eam non ad Joannem XXII., sed ad eius successorem Benedictum XII. (de qua vide, fol. B, § 1), obiisse. Addit Argelatus, in *Oratione de Praecl. Juriscons. Bonon.*, pag. X., Macagnanum hunc, quem falso *seniorem* vocat, cum apud Joannem XXII. *orator esset, ab eodem fuisse Aulae Cancellariae Avenionensis dignitate insignitum*. Huius rei neque ille Auctorem ullum affert, neque ego invenire potui: itaque ob ea quae mox dixi falsam puto.

VI. Quae hic fortasse erunt adjungenda vide in folio B. Ex illis statuendum erit, utrum Macagnani aetas ultra annum XXVIII. sit producenda, an non. Sed utrumque fiat, illud constare debet scriptores omnes cum domesticos (1) tum externos (2), falsos fuisse dum *Macagnanum Bliobarixii filium* anno aetatis XXV. decessisse tradunt.

Ex Actis Azzoguidorum (3) constat I.° tres fuisse Macagnanos: primum filium Azzoguidi de Azzoguidis (4), secundum filium Gregorii de Azzoguidis (5), tertium filium Bliobarixii de Azzoguidis (6).

Constat II.° Macagnanum I. obiisse intervallo a medio anno MCCCXVIII. ad MCCCXX. (7) adeoque quae deinceps acta Macagnani occurrunt, non ad hunc I., sed ad alios pertinere.

Constat III.° Macagnanum II. et Bliobarixium nepotes fuisse Macagnani I. (8) et quidem fratres eodem patre genitos, nimirum Gregorio de Azzoguidis (9).

A.

AD INCERTUM MACAGNANUM, SCILICET VEL I. VEL II. PERTINENTIA.

I. Ea omnia quae sub postremis Macagnani I. annis, hoc est ab anno MCCXCVII. usque ad MCCCXX., de Macagnano dicuntur, nisi uni cuipiam nominatim tribuantur, dubitari iure potest, num ad I. num ad II. sint referenda. Nam et uterque erat Macagnanus et uterque de Azzoguidis, et uterque ea aetate quae ab iis muneribus et officiis non abhorreret. De Macagnano I. nulla potest esse dubitatio: neque item de II., ut ex eius *Actis* § I. et II. manifesto constat. Arbitror tamen, ubicunque occurrat Macagnanum doctorem appellari, acta illa non primo sed secundo esse tribuenda: nam omnino in ea sum sententia Macagnanum I. nunquam doctorem fuisse (10).

(1) Alidos., *Dott. bol.*, pag. 167. Bumald., *Biblioth. bon.*, pag. 159. Orland., *Notiz. degli Scritt. bol.*, pag. 203.

(2) Pancirol., *De claris leg. interpr.*, lib. II., c. 65. Bald., in Leg.: *assiduis*, in ultima col., C. *qui potiores in pignor. habeantur*. Diplovatac., pag. 214. Mazzuchel., *Gli scritt. d' Italia*, vol. I., p. II., pag. 1290, ex Gazzalupi: *Hist. Interpr. et Glosat.*, pag. 507.

(3) Ghirardatius alterius meminit Macagnani, qui anno MCCCLXXVI. fuerit de Consilio D. (t. II., pag. 352) proximo vero MCCCLXXVII. in carcere occubuerit (pag. 363). Sed iste Doctor non fuit, adeoque cum superioribus confundi non debet, praesertim cum Macagnano III.

(4) Vide in *Macagn. I.*, § I. et II.

(5) Vide in *Macagn. II.*, § I., VII., etc.

(6) Vide in *Macagn. III.*, § I., III., et in *Bliobarixio*, § XLI.

(7) In eius Actis, § I et II.

(8) In huius Actis, § I.

(9) *Macagn. II.*, § I., VII., etc., et in *Bliobarixio*, § V., etc.

(10) Vid. *Macagnanum I.*

II. MCCCX. Inter eos qui cardinalem Pelagruam decedentem, honoris caussa comitati sunt, fuit Macagnanus de Azzoguidis. Cum autem ibi neque pater huius Macagnani nominetur, neque ipse *doctor* dicatur, merito potest dubitari, utrum de I., an de II. sermo sit. Ghirardatius, t. I., pag. 545, honorem hunc Macagnano II. tribuere videtur; nam etsi in corpore historiae *Macagnanum de Azzoguidis* simpliciter scribat, uti reipsa in nostro authentico documento scriptum est, tamen in indice sub hoc titulo *Macagnanus Gregorii de Azzoguidis*, honorem istum tanquam ad ipsum pertinentem ponit.

III. MCCCXI., mense martio. Cum Henricus imperator in Italia versaretur, Bononienses postquam omnia sua castella rite munierunt, legatos tres ad regem Robertum miserunt, qui eidem urbis praefecturam offerrent. Ille, laudata optima erga se Bononiensium voluntate, praefecturam tamen, gravissimis aliis negotiis occupatus, recusavit. Fuerunt legati Macagnanus de Azzoguidis *legum doctor*, Bonapars Joannis de Ulmedula et Rolandus Casottus [1]. Rem hanc, ob ea quae supra dixi § I., ad Macagnanum II. pertinere puto.

IV. MCCCXII., III. octobris. Eliguntur Sapientes XX., quibus una cum magistratibus negotium datur constituendi quidquid expedire iudicaverint pro recuperandis bonis Communis Bononiae, colligenda pecunia, reficiendis fortalitiis, solvendo militibus stipendio occasione vitae et processus regis Romanorum eiusque sequacium rebellium sanctae romanae Ecclesiae:

Ex tribu Piera

Macagnanus de Azzoguidis, legum doctor,
Franciscus de Gatto, iudex.

Ex Stiera

Romaeus Pepulus.

Ravegnana

Petrus } de Lambertinis,
Eganus }
Gozzadinus de Gozzadinis.

Etiam haec ad Macagnanum II. arbitror pertinere, nam dicitur doctor [2].

Cum Henricus VII. post acceptam Romae coronam Imperii, a profugis Etruscis accersitus Florentiam obsideret, socii omnes Florentinorum auxilia ipsis miserunt contra Henricum, nominatim vero Bononienses equites CD. et pedites M. [3] His igitur militibus ut satisfieret electos arbitror Sapientes de quibus in hoc instrumento.

V. MCCCXV., XXVIII. octobris. Eligunt Anziani Consilium Sapientum L., et Capitaneos magno numero. In his postremis fuit Macagnanus Azzoguidus: qui cum doctor non dicatur. fortasse fuit I. [4]

VI. MCCCXXI., IX. octobris. Macagnano datum negotium a Bononiensibus componendae litis [5], quae pro represaliis orta erat inter ipsos et Venetos, et princeps fuit legationis ad ipsos Venetos pro ineunda concordia ut constat ex *Lib. Ref.* [6]

(1) Ghiraradccius, t. I., pag. 552, ex *Lib. Prov.* †, fol. 12 et 14.

(2) Vide sup., § I.

(3) Joann. Villani, lib. IX. Ghirardaccius, tom. I., pag. 559.

(4) Ghirard., t. I., in Indice verbo *Fattione Ghibellina*, ubi instrumentum inseritur, quod extractum dicitur ex *Libro Ref.* †, fol. 26, 27.

(5) In *Vit. Azzoguidor.*, § II.

(6) « . . . *Item dominis Machagnano de Azzoguidis, doctori legum, domino Blaxio Manghavacha et domino Petro Montanarii ambaxatoribus Communis Bononie de-*

B.

AD INCERTUM MACAGNANUM, SCILICET VEL II. VEL III. PERTINENTIA.

I. MCCCXXXVIII. Paulus de Liazariis, Macagnanus de Azzoguidis et Petrus de Bompetris, legum doctores, una cum Rolando Fantuzio syndico procuratore et nuncio speciali civitatis ad Pontificem (1) ad deprecandum crimen laesae maiestatis, etc.

Occasionem huic legationi dedit turpis electio Legati pontificii et totius reipublicae administratio ad Thaddaeum Pepulum civium consensione delata (2). Fuerat interdicta civitas de mense martio. Die XXVII. aprilis profecti fuerunt Avenionem oratores bononienses. De mense augusti reversus est Macagnanus: Liazarius Avenione restitit (3).

II. MCCCXXXIX. In instrumento protestationis de non admissione literarum apostolicarum, Macagnanus inter eos nominatur qui in palatio publico cum Thaddaeo erant, cum Guigio de Sancto Germano, nuncius pontificius, ad ipsum accessit, vocatus a Thaddaeo (4).

III. MCCCXLV. Delfinus viennensis X. octobris Bononiam venit (5). Die XVI. sacro interfuit ad sancti Dominici (6), quo peracto, equites fecit Jacobum et Joannem Pepulos, filios Thaddaei. Tum hi duo plures alios eodem honore donarunt, quos inter Macagnanum Azzoguidum (7), qui hunc honorem a Joanne accepit (8).

De hoc Delphini itinere actum est in *Taddaeo Pepulo,* tom. I., pag. 281, § XV.

IV. MCCCXLVII. Cum Maccagnanus Azzoguidus ex contagione, quae Bononiae hoc anno grassabatur, obiisset, Joannes Pepulus, equites fecit mense augusto duos eius parvulos filios Bliobarixium (9) et Thaddaeum; idque supra ipsum patris sepulcrum (10).

V. Haec, inquam, quemadmodum ad alterutrum Macagnanum pertinere certissimum est, ita ad utrum pertineant est omnino incertum. Nam, cum constet (11) Macagnanum illum qui ad Benedictum XII. orator est missus generum eiusdem Thaddaei fuisse, affinitati huic aeque in Macagnano II. repugnare videtur matrimonium cum Belda (12), ac in Macagnano III. beneficium ecclesiasticum, quo paucis ante annis erat a Joanne XXII. auctus (13). Video equidem utrumque hoc impedimentum dissolvi facile potuisse: in Macagnano quidem II. per mortem uxoris Beldae, in III. per liberam abdicationem beneficii; licebat enim id illi per aetatem; sed cum neutrum horum contigisse constet in eadem semper haeremus incertitudine.

VI. Alia praeterea dubitandi ratio haec est. Macagnanus ille, cuius in pepulianis processibus toties fit mentio, *doctor* erat *legum:* fuisse autem doctorem Macagnanum III.

stinatis ad Civitatem Venetiarum pro concordia tractanda et ordinanda inter Commune Bononiae et Commune Venetiarum super facto merchationum at etiam represalliarum que sunt inter dicta Communia, videlicet ipsi domino Machagnano ad rationem . . . » (Ex lib. *Reform. C,* c. 64).

(1) Vide superius pag. 98, doc. XL.

(2) Ibid. pag. 142.

(3) *Miscella bon.,* col. 376.

(4) Vide superius pag. 103 et seq., doc. LXIV.

(5) *Chron. bon.,* t. XVIII. *Rer. Ital.,* col. 393.

(6) Ghirard., t. II., pag. 170.

(7) *Chron. bon.,* ibidem.

(8) Negrius in *Annal. mss.* ad hunc annum.

(9) De solo hoc Bliobarixio verum esse potest quod Ghirardatius ait t. II., pag. 394; illum nempe anno MCCCLXXXII. mortuum fuisse. Nam alter Bliobarixius multo ante obierat, nimirum anno MCCCXXXII. (Vid. in *Bliob.,* § XLIII.)

(10) *Chron. bon.,* col. 402.

(11) Ex *Hist. Miscella bon.* tom. XVIII., *Rer. Ital.,* col. 374, ex Ghirardat., tom. II., pag. 136, ex Diplovat., pag. 214, ex Negrio ad annum MCCCXXXVIII., atque ex caeteris fere omnibus, qui de rebus Thaddaei Pepuli prodiderunt.

(12) Vid. in *Macagn. II.,* § XX.

(13) Vid. in *Macagn. III.,* § I.

nullibi certo traditur (1). Videtur ergo quae in illis processibus de Macagnano dicuntur, non ad III. sed ad II. esse referenda; praesertim cum huius aetas, propter senilem maturitatem et prudentiam, multo ad res gravissimas administrandas accomodatior esset, quam aetas Macagnani III. nimium adhuc iuvenilis et immatura. Sed rursus ex hac senili aetate Macagnani nova nec sane mediocris oritur difficultas: nam oportuisset (quoniam Macagnanus ille qui orator fuit ad Pontificem gener erat Thaddaei), oportuisset, inquam, ut noster ad secundas nuptias septuagennario maior transiisset: quod hac facillima ratione conficitur. Constat, anno MCCXCVII. iam illum et in republica et in gymnasio clarum fuisse (2). Et quamquam ea munera quibus ille tunc fungebatur aetatem grandiorem poscere videantur, fac tamen XXV. dumtaxat annos habuisse. Erat igitur natus anno MCCLXII. Constat rursum anno MCCCXXXII. Beldam eius uxorem in vivis adhuc fuisse (3). Finge illam eodem ipso anno obiisse, et Macagnanum anno proximo MCCCXXXIII. ad novas nuptias accessisse. En Macagnanus annorum erat LXXI. cum filiam Thaddaei duxit; nam omnino ab anno MCCLXII. ad MCCCXXXIII. anni totidem intercurrunt. Non negaverim fieri id quidem utcunque potuisse; sed fieri non solere, adeoque difficile creditu esse nemo non videt.

VII. Quid ergo? Tribuenda erunt Macagnano III. ea quae tanquam incerta in hoc folio seposuimus? Ego equidem affirmare non ausim; sed nescio quomodo fiat ut in eam sententiam magis propendeam. Nam I.°, si Macagnanus III. annos natus XX. plebanatum adeptus, ei postea dignitati imo statui omni ecclesiastico, nuncium remisit et matrimonio se addixit, in ea re nihil insolitum video, nihil quod non ab adolescentibus saepissime fiat, praesertim cum fieri facile potuerit, ut tempore datarum literarum, alteri cuipiam collatus iam esset Plebanatus, quae erat conditio in literis apostolicis apposita. II.° Quamquam de illius doctoratu nullibi constet, constat tamen eum leges sequutum fuisse, maximos in iis progressus fecisse et licentiae, ut aiebant, honorem ante vigesimum aetatis annum fuisse adeptum (4). Itaque nihil magis in promptu quam credere illum nequaquam in hoc primo honoris gradu consistere voluisse, sed ad summum doctoratus aspirasse, et quae erat eius ingenii et doctrinae fama nullo, negotio consecutum fuisse. III.° Gravissima negotia, quibus procurandis adhibitus fuit anno MCCCXXXVIII. Macagnanus ille, de quo in pepuliano processu, iudicii quidem maturitatem requirunt, sed hanc non ita senum esse propriam, quin etiam saepenumero in iuvenibus reperiatur experientia testatur; imo testata est vel in ipso Macagnano III., nam constat ex eius *Actis* § III. anno insequenti MCCCXXXIX. causas duas appellationis, quae non sane levis erant momenti, a Thaddaeo Pepulo illi fuisse commissas. Agebat porro tum Macagnanus aetatis annum XXVIII.; quae sane aetas propius a virilitate aberat, quam ab adolescentia. IV.° Constat ex *Miscella bon.*, tom. XVIII. *Rer. ital.*, col. 393, Macagnanum Azzoguidum anno MCCCXLV. equitem fuisse factum a Joanne Pepulo (5). Quis autem sibi persuadeat cadere hoc posse in Macagnanum II.? quem per id tempus annorum ut minimum LXXXIII. fuisse oportebat, iuxta superiorem supputationem; quemque summis honoribus per totam vitam perfunctum, neque hunc denuo ambivisse putandum est, neque ad eum Joannem Pepulum deferre cogitasse. V.° Ex eadem *Miscella* col. 402, constat, cum Macagnanus Azzo-

(1) Vid. in *Macagn. III.*
(2) Vid. in *Macagn. II.,* § I. et II.
(3) Vid. ibid., § XX.
(4) Vid. in eius Actis, § I.
(5) Vid. sup., § III.

guidus anno MCCCXLVII. obiisset [1], Joannem Pepulum eius funus maxima pompa curasse et duos ab eo relictos parvulos filios Bliobarixium et Thaddaeum supra ipsum patris sepulchrum equites fecisse. Primum si tanti honoris caussam ex Macagnano III. repetas, invenies validissimam esse; si ex II., non adeo validam. Nempe Joannes uxorem habebat Ghixam Macagnani III. sororem [2]. Itaque nihil mirum si affinem adeo coniunctum tanto studio est prosecutus. At Macagnanus II. ad Joannem Pepulum nihil attinebat, nisi quod eius neptis ex fratre Bliobarixio eidem Joanni nupta erat. Deinde cum *duos ab eo relictos parvulos filios* audimus, quis in animum inducat eorum patrem senem potius octogennarium credere, quam iuvenem annorum XXXVI.? Nam totidem habere debebat anno MCCCXLVII., cum constet natum fuisse anno MCCCXI.

VIII. Haec mihi, ut dixi, verisimilia videntur; sed cum meris nitantur coniecturis, ex iis sciri certo non potest, quem ad annum producenda sit alterutrius Macagnani vita. Illud pro certo habeo, ultra MCCCXLVII. neutrius esse producendam. Nam ab eo anno, nusquam iam amplius occurrit mentio Macagnani. Itaque prout ea, quae superius tamquam incerta posita sunt, alterutri adiudicabuntur, illius mors omnino anno MCCCXLVII. statuenda erit, alterius vero ante ipsum annum.

DE SCRIPTIS.

IX. Testatur Diplovatatius pag. 214 Macagnanum *multas Disputationes, scripsisse quarum copia*, inquit, *rara est; et cum Bononiae in praetio existeret, scripsit utiliter super prima parte Digesti veteris et praecipue in tit.* De arbitris; *et cum super ordinariis scribere coepisset, morte praeventus omisit. Multas quoque disputationes, quarum copia rara esset* vidisse se testatur Gazzalupus, seu Caccialupus, in *Hist. Interpr. et Glossat.*, pag. 507, apud Mazzuchellium, vol. I. pars II., pag. 1290. Ad haec Joannes de Arena et Albericus *Quaestiones* Macagnani citant, testibus Alidosio et Mazzucchellio. Itaque dubitari non potest quin aliquid reipsa in Jure scripserit Macagnanus. Sed secundusne an tertius? Ego equidem tertium arbitror. Nam primum scriptor ille ex Diplovatatio fuit *gener Thaddaei;* deinde ex omnibus auctoribus, *cum magnam sui expectationem fecisset,* immatura morte raptus fuit; quorum illud prius in solum Macagnanum III. cadere posse ex iis, quae modo diximus, propius fidem est; hoc autem posterius de secundo dici non potest, quem omnino senem obiisse ex eius *Actis* perspicue constat. Quare Macagnanum III. esse puto, cuius ingenium et doctrinam auctores omnes cum exteri tum domestici mire praedicant, et de quo Achillinus canit in *Viridario:*

> Quel d' Azzoguidi nome ha Macagnano,
> Questi due scrisser molto di sua mano.

X. Illas ego *Disputationes* quas iam Caccialupus saec. XV. et Diplovataccius XVI. *raras* appellarunt, quasque Pancirolus [3] eodem XVI. saeculo *deperditas* credidit, reipsa nostris hisce temporibus intercidisse existimo: nam diu diligentissime conquisitas omnino reperire non potui. Nam quod Mazzuchellius coniicit non intercidisse quod apud co. Augustinum Fontana [4] duo *Macagnani Gregorii Bliobarixii Azzoguidi* opera alterum *De communi opinione*, alterum *Quaestionum juris* Bononiae edita memorentur,

(1) Vid. sup., § IV.
(2) Vid. in *Bliobarixio*, § XLI.
(3) *De Clar. Leg. Interpr.*, lib. II., c. 65.
(4) In *Bibliotheca Legali*, t. I., col. 52.

in eo errantem sequutus Fontanam sine dubio errat. Nam ut ommittam, cum duo fuerint Macagnani, alter Gregorii filius, alter Bliobarixii, ex eo titulo sciri non posse ad utrum ea opera sint referenda, certissimum est prius illud *De communi opinione,* nequaquam ad hos veteres, sed ad alium *Macagnanum de Azzoguidis J. U. D.* duobus plus saeculis posteriorem (cuius nemo unus auctor meminit) pertinere; quod et ex ipsius auctoris ad Emmanuelem Filibertum Sabaudiae Ducem nuncupatoria epistola et ex praefatione ad lectorem, et ex toto passim opusculo manifestissime patet. Alterum vero opus *De quaestionibus juris,* quamquam videre non potuerim, arbitror tamen ad eumdem hunc recentem Macagnanum spectare. Non enim dubito quin quemadmodum typographus ille bononiensis (cuius nullum nomen apponitur) in prioris operis titulo lapsus Fontanam decepit, ita etiam fecerit in titulo posterioris.

XI. Placet hic alium Fontanae errorem annotare. Opus inscriptum: *Syntagma communium opinionum, sive receptarum juris utriusque sententiarum* etc. in quo libellus *De communi opinione* exscriptus est, tribuit ille Antonio Mariae Corazzae cortonensi. At fallitur. Nam Corazza auctor *Syntagmatis* non est, sed unus ex iis quorum opuscula in eo sunt collecta a Joanne Baptista Regnauld vero *Syntagmatum* auctore seu collectore, uti patet ex epistola dedicatoria et ex ipso opere. Qua in re Fontana decepit etiam Mazzuchellium.

II.

THOMAS DE MARZALOLIS.

Frequens huius est memoria in monumentis nostris etiam sub fine saeculi XIII., atque ex iisdem intelligimus filium fuisse Bonifacii, qui et ipse fuit legum doctor; habet enim *domini* appellationem, quae, ut notum est, solis legum professoribus antiquo more convenire poterat. Anno MCCXCVII. Thomas noster legebat *extraordinarie,* ut aiebant, neque enim adhuc doctor creatus fuerat; atque inter eos nominatur quibus a re militari vel ob aetatem ingravescentem, vel ob imbecillam valetudinem, vel ob docendi laborem feriari licebat (1). Sub ipsa initia saeculi XIV. nimirum anno MCCCI. adhuc in Scholis docebat non tamquam doctor, sed tamquam iurisperitus, ita enim vocatur in veteri charta archivj nostri publici, in qua praesens dicitur renuntiationi factae a domino Bartholo priore sacrae camaldulensis eremi, monasterii sanctae Mariae de Ravone in vicinia Bononiae sito extra portam, quae Pia postmodum dicta est, ut eum locum sacrae Virgines incolerent quae camaldulensium institutis abundarent, et Ordinis Praefecto parerent. Integrum de hac re monumentum, ignotum *Annalium Camaldulensium* auctoribus, extat (2).

Sed anno MCCCIV. inter doctores receptus est Thomas una cum Bonifacio de Gallucciis et Mathaeo de Gandonibus. Quo res modo acta sit paucis narrandum, eo

(1) Extat monumentum in *Lib. Provis. A †,* fol. 33.

(2) Ex eodem monumento notum fit Thomae nostri fratrem fuisse Galvanum qui ibidem dicitur discretus vir, dominus, et civis Bononiensis, quique quatuor filias Philippam, Franciscam, Lixabettam et Johannam in novo illo Parthenone consecrandas re[liquit]. Res tota acta est in Monasterio sancti Damiani, quod adhuc incolunt Camaldulenses. (Scholae etiam Tommasi de Marzalolijs nominantur in libro *Memorialium* anni MCCCIII. Ubaldini Savini, c. 6 retro, C. M.)

vel magis quod scriptores nostri, atque in primis Ghirardaccius, in hac historiae particula adornanda in aliquibus lapsi sunt. In civitate iam esse coeperat et florere Collegium Doctorum, Advocatorum et Judicum, et nisi magnopere erro, eius initium ad annum MCCLXXXVI. pertinet. In eo autem tunc temporis omnes doctores pluresque judices et forte advocatos qui doctores non erant, ob doctoratus excellentiam quem rari consequebantur, locum habuisse arbitror (1). Cum igitur dicto anno MCCCIV. ageretur de conferendo doctoratu Marzalolio, Galluccio et Gandono ob singularia eorum in Universitatem merita, atque huiusmodi honor decretus eis fuisset per Rectores Universitatis, Collegium Doctorum magna contentione Marzalolio aliisque hanc doctoratus adipiscendi facultatem negavit (2). Sed tota hac re delata ad publicum civitatis Consilium, sancitum in eo est, ut III. viri quos diximus ad doctoratum assumerentur postquam examinati fuissent coram domino Francisco de Ubaldinis et Henrigipto de Rostis, Vicario Archidiaconi, et coram domino Gregorio de Placentia, Episcopi bononiensis (Huberti nimirum) fratre nato. Et quando graviores indictae sunt doctoribus poenae si forte adhuc huic sanctioni obstitissent, ac Marzalolium aliosque sic prolatos in suum Collegium cooptare recusassent, res e voto omnino cessit, et Marzalolius una cum collegis doctoratus honoribus est auctus. Huius rei monumentum [extat], ex quo illud etiam compertum fit errasse Ghirardaccium et Alidosium, qui Marzalolium, Galluccium et Gandonem juris canonici professores fuisse scribunt.

Sed paucis post annis Marzalolium vita decessisse arbitror; nam de ipso monumenta nostra sequentibus temporibus omnino silent, quod vix credi posset si diutius vixisset; ex iis enim quae allata sunt satis constare potest ipsum non incelebrem fuisse in Universitate nostra professorem. Sed quidquid de hac re dici possit, numquam tamen in eam adducam sententiam ut putem Marzalolium revera apud nostros docuisse eam juris civilis partem, quae . . . . . (3) Nihil sane absurdius dici potest; verum etsi haec vera sint, attamen nullus inveniri poterit qui haec ita a nobis dici existimet ut fabulosa pro veris venditare velimus. Eorum mos hic esse solet. Sed est etiam quod diligenter observemus in hoc negocio quod ad definiendum difficile valde est; sed tamen si diligenti inquisitione in hac re uti velimus, profecto eliciemus id quod aut verum est aut ad id . . . .
. . . . (4)

AD THOMAM MARZALOLIUM.

MCCCIV., XIV. decembris. Hoc tempore doctores pessime officio suo docendi fungebantur: qua re Studii celebritas non parum apud exteros erat imminuta. Ut huic malo occurrerent, doctores Universitatis dicunt et proponunt quod tres sunt scholares et bachalarii in civitate Bononie approbati et electi per Universitatem, qui si legerent

(1) MCCC., XVIII. aprilis. Interest Thomas tamquam testis donationi CD. librarum factae a Bernardino et Blaxio filiis Martini cuidam sorori suae Bertae. (*Mem. Rolandini de Floranis*, fol. xlj.)

(2) Similem in doctoratus petitione repulsam tulit *Belvisius* (Vid. in eo § III.). Sed hic quia partibus Lambertatiis favebat gens Belvisia; quod nescio an de Marzalolia dici possit. Videndus ibid. § VI. ubi Marzalolius bis petiisse doctoratum, bisque repulsam tulisse dicitur. Nimirum initio petiit cum Bonifatio Gallutio et Mathaeo Gandono; deinde cum Jacobo Belvisio et Petro de Cernitis.

(3) *Sic.* Vid. notam pag. 359.

(4) Desunt verba in apographo. In originali autem scripto alia partim deleta sequuntur, quae, cum imperfecte redacta sint, superfluum prodere existimavi. (C. M.)

ordinarie, maxima utilitas esset Communi et populo Bononiae, et propter lecturam eorum, studium augmentaretur etc. Quare supplicant, Reformationem factam de mense iulii, [tempore domini Aegidii Muratoris Difensoris Haveris], facere executioni mandare et taliter procurare quod omnimode compellantur infrascriptos tres admittere et admitti facere ad examinationem privatam et publicam, et eos approbare in examinatione publica et privata et suo Collegio associare. Quorum nomina sunt:

Jacobus Guidonis Belvixii capellae sancti Barbatiani,
Thomax de Marzaloliis capellae sancti Laurentii portae Sterii,
Petrus de Cernitis capellae sancti Alberti (1).

Anno MCCCVII. Marzalolius ab Universitate expetitus ad legendum *extraordinarie* una cum Philippo Rampono et Jacobo Buttrigario; nam ille ad legendum ordinarie tum fuit postulatus. An non haec lectio *extraordinaria* probat Marzalolium anno MCCCVII. non fuisse doctorem? Nam qui ita legebant, non doctores, sed bachalaurei nominabantur.

III.

BONIFACIUS ET UBALDINUS DE GALLUTIIS.

Gallucciorum gentem in civitate nostra gestis, opibus et auctoritate insignem admodum fuisse monumentis nostris saepe est traditum. In hac autem de qua loquimur aetate plures ex eadem familia extiterunt, quorum vel doctrina, vel pietate, vel rerum agendarum peritia, non mediocris et laudis et gloriae eidem facta est accessio. Antonium Ubaldini patrem egregie de suis civibus meritum fuisse innotescit ex *Chronico bonon.* apud Muratorium (2), in quo ad annum MCCCIII. narratur ipsum vivere desiisse. Excelluit etiam ex eadem gente iisdemque temporibus Aegidius, Ordinis Praedicatorum alumnus, qui anno MCCCXXXIII. ad Archiepiscopatum Cretensem promotus fuit, cum in iis regionibus censoris haereticae pravitatis munere fungeretur, quemadmodum constat ex literis Johannis XXII. datis Bertrando Episcopo Hostiensi, quae extant in Codice nostro diplomatico bononiensi. Intelligimus autem ex iis veritati minus consonum quod nonnulli tradiderunt Aegidium hunc primo antistitem Torcellanum, cretensem postmodum Archiepiscopum fuisse. Fontana in suo *Theatro* ita sentit, idque contigisse affirmat anno MCCCXXVIII. Ex Leandro Alberto in sua *De viris illustribus Ordinis Praedicatorum historia* notum fit alium fuisse Egidium Cretensem ab eo qui Torcellanam sedem tenuit. De Aegidio nostro haec habet libro III., pag. 104. Citabimus, inquit, post hos Aegidium ex nobilissima Gallutiorum familia bononiensi ortum, virum scientia et religione clarissimum, cretensem Archiepiscopum, qui vita excessit anno Domini MCCCXL. Bononiae inque sepulchro tanto viro digno sepultus, quod adhuc cernitur ante aram maiorem basilicae praedicatoriae (3).

(1) Vid. *Ref.*, lib. E, c. 485 r.

(2) Tom. XVIII. *Rer. Ital. Script.*, pag. 137.

(3) Veterum monumentorum ope probat cl. auctor Aegidii episcopi mentionem primo occurrere anno MCCLIX. et anno MCCLXXXII. in vivis adhuc fuisse; hoc enim eodem anno lata fuit contra ipsum sententia per publicorum bonorum iudices, qui quamdam aquam et paludem ab episcopo Torcellano detentam, publici iuris esse pronuntiarunt.

HIC IACET REV. DOMINUS
FR. AEGIDIUS DE GALLUTIIS DE BONONIA
ORD. FRATRUM PRAEDICATORUM
DEI GRATIA ARCHIEPIS. CRETENSIS
QUI OBIIT ANNO DOMINI MCCCXL.
DIE VI. DECEMBRIS
CUIUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE. AMEN.

De altero vero eodem libro, pag. 124, ita scribit: Post tot ac tantos citatos antistites, cum inde ad annales nostros oculos admoverem, in primis offendi Aegidium cum Bartholomaeo Bononiensi, ambos conterraneos, et Torcellanos praesules ambos, viros literatura ac prudentia insignes. Hunc Aegidium Torcellanam cathedram assumtum circa annum MCCLIX. optime coniectando statuit cl. Flaminius Cornelius (*Test. S. Eccles. Torcell. Illustrat.*, pag. 27) ubi illud etiam firmat non nisi post annum MCCLXXXII. vivendi finem fecisse. Cum igitur ex laudatis literis Joannis XXII. certissime appareat Aegidium de Gallutiis ad archiepiscopatum cretensem evectum fuisse anno MCCCXXIII. et praeterea ex titulo eius sepulchro apposito exuatur illius annus emortualis, dubitari amplius non potest quin Aegidius, torcellanus Episcopus, diversus omnino fuerit ab Aegidio Gallutio cretensi Archiepiscopo, etsi unus et alter idem nomen gesserint, Bononiam comunem patriam habuerint eiusdemque instituti disciplinam professi sint.

Sed e diverticulo in viam. Bonifacius, de quo sermo nobis est instituendus, iam inde a saeculo XIII. cepit inclarescere. Nam illius nomen saepe occurrit in nostris monumentis illorum temporum. Virum hunc non mediocris auctoritatis et nominis, iurisprudentiae autem studio operam dedit, quo sibi ad gloriam et honores viam facilius inveniret. In quo sane non mediocres progressus fecisse, cum ex multis constare potest, tum vero maxime ex monumento quod consignatum ad annum MCCCIV. extat in archivo publico civitatis. Inter doctores cooptari petierant Bonifacius noster, Thomas Marzalolius et Matthaeus Gandonus, quem sane honoris gradum sibi iure quodam deberi affirmabant, quia nimirum iuris scientia plures annos explicanda tradendaque bene de academia et de civibus meruissent. Perhonorificum [testimonium] in hanc rem scholarium ab ipsis in ea disciplina institutorum apud doctorum Collegium non defuit. Sed valde repugnarunt doctores ipsi, inter quos lege cautum erat ne ulli prorsus de civitate ad hunc gradum aditus per id temporis pateret, quod quidem, etsi nec Gallucii neque aliorum gloriae quidquam officere poterat; attamen scholares minime acquiescendum rati, quod magno erga eos viros studio efferrentur, ad publicos magistratus provocarunt, quorum deinde et populi etiam auctoritate parere iussi sunt doctores, quibus indicta etiam per Praetorem mulcta, si forte, obfirmato in repulsam animo, vel non obtemperarent vel moras tantummodo necterent. Ghirardaccius, cui ignotae minime fuerunt hae tabulae, scribit Bonifacium aliosque hoc quem diximus anno, ad doctoratum evectos fuisse. Sed in primis Marzalolium numquam hoc honore auctum alibi diximus, et praeterea affirmare non ausim Gallucium doctorum Collegio adscitum statim fuisse. Cum enim ad annum MCCCVI. in quadam charta de qua infra, complures civitatis praestantes viri nominentur non sine vel muneris vel dignitatis titulo, quo plerique fruebantur, Bonifacio nostro doctoris nomen minime tributum reperio. Itaque putandum est ipsum in doctoribus adnumeratum fuisse, biennium ferme postquam Senatus populusque censuerunt ad eum honorem esse promovendum. Grandaevum iam fuisse oportet cum doctoratus insignibus potitus est. Tum enim inde ab anno MCCLXXX. publicis civitatis negotiis interfuisse certum est. Fervebant maxime per id tempus tum in omnibus Italiae urbibus, tum vero maxime in civitate nostra intestinae simultates, quibus intestina odia; ob quae reipublicae magnum sane detrimentum inferebatur, civibus ad contrarias inter se partes accedentibus Lambertacciorum et Jeremiensium. Nicolai III. iussu huc iam venerat Bertholdus, eiusdem germanus frater, ut huic morbo, nimium iam invalescenti, efficaciora adhiberet remedia et publicae tranquillitati consuleret. Itaque anno MCCLXXIX., Bertholdi opera atque industria, pace tandem

inter Jeremienses et Lambertaccios acta ac optimis legibus communita, cum omnia egregie composita et constituta videri possent, in sequenti anno partium studiis denuo in civitate reviviscentibus, eo res adducta est, ut, districtis in Foro gladiis, acriter Jeremienses [a Lambertacciis oppressi sint].

Nicolai III. iussu anno MCCLXXVIII. in provinciam Flaminiam cum imperio venerat Cardinalis Latinus ex Ordine Praedicatorum, sororis Pontificis filius, eodemque anno gubernacula eiusdem provinciae suscepit Bertholdus, quem alii Nicolai nepotem, alii, et quidem verius, fratrem nominant. Latino quae ad rem christianam maxime pertinerent, Bertholdo quae ad civilia negocia spectarent demandata fuere; sed in primis utrique diligenter inculcatum a Summo Pontifice ut discordiis [finem imponeret (1)].

Ex literis eiusdem Nicolai datis in hanc rem, et quae extant in Codice diplomatico civitatis, illud eruere licet, Pontificem in toto hoc negocio propositum maxime habuisse ut per Legatum et provinciae praefectum Bononiensium res peculiari quidem studio, sed magna etiam dexteritate et quadam veluti suavitate agerentur, ne opulenta et nobilis admodum civitas ad duriora suscipienda consilia quodammodo cogeretur, si forte nimis asperam in se manum sensisset.

Itaque prospero quidem cursu ab ipsis res coeptae et perfectae in Romaniolae civitatibus, quod summa consensione narrant qui res illorum temporum scripserunt. Sed maioris sane curae et laboris fuit Bononienses ad officium revocare. Nam sub ipsa initia anni MCCLXXIX. ex Nicolai literis intelligimus novos vehementioresque in civitate motus extitisse; quibus componendis graviores intulit minas Bononiensibus, quos magnopere reprehendit quod contemptui ea omnia habuerint, ad quae iampridem per publicos oratores ad se destinatos sacramenti lege se obstrinxissent. Cum autem neque Pontifex a suasionibus cessaret, neque Latinus Cardinalis et Bertholdus industriae ac labori parcerent, tandem a sextili mense, ut ego quidem coniicio, eiusdem anni pax conventa est et sancita inter Hieremienses et Lambertaccios eademque optimis, et diuturnitati ipsius, ut videbatur, magnopere accomodatis, legibus communita.

Serius in forocorneliensi urbe peragi coeptum de pace sancienda, quae deinde Bononiae mense augusti ad exitum feliciter est adducta.

Cum autem sub finem eiusdem anni, perturbata iterum civitate, ad arma concursum est, et acri inter factiones commisso proelio in foro, initio quidem Lambertacciorum res sese erigere videbantur, sed Hieremiensibus animo minime concedentibus ac bellum magna vi instaurantibus, Lambertaccios tandem fortuna rerum humanarum et bellorum in primis domina, deterruit, ac plerisque eorum per victores caesis, qui reliqui fuerunt civitate excedere coacti sunt. Bononia iam discesserat Cardinalis Latinus ut Florentiam contenderet, quae etiam communi omnium Italiae civitatum morbo laborabat. Aegre quidem hunc Cardinalis discessum tulerat Pontifex, qui eam, quae hic postea excitata est, tempestatem tamquam ex alta specula prospexerat simultatum, enim veluti radices relinqui satis intelligebat, quas iccirco evellere oporteret. Sed Latinus harum molestiarum perlaesus, etsi fortasse Bononiensium res minime ad diuturnitatem compositas et constitutas prae ipso Pontifice agnosceret, attamen tantarum molestiarum perlaesus, discedendo, quod caeperat consilium non deseruit. Itaque post novos in civitate tumultus exortos, en ad Latinum pontificias litteras, quibus magno studio contendit ut, Floren-

(1) Desunt hic verba ad periodi absolutionem necessaria.

tinorum negociis posthabitis, Bononiam maturato itinere repetat, quod sane vix tandem ab ipso impetrare potuit, qui ad moras nectendas valetudinem affirmabat.

Post Latini adventum, ipsius et Bertholdi industria de pace restituenda iterum cogitari coeptum. Et quidem ut ex Ghirardaccio intelligimus, Ravennae per Bertholdum indicto generali conventu, Bononiensium Legati et partium Syndici post multa ultro citroque disceptata, Bertholdi suasionibus acquiescendum rati, conciliata denuo pax est; atque ad retinendos facilius in officio Bononienses ipsos, imperati obsides ex utraque dissidentium parte. Interea dum autem his motibus componendis, rebusque ad tranquillitatem revocandis incumbit, en nuncium de repentina Pontificis morte, quo quidem perculsus vehementer Bertholdus, rem magno animo magnaque felicitatis spe susceptam, perficere e voto non potuit. Nihil tamen serius contigisse reperio quod maiores civitati calamitates attulerit, et suffecto in Nicolai locum Martino IV., ex ipsius literis quas ad nostros perscripsit, illud simile coniicimus quieta satis et tranquilla, prout illorum temporum conditio ferre poterat, omnia hic fuisse. Sed de his satis, quae etsi scriptorum nostrorum declarata sermonibus illustranda, tamen aliqua ex parte duximus antea monumentis confirmanda.

His porro aliisque bene multis gravioribus reipublicae nostrae negociis interfuisse Gallucium nostrum ex publicis eius aevi actibus constat, et in primis cum, ut supra diximus, obsides accepit Bertholdus. Itaque cum per ea tempora omnia in civitate nostra perturbata magnopere essent, optimarum artium studiis, quae praeparatum otium poscunt, vix locus esse poterat. Atque idcirco mirum esse non potest si vel ii quibus ab ingenio et doctrina promta omnia et parata erant ad patriam Academiam et decorandam et amplificandam de publicis potius calamitatibus avertendis, aut certe minuendis, cogitabant in eamque curam magno studio incumbere optimo cive dignissimum existimabant. Inter eos excelluit sane Gallucius noster, cuius auctoritate et consilio usa est saepenumero civitas nostra, cui certe in maximas angustias cruciatae nullo unquam tempore defuit. Neque tamen inter haec legum studia omnino deseruit. Cum enim sub initia saeculi XIV., nimirum anno MCCCIV., doctoratus honorem una cum aliis de quibus supra sibi deferri petiisset, eodem privari se eiusdem et postulandi et obtinendi iure quodam frui affirmavit, quod nempe ad diuturnum tempus in iuris civilis scientia adolescentes complures instituisset. Sed vix dum expetito iamdiu honore potitus est Bonifacius, patriae, iterum in summum discrimen adductae, opitulari ipsum oportuit. Rem totam quam nostrales, et in primis Ghirardaccius, deformarunt, complectemur. Quoniam intestinis motibus numquam revera omnino sedatis, affluebant enim maris instar et refluebant, et quoniam praeterea plerique in civitate nostra factioni Guelforum favebant, quae sane viribus, opibus et multitudine alteri praestare videbatur, opportunum idcirco inter Jeremienses nostros consilium coeptum est de iungendo foedere cum aliarum complurium nobiliorum Italiae civitatum Guelfae partis hominibus ad Ghibellinos funditus exscindendos. Itaque anno MCCCVI., februario mense, arctissimo nexu et vinculo copulati sunt nostri Parmensibus, Mutinensibus, Regiensibus, Veronensibus, Brixiensibus et Mantuanis. Initia foederis acta extant in *Codice Diplomatico N. 78.* Eodem vero anno, aprilis mensis initiis, aliud iisdem ferme legibus ac conditionibus ictum a Bononiensibus foedus reperio cum Thusciae civitatibus illustrioribus, vel quia fortasse civitates aliae obligatam fidem errupissent, vel quia, ut verosimilius arbitror, aucto in eamdem rem conspirantium numero, facilius et felicius omnia perficerentur. Cum autem Bonifacius noster Guelfae parti adheresceret, eius operam poposcit civitas pro obeunda

publica Burdigalam ad Clementem V. legatione, ut coram ipso de gravissimis negociis ageret. Ex publicis tabulis ad hunc annum, septembri mense, consignatis, id patet; et quamvis in iisdem minime declaretur quid revera negocii Bonifacio eiusque collegae Ubaldino de Malavoltis demandatum per nostros fuerit, dubitandum tamen non est quin cum iis quae diximus, cognatione et affinitate contineretur. Certe cordi magnopere fuit civibus nostris ut duumviri isti ad Pontificem adirent, et ne aut moras necterent aut omnino legationem in se suscipere recusarent, eosdem magno consensu et publica interposita auctoritate liberandos iis oneribus sanxerunt, quae, obligata in certum et constitutum tempus fide, in se antea susceperant. Inter alia Bonifacius vadem se dederat pro Friderico comite de Panico, leviro suo, et cum vadimonii solvendi dies adventaret, iccirco ne Bonifacius aliique qui pro Friderico spoponderant mulctam, quae penae loco imperata fuerit, exsolvere cogerentur, sanctum est ne quid molestiarum ipsi aliisque inferri posset per id temporis intervallum, quo pro negotiis publicis gerendis Bononia abessent. Tabulas in hanc rem Gherardaccius vidit; sed, quod saepe solet, haustam ex iis narrationem turpiter admodum deformavit. Scribit enim legationem decrevisse Bononienses ob quamdam in Fridericum et Ugolinum de Panico, in Joannem della Calcina, in Philippum de Pritis aliosque socios latam condemnationem, pro qua fideiusserat civitas ipsa apud Pontificem. Somnia putridaeque fabulae; nam tabulas legenti innotescit statim aliam omnino fuisse legationis decernendae causam.

Bononienses igitur Legati Burdigalam ad Pontificem profecti sunt; ubi cum diu satis substiterint (septembri enim ipso mense itineri se commiserunt, sub initia vero februarii insequentis anni Bononiam remearunt) putandum est ipsos, magnis implicitos negotiis, exoptatum reditum maturare minine potuisse. Sed longioris temporis iacturam minime eos fecisse declarat satis omnium civitatis ordinum consensus, quo ipsis reversis postmodum in patriam, decretae sunt perhonorificis verbis impensae, quas bene multas et graves fuisse se ostenderunt.

Bonifacio autem huius otii usura brevi frui licuit. Nam anno qui proxime sequutus est et quidem sub eius initia, patriae suae ut succurreret, novam in Hetruriam legationem obire coactus est. Tum inde ab anno MCCCVI. summo cum imperio Lugduno in Italiam a Clemente Pontifice venerat Napoleon Ursinus Cardinalis ut, auctoritate et consilio ad tot bellorum faces rextinguendas, civitates in concordiam revocaret. Neminem latet Ghibellinae factioni ipsum magnopere favisse, atque iccirco res haud satis prospere ab eodem gestas fuisse illorum temporum historiis magno consensu memoratum est. Cum Florentinis egit primo de pace sancienda. Sed ab iis vel ab ipsa civitatis aditus (1) omnino prohibitus, Bononiam venit, ubi Jeremiensium sive Guelforum conspiratione non modo cum dignitate diutius esse illi non licuit; sed etiam impendentium maiorum calamitatum metu, civitate excedere compulsus, in Forocorneliensem urbem, velut in Ghibellinorum tutissimum portum, se recepit, Bononienses diris devovit atque illinc aqua et igni, ut aiunt, Bononiensibus interdictum voluit, et in primis, quo maximum civitati infligi vulnus optime intelligebat, Universitatis honore privatos eosdem voluit (2). Quamquam vero aut nihil aut parum certe proficeret, attamen, instauratis denuo viribus, sequenti anno Arretium profectus, quae urbs, cum Ghibellinorum potentia dominatu

(1 et 2) Saepe in autographo et hoc quidem loco, verba et phrases aliis supponuntur, verba tamen extantia, quae expungenda erant. Alias autem imperfectae locutiones inveniuntur; qua re satis constat supremam auctoris emendationem defuisse. (C. M.)

maximi floreret, opportuna ipsi videri potuit ad Florentinorum conatus repellendos atque etiam ad ipsos aliosque provinciae populos in ditionem vi et armis recipiendos. Sed hac etiam spe brevi frustratus; Florentini enim, coniunctis suorum copiis, illuc convolarunt antequam maioribus se praesidiis communire posset Legatus, qui ex aliis civitatibus Ghibellinae partis homines bene multos advocaverat. Itaque, re infeliciter succedente, Arretio se proripuit in specie tamen fictae simulationis Florentiam adeundi ut civitate ab opportunis auxiliis prope imparata potiretur, execrationis interdictique sententiam intulit. Revera tamen Legatus nihil fortunae temeritati committendum ratus, Clusium se recepit, atque huius consilii non mediocrem fructum tulit. Nam Florentini praeconcepto maxime hoc metu victoriae quam integram facile tulissent usura cum victoriam pene adepti essent, eamdem urgere et persequi neglexerunt. Per haec igitur tempora quibus Clusii immorabatur Cardinalis, cum Florentini res suas adhuc in tuto satis non esse intelligerent, veteris amicitiae officia a nostris suo quodam iure flagitarunt, quos sane nostros pro veteri amicitiae iure ad opem ferendam magnopere excitarunt. Itaque Fisigli cum agendi essent conventus in quibus quid e re publica esset decerneretur, illuc Bonifacium destinarunt Bononienses ut ipsius et consilio et auctoritate Florentinos in tanto discrimine iuvaret et opitularetur. Ante vero quam illuc se conferret, Clusium divertit, ut Cardinalem Ursinum conveniret cum eoque ageret de tot tantisque populorum calamitatibus avertendis. Incidit id in anno MCCCVIII. sub exitum iannarii, vel potius sub initia insequentis mensis; quod sane declarare potest Muratorium errasse, qui scribit anno MCCCVII. Legatum Italia excessisse nulla amplius affulgente spe ammissae gloriae resarciendae, recuperandae. Clusii hoc quod diximus tempore ipsum fuisse declarant satis monumenta nostra, et quidem arbitror ibidem substitisse, quod certior factus fuerit non modo de hiis quae in fisiliano conventu sancita fuissent, sed etiam de aliis quae in generali Guelfae factionis conventu, Florentiae habendo aprili mense eiusdem anni, decerni contigisset. De hoc Guelfae partis concilio non modo nostrales, si Ghirardaccium excipias [1], verum etiam qui Florentinorum res literis mandarunt, omnino silent. Revera tamen conventum illum et indictum et habitum fuisse constat certissime ex nostris illorum temporum monumentis. Sua iam functus erat legatione Bonifacius cum iterum aliam hanc, quam memoravimus, suscipere coactus est. Atque ut prospere res in eo conventu evenirent, illud in primis Bononiensibus nostris curae fuit ut gravissima, de quibus postea apud omnes agendum esset, negocia diligenti antea consultationi subiicerentur. Itaque sapientiores viri complures tum ex nostra, tum ex nobilioribus aliis Thusciae civitatibus delecti fuerunt, qui inter se de re publica viderent, et in primis omnia, quae in Florentino conventu agitanda forent, in carta redigerent capita, quo facilius deinde suo quoque ordine in disceptationem opportunamque discussionem venirent. Totius rei acta in libris Reformationum descripta sunt [2]. De huius generalis conventus exitu certi nihil affirmari potest, cum de ipso, ut diximus, scriptores minime memoraverint. Dubitandum tamen non est quin Pontificis Legatus eumdem sibi infestum agnoverit, atque iccirco Clusio totaque Italia se proripuerit maiorum impendentium sibi calamitatum metu.

Bonifacius tot perhonorificis legationibus ex civium suorum utilitate perfunctus, non paucos deinde annos in honesto otio conquiescere potuit. Publicis tamen rebus interesse

(1) Ghirard., lib. XVI., pag. 516.

(2) *Lib. Reform. G*, fol. 329 v. et 330 r.

suaeque patriae prodesse numquam destitit quemadmodum ex actis nostris publicis colligi potest. Sed iuris studia, etiam longo veluti intervallo intermissa, revocasse putandum est. Cum enim eadem magnopere florente aetate excoluisset et non mediocrem inde gloriam sibi comparasset, dubitari sane non potest quin aliquem saltem animi requietem nactus, libenter et magna animi consensione in ea se iterum abdiderit. Huiusmodi autem graviorum negotiorum vacatione usus est usque ad annum MCCCXVIII., quo sane novam apud Pontificem legationem obire ipsum oportuit. De hac quidem constat ex actis publicis eiusdem anni; sed quid revera negotii ipsi eiusque sociis demandatum fuerit ex iisdem minime apparet.

Maioris sane momenti legationem ad Florentinos et Senenses suscepit Bonifacius anno MCCCXX. Bononiam venerat Franciscus Ramponus cenetensis Episcopus electus, qui Pontificis nomine (is erat Joannes XXII.) magnopere petiit a Bononiensibus ut profligandis penitus tandem Ghibellinis omni conatu incumberent, quod haud egre obtinere poterent si socios ex praecipuis Italiae urbibus adsciscendos curarent. Haec ut notum est cura . . . . (1).

(1) Hic mutilus Factorinii autographus.

INDICE GENERALE

DELL' OPERA. (1)

A

(1) *Il presente* Indice *non comprende gli* Scholares illustres *descritti da pag. 307 a 332 di questo volume, perchè essi, anno per anno, già si trovano disposti in ordine alfabetico.*

B

C

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

W

Y

Z

FINE DELL' OPERA.